R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
B
55(1
NAPOLI

4 – 8

Racc. Villarosa B. 55

Digitized by Google

SPICILEGII BIBLICI
TOMVS I.
QVO ADNOTATA IN GENESIM
CVM DISSERTATIONIBVS
ET OPVSCVLIS ALIIS
CONTINENTVR.

Digitized by Google

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII
Metrop. Eccleſiae Neap. Canonici, in Regio Gymnaſ. Neapolitano S. Scriptur. Interpretis

SPICILEGII BIBLICI
TOMUS I.
IN GENESIM

Quo praeter adnotata in textum, Diſſertationes, Sylvaeque Phalegicae ſubjiciuntur, cum Exercitatione Danielica de Muſicis inſtrumentis

Tomi conſpectum pagina hinc XI. dabit.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

NEAPOLI. EX REGIA TYPOGRAPHIA
ANNO CIƆIƆCCLXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO III.

HISPANIARVM NOVIQVE ORBIS
REGI CATHOLICO
PIO AVGVSTO FELICI

ALEXIVS SYMMACHVS MAZOCHIVS
MAIESTATI EIVS DEVOTISSIMVS

DOMINE

QVAMDIV MAJESTAS TVA in hac Tibi olim parta tuiſmet armis Regiâ reſidens, frena utriuſque Siciliae tanta cum juſtitiae, pietatis, magnificentiae fama moderabatur, non parvae mihi exiſtimationi fuit, quod ut quaeque labore

bore induſtriaque mea ex calamo mihi opera excidiſſent, ea per TE tuamque indulgentiam mihi licuerit ſub auguſto nomine tuo foras emittere; quodque id unum ſatis opimum vigiliis praemium, ingenio vero ornamentum putarem, modo mei Tibi labores non diſplicerent.

Atqui id inter priſtina mea quantulacumque munuſcula, interq. hoc quod nunc affero, intereſt, quod illa ſicuti obtuliſſe pulchrum atque decorum offerenti fuit; ita, ſi Majeſtatis Tuae fulgore perculſus, abſtinuiſſem, haudquaquam mihi turpe futurum erat. Nunc vero alia omnia ratio ſuadet. Etenim ut mea olim audacter ſiſterem, ambivi equidem, tametſi nullo cum probroſo dedecore, Tuae Majeſtatis faſtigium: quae vero nunc ex hoc Regio typographio exeuntia promo, eo loci ſunt, ut ſi minus Tibi nuncupem, quantaelibet

turpi-

turpitudinis notam effugere nequeam. Quid ita? quia quae nunc prodeunt, ea jam olim Tuamet mihi Majeſtas, quo tempore regna haec beatiſſima fortunabat, non ſemel mihi imperavit ut ederem.

Res enim ſic habet. Cum Tibi ex aliquorum relatu, DOMINE, innotuiſſet, in loculis meis plurima a me in Libros Divinos adnotata, non ante animadverſa, adſervari, quae in lucem edi praeſtaret; ſtatim ac olim ad manus deoſculandas tuas de more acceſſi, edixiſti mihi, quaecumque in Sacra Biblia obſervata haberem, ea ut ad limam revocata, publici juris facerem. Atque ibi quidem onus a me tantum quo pacto amoliri licuiſſet? Sed tamen ita me imperata facturum innui, modo me penſis incumbentibus prius expedirem, nempe ad otium novis hiſce mandatis

perfi-

perficiendis reperiundum. Et hactenus tunc quidem proceſſit Tuâ cum Majeſtate colloquium.

Verum cum novorum quotidie cimeliorum copia ex inexhauſta effoſſionum Herculanei vena prodiret, in quorum, uti fit, partem vocabar, cumque aliud ex alio mihi reculae imponeretur (in primis vero illa Veteris Herculanei adumbratio, nec non Bibliothecae refertae voluminibus papyraceis qualiſcumque notitia) cum haec inquam & talia, uti res ſeſe dabant, in manibus eſſent; quo mihi pacto Biblicum illud Spicilegium ita mihi procederet, ut laetari de provincia adornata poſſem? Sed tandem aliquando uberiore mihi vacatione indultâ, ſimul major in Spicilegium incumbendi facultas eſſe coepit.

Atque in his dum eram, ecce tibi

bi profectionis Hiſpanienſis Tuae nuntius perculit animos univerſorum: dum hinc alii ex ſecutura mox abſentia tua immodice triſtarentur: illinc vero alii de ſalute non modo Hiſpaniae, ſed & utriuſque Orbis (cui Atlantis inſtar ſuppoſiturus humeros, proficiſcebaris) gratulabantur & ad magnifice feliciterque de ſumma rerum ſperandum ſeſe erigebant: in commune vero omnes pulchre ſibi ac feliciter ominabantur, ac tum maxime, poſtquam auditum fuit, Te noſtri gratia dulciſſimum Natum Tuum, Tibi Parenti amantiſſimo per omnia ſimilem, FERDINANDVM (horum meras delicias geminorum Regnorum) de Sinu Tuo DOMINE avulſurum, ut nobis aeternum caritatis Tuae pignus dono relinqueres. Verum non ultra progredior, ne forte ex recordatione tot

rerum ad ciendas lacrymas aptiſſimarum genae madeant, neve obductae jam ex diuturnitate temporis cicatrices, tractatae recrudeſcant.

Ergo cum jam nihil aliud quam de maturanda profectione cogitaretur; vix tertio, ante quam ventis vela permitteres, die, ita equidem ad ultimum dextrae Tuae oſculum perreptavi, ut verbis pauciſſimis (quippe plura vetabat dolor, & denſa undique turba ſalutantium coartabat) me nihil cogitare aliud quam de elimando edendoq; Spicilegio Biblico, quod imperaveras, ſignificarem. Ac meam hanc vix trium verborum conceptionem tunc temporis Majeſtas Tua non modo ratam ſed & gratam habuit. Quibus ego ſic quaſi ex Phoebi cortina auditis, mire animo confirmatus, e veſtigio quantum per ſenectae incommoda licuit, me totum huic

huic uni tranſigendo negotio dedidi, ac tandem volumen hoc primum edidi.

Quod quidem, quia non tantum permiſſu, ſed & juſſu Tuo abſolutum, eccuinam dubium eſſe poteſt, quin Tuae DOMINE tutelae permitti omnino debeat? Ita prorſus. Imo audacter, omnique prorſus rubore deterſo, ita hoc Majeſtati Tuae nuncupo, non quaſi qui fidem a me recens oppigneratam, ſed quaſi qui vetera debita diſſoluturus acceſſerim.

Finis ſit: verum non niſi poſt nuncupata more majorum vota. DEVS Optimus Maximus Teque ac Sereniſſima Pignora Tua fortunet, ac tum potentiſſimis Hiſpaniae Regnis, tum immenſis illis & interminatis Novi Orbis provinciis, *Quae noſtris* (ut ille ait) *adverſa premunt veſtigia plantis*, diu ſervet ac ſoſpitet, ad Divinae Fidei

propagationem, & ad ſarta tecta Catholicae Religionis tuenda: a cujus tutela Auguſtiſſimi Majores Tui quaeſitum ſibi nomen pulcherrimum, ad Majeſtatem Tuam ex vero CATHOLICAM hereditarium tranſmiſerunt.

Dabam Neapoli prid.Kal. Majas Anno CIƆIƆCCLXII.

CON-

CONSPECTVS
EORVM QVAE HOC TOMO I. CONTINENTVR.

PROLEGOMENA QVAEPIAM *pag.* XVII.

Sect. I. Quo pacto Spicilegium iſtud coaluerit. *ibid.*
Sect. II. De ſimplicitate & vicinitate Biblici Homericique ſtyli. *pag.* XVIII.
Sect. III. Quam pridem Biblia ſic per excellentiam dicta. *pag.* XX.
Sect. IV. De Judaico librorum Scripturae canone. *pag.* XXI.

SPICILEGIVM OBSERVATIONVM IN GENESIM

Disqvisitio De titulo lib. Geneſis. *Pars prior.* Cur is liber Geneſis dictus. *pag.* 1
Pars altera. De Orphica mundi creatione. 3. De Tyrrhenica κοσμοποιΐᾳ. 8.

AD GENESIM COMMENTARIVS

a pag. 11. *ad* 176.

DISSERTATIONES.

Dissertatio I. De Chao deque Ovo Primigenio. *Pars prior.* Quid Thohu Moſaicum ethnici interpretati fuerint, & quemadmodum vocem perverterint. Chaëos notio, ejuſque a profanis petitae deſcriptiones. 177.
Pars II. De Bohu, & quomodo ex eo Ovum primigenium antiquitas finxerit. 179.

Dissert. II. De Septem Maribus Etruriae Tranſpadanae: Item de Foſſionibus Philiſtinis, deque Padi nominibus ex Orientali ſermone explanandis. 183.
Sect. I. De VII. Maribus, quidve ea fuerint. Par eorum numerus in Palaeſtina atque Tranſpadana Tyrrhenia. *ibidem.*
Sect. II. De Foſſionibus Philiſtinis, deque Aſagis ac Sagi. 185.

Sect. III.

Digitized by Google

Sect. III. Padi olim majores alvei qui fuerint. Deinde ſingulorum nomina ex Aſiaticis linguis explicantur. 186.

Dissert. III. De Gigantum nomine διοριστικῷ, veritate hiſtoriae, & eorumdem proprietatibus. 190.

Pars prior. Quid אנשי השם *anshe haſshem*, ſive *viri nominis* hoc loco ſit, & utrum ea ſit διοριστικὴ Gigantum appellatio, eorum celſitudinem notans. *ibid.*

Pars altera. De veritate proceritatis primorum hominum, ſimul de eorumdem vivacitate, ciborum appetitione, voracitate ac robore: tum quibus gradibus haec omnia decreverint. 193.

Pars tertia. An & brutorum animantium per eosdem gradus corpora diminuta videantur. 196.

Dissert. IV. De Navigii Noachici Nominibus atque originibus. 197.

Pars prior Ὀνομαστικὴ. De primitivis Noachicae Arcae vocabulis Hebraeis, Graeciſque profanis. *ibid.*

Pars altera. Rei ναυπηγικῆς incunabula: λιτότης Moſaica in Arcae appellatione: quodque Moſaicae Arcae imitatio (ſi minus re at certe nomine) Argo illa celebratiſſima fuerit. 199.

Dissert. V. ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ ad Phaleg. 201.

Sect. I. Noachidarum διασπορὰ (*ſparſio*) in pravo genere loco poenae fuit, quam linguarum ſubita confuſio peperit. At in probis, coitionis Nemrodicae inſciis, nulla linguarum turbatio, proinde nec ſubita a ſe ipſis ſeceſſio, verum ſenſim ſine ſenſu peracta diffuſio generum ſingulorum, quae ſponte ſua pro modo augeſcentium proſapiarum peragebatur. *ibid.*

Sect. II. Videri ſparſionem gentium pro meritis actam, unde Chamidas magis inter ſe & in pejora loca diſſipatos, quam Semidas, & Japhetidas: ad haec Japetidas plus ceteris dilatatos, atque etiam in Semi ſortem admiſſos. 203.

Sect. III. Amplius objectio gravis illa diluitur de eo, quod Chanaan tot maledictis inuſtus, tamen Aſiae floſculum, ideſt Chanaanitidem poſſederit. Poſt Babelicam calamitatem fuiſſe ſub Joſua diſſipationem alteram Chanaanitis peculiarem. Documenta & veſtigia jactationis hujus, maxime in Pelaſgis Tyrrheniſque. 205.

§. 1. Documenta ex coloniis deductis in Africam, 206.

§. 2. Alia petita ex Pelaſgorum & Tyrrhenorum erroribus. 207.

Sect. IV. Tyrrhenorum primitiva origo & Rasenae nomen quod ipſi ſibi ſuamet confeſſione arrogabant, profertur in lucem: ex quo nomine tum ipſorum ſecta Nemrodica, tum ſuae diſſipationis perpetuae meritum intelligitur. De Rasenae, patriae Tyrrhenorum primae, poſitu. Sparſim alia. 208.

Sect. V. Canones nonnulli ad Phalegi Moſaici intelligentiam comparati. 210.

Dissert. VI. De Tunica Polymita ſive Phaſſim. 211.

Sect. I. De Polymita Vulgati Interpretis, & de χιτῶνι ποικίλῳ Seniorum, & Onkeloſi tunica particularum. *ibid.*

Sect. II. Jonathanis interpretatio exponitur. De *Paragauda* plura non inutilia. 212.

Sect. III.

Sect. III. Cur *tunica Phaſſim*, quae in Geneſi ποικίλος reddita, eadem in 2. Sam. XIII. καρπωτὸς verſa. Priſca Romanorum veſtiendi ratio ex Gellio exponitur. Cur maribus non item feminis probro fuerit tunica ad manus taloſque fuſa. Joſephum, ſicuti & Thamarem chiridota ſeu talaris apprime decuit. Barbari manicatis demiſſiſque ad talos tunicis uſi. Interpretationes antiquae τοῦ *Phaſſim*, ſi perpendantur, inter ſe convenient. 213.

Dissert. VII. Contra Baſnagiana quaedam, deque Hebraeorum ſignificatu. 217. Baſnagiana criminatio duplex. *ibid.*

Sect. I. Difficultas prior enodatur. *ibid.*

Sect. II. Difficultas altera ſolvitur de Hebraeorum intempeſtiva appellatione: qua ne ipſi quidem Iſraëlitae eo tempore utebantur, tantum abeſt, ut eadem Aegyptiis potuerit innoteſcere. 219.

§. 1. Prior nodi ſolutio. *ibid.*

§. 2. Solutio altera patens latius. 220.

DISSERT. VIII.

De Jacobeis duobus de Meſſia vaticiniis.

Pars I. Qua Vaticinatio prior de Adventu Meſſiae exponitur. 222.

Sect. I. Omnem retro antiquitatem, ante & poſt Chriſtum, vi Jacobei oraculi convictam, finem ſceptri Judaici cum Chriſti in terris praeſentia connexuiſſe. 223.

Sect. II. Difficultates adverſus oraculi complementum referuntur. Veteres aliquot difficultatum ſolutiones. *ibid.*

Sect. III. Baſnagiana refellitur, & plurium (quamvis auctore nec opinante) litterariarum noxarum, itemque praevaricationis arguitur. 224.

Sect. IV. Quae prae omnibus receptiſſima, exponitur, eaque novis firmamentis ita roboratur, ut nova videri poſſit. 226.

Sect. V. Nodi ſolutio ultima, qua Jacobeum Oraculum de Juda Geographico, ſive de ſorte Juda jubetur intelligi. 227.

§. 1. Verborum prophetiae levis explanatio. De Moſis religione in antiquis oraculorum verbis ſine interpolatione retinendis. *ibid.*

§. 2. In Jacobi prophetia vocem Juda pro ſorte Juda, ſive pro regione Judaeae videri acceptam. 228.

§. 3. Occurritur gravi objectioni petitae ex verbis illis: Ex Femore Eius: cum haec verba ex Judae ſanguine deſcendentes, non vero terrae Juda incolas notent. 229.

§. 4. De quodam hyperbati genere in Hebraica poëſi ſatis uſitato: quo hic adhibito ultima explicationi huic manus haud invenuſte imponitur. 230.

Dissertationis VIII. Pars II. Qua Jacobi vaticinatio de Paſſione Domini elucidatur. 231.

Sect. I. De hujus vaticinii intellectu, quatenus ad Judam Patriarcham, Chriſtumque ſub Juda latentem, refertur. *ibid.*

Sect. II.

Digitized by Google

Sect. II. Digreſſio de Purpurae & Serici initiis. Quid proprie Sericum, deque ejus veriloquio in hac ipſa Jacobi vaticinatione detecto. Quid inter Sericum & Bombycinum interſit. Oraculi paraphraſis. 233.

Sect. III. De eodem hoc vaticinio, quatenus adumbrat paſſionem Dominicam. 234.

SYLVARUM LIBELLUS
AD MOSAICI PHALEG INTELLIGENTIAM COMPARATUS. 236.

Pars Prior. De Japhetidarum coloniis. 237.

Sect. I. Gomer ejuſque filii Ascenez, Riphath, & Thogorma. *ibid.*

Sect. II. De Magogo, quique huic conſertus eſt, Gogo. 239. EMBOAON De Cauconibus & Cauchis τοῦ Gog ἀποίκοις. 241.

Sect. III. Madai. 243.

Sect. IV. De Javan ejuſque filiis. 244.

Sect. V. De Iavanis filiis Elisa, Tharsis, Cetthim, Dodanim. 246.

§. 1. De Elisa Elidis conditore. *ibid.*

§. 2. Tharsis. De triplici Tharſis. De Tharſis Salomonica, deque navibus Tarſis. *ibid.*

Digressio de Biblica navium Tarſis notione. 248.

§. 3. Cetthim. I. Gentes plurimae a Cetthim ſatae. 249.

II. De Cetthim primitivis in Teuthrania, mox in Cilicia & Latio. 250.

III. De poſterioribus habitaculis Ceteorum, Cilicia ad Taurum, Cypro, Macedonia. 252.

Auctarium De Cetthim Italicis. 253.

Cap. 1. Ceteos inter Latii primitivos incolas eſſe numerandos. *ibid.*

Cap. 2. De eo amplius, quod ex Myſia Ceteorum coloni in Italiam venerint, non contra. 254.

Cap. 3. In quamnam Italiae partem ſuas Cetthei colonias primo illuc adventu deduxerint. 256.

Cap. 4. Dodanim. 258.

Cap. 5. Thubal & Mosoch. *ibid.*

Cap. 6. De Thiras Thraciae conditore. 260.

§. 1. Thracia multiplex. Quaenam primitiva Thiraſidarum ſedes: quo vero ordine in ceteras deductae coloniae. *ibid.*

§. 2. De prima Thiraſi ſede ſeu de Troade, quae Thracia primitiva fuit. 261.

§. 3. De Thiraſidarum (tum Troum ſcil. tum Thracum) primis ſedibus amplius, ſimul de populis aliis primitivis ſcitu digna, per quae proxime objectis occurritur. 263.

§. 4. Aliud praeterea argumentum, quo primae Thiraſidarum ſedes in Troade ſtabiliuntur. 264.

§. 5. Idem poſtremo firmatur atque exornatur ſignificatu vocis Thiras. 266.

Digitized by Google

DE INSVLIS GENTIVM . 267.

Dodanim ſive Sylvarum Phalegicarum *Pars altera* Dodanenſium ſedes plurimas ab iis deinceps , & ex intervallo occupatas complectens . 269.

De Dodanim Sect. I. De ambigua nominis hujus prima littera . Neutram litteram inconſulto adhibitam ; ſicuti & terminationem in IM cum judicio a Moſe hîc & alibi fuiſſe uſurpatam . 271.

Sect. II. Dardania Troica , ſeu de prima Dodanenſium colonia . 272.

Sect. III. Dodanenſium ſeu Dardanorum Troicorum coloniae ὁμώνυμοι : nimirum Dardani tum Samothraces , tum circa Illyridem , & alia Europae loca poſiti . 274.

I. Dardania Samothrace . *ibid.*

II. Dardania circa Illyridem . 275.

III. Dardania Romana . 277.

Sect. IV. Dodanei a Dodanim Moſaicis nec re diverſi nec nomine . 278.

Sect. V. Creta , quae primum Dardania vocata . 281.

Sect. VI. De Dodanicis coloniis ab R incipientibus . I. Rhodvs . 286.

Sect. VII. Rhodanvs . 289.

Sect. VIII. De Dodanensivm & Pelasgorvm etymologiis eodem ferme tendentibus , & ex pari vagandi ingenio profectis . 290.

§. 1. De τῶν Dodanim veriloquio . *ibid.*

§. 2. Pelaſgorum etymon , cumque Dodanenſium comparatio : deque Pelaſgia primitiva . 290.

§. 3. An Pelaſgi ex genere Dodanico fuerint . 291.

A P P E N D I X
SEV DIGRESSIO CVRETICA . 292.

Sect. I. De Dodanenſium ſacris , quae Curetica dicebantur . Ea ubi primum inventa , in quove conſiſterent . De Curetibus , Corybantibus , Idaeis Dactylis , Cabiris , Telchinibus . *ibid.*

§. 1. Videri ea quinque vocabula magis nominum quam rerum fuiſſe diſcrimina . *ibid.*

§. 2. De fonte ſacrorum Cureticorum & Corybantiorum , deque Idaeis Dactylis . *ibid.*

§. 3. De Cabiris atque Telchinibvs . 294.

Sect. II. ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΚΗ ſive interpretatio ſingulorum nominum Cureticorum . 295.

§. I. Curetum etymologia . *ibid.*

§. II. Corybantvm & Cabirorvm originatio . 297.

§. III. Idaei Dactyli & Telchines unde . *ibid.*

EXERCITATIO DANIELICA

De Muſicis quatuor inſtrumentis Danielis cap. III. memoratis : quorum oſtenditur non Graeca eſſe nomina , ſed mere Chaldaica ; ac tum inſtrumenta ipſa ,

Digitized by Google

ipſa, tum eorum vocabula poſtea ex Oriente in Graeciam fuiſſe traducta. 301.

EXERCITATIONIS PARS PRIOR

De prioribus tribus inſtrumentorum nominibus, Citharae, Sambucae, Pſalterii. 302.
I. Cithara. *ibid.*
II. Sambvca. 303.
III. Psalterivm. 304.

EXERCITATIONIS PARS ALTERA

De Symphonia inſtrumento ultimo. 307.
Sect. I. Quid ſit Symphonia Danielica, & utrum id nomen de Graeco petitum fuerit. 308.
Sect. II. Quodnam inſtrumenti muſici genus Symphonia fuerit. 309.
Sect. III. De Symphoniae Danielicae etymo. Item illud, Chaldaei ne de Graeco Symphoniae vocabulum adſciverint, an contra noſtri a Chaldaeis. 311.
Sect. IV. Symphoniae vox, quatenus inſtrumentum praecentorium notat, Graecis ignota, Latinis frequenti in uſu fuit: quocirca id nomen ſimul cum re ἀμέσως ex Oriente migrarit in Latium, Graeciâ inſciente, neceſſe eſt. 313.

A P P E N D I X

De Danielis libro ex LXXvirali interpretatione; qui olim deperditus, nunc demum in Chiſianis membranis prodiit: ex quo & ex Theodotione hîc illa tantum, in quibus organorum nomina ſunt, produeuntur. 315.
Δανιὴλ κατὰ Ο, & κατὰ Θ, ex Codice Chiſiano e regione poſiti. 316.
ADNOTATA QVAEDAM. 317.
De notis criticis Platonicorum: tum de Origenianis Aſteriſci & Obeli ſignis. 318.

PRO-

P R O L E G O M E N A

S E C T I O I.

Quo mihi pacto poſt meſſem aliorum uberrimam Spicilegium qualecumque iſtud coaluerit. Italae verſionis laus.

AB hinc annos prope quinquaginta cum in Metropolitano Capuae Capitulo Canonicum, uti vocant, Theologum agerem (cui ſcil. diebus Dominicis explanandae in Cathedrali Sacrae Scripturae munus incumbit) coepit mihi palatum novis aliquot locorum explicationibus (modo ne aberrarent a regula Fidei) quae ſponte ſe darent, inſueſcere. Atque has antea neglectas, coepi poſtea ſcripto mandare: ſed antequam eas enotarem, ne actum agerem, ex Matthaei Poli Synopſi (in qua fere omnes ſingulorum locorum expoſitiones, productae a viris eximiis, referuntur) utrum ea adnotatio ab aliis occupata [1] fuiſſet, expiſcabar: imo & poſtquam Calmeti Commentarii prodierunt, hunc etiam in conſilium plerumque adhibebam. Ergo ut inceperam, ſi quid mihi veniſſet in mentem, quod ab aliis non ante animadverſum reperirem, tum demum [non omiſſo quidem quod agebam, ſed, quantum neceſſe, intermiſſo] haec ὁδῷ πάρεργον *paucis expoſita, mandabam ſingulis foliis, invicem a ſe divulſis. Tantumdem & in hoc Gymnaſio Neapolitano feci: quo me ad explanandas Divinas Scripturas juſſa CAROLI Regis evocaverunt ab hinc annos prope triginta.*

Cûr in ſingularibus, inquis, foliis illa notabas, ac non potius, uti fit, in Codice uno compacto, & hiſce ſcriptitandis deſtinato? Quia non id tunc agebam, ut in Scripturas ex ordine commentarer, verum ut quae forte in quemlibet locum extudiſſem, ea mihi ne diſſipata perirent; atque ut haec, quae nullo ſervato ordine tunc enotaſſem, facillime poſtea in ſeriem conſuetam digeri poſſent. Quid enim facilius quam confuſam foliorum ſtruem (modo ſingulorum initio adſcriptum fuerit, ad quemnam Scripturae librum, quodve caput, capitiſque verſum ea adnotatio pertineat) ordinate diſponere? Quae commoda ab libro compacto abſunt.

Ergo proceſſu temporis, quot ſunt Scripturae libri, tot fere hujuſmodi foliorum congeries, ſuo quamlibet involucro coopertam, ad manus habebam, in quibus & nova addere & demere quaelibet, & reperire olim ſcripta primo acceſſu liceret. Haec notavi ut ſciatur, qua ratione ſim uſus ut labor mihi levior evaderet, ſimulque ut a foliis diſſolutis ordo ſeriei ſemper adhibitus perturbationem amoliretur.

Ac nequis miretur, quod Geneſim, Exodum, Evangelia, Acta Apoſtolica, Pauli non pauca, aliaque nonnulla plenius explanaverim, cum libros ceteros parce attigerim; ſciat libros priores illos quos nominavi, a me partim in Capuae Cathedrali, partim in hoc Gymnaſio Regio fuiſſe pro facultate expoſitos: ex qua ſtataria meditatione

c 2

(1) Haec cautio ideo monetur adhibita, ne, ſi quid forte horum alibi occupatum reperiatur, ut alienorum appetitor noter; nec enim libros innumeros, qui ſive jam olim, ſive quotidie prodeunt, in quibus Scripturae loca exponuntur, habere in numerato cogor ex eo metu, ne caſu aliquo in eadem veſtigia incurrerim. Imo gaudendum, ſi qua forte ab aliis ante capta me ignaro fuerint; quia tanto illa veriora habebuntur, quanto ea pluribus, inter ſe minime colludentibus, in mentem venerint. Quid plura? Haec ipſa parcitas προλεγομένων [in quibus ſeſe alii de more diffundunt] oſtendunt, mihi ab alienis laboribus manus abſtinere propoſitum.

Digitized by Google

ditatione nihil mirum ſi multo plura in eos , quos magis tractavi libros , redundarint . Habes jam , Lector , inſtituti olim mei rationem .

Nec vero hic opus eſt prodere , unde haec , quas Spicas Relictas *voco, collegerim; quia ipſae de ſe loquuntur . Ex lectione quidem veterum Eccleſiae ſcriptorum (in quibus utinam ſpatiari amplius per mea tempora licuiſſet)* Relicta *haec quantum potui , ditavi . Sed & ex profanis arceſſivi non pauca , eo plane conſilio , ut ex Aegyptiorum ſpoliis (uti loquitur Cyprianus) Dei tabernaculum exornarem . Quot & quanta in Homero , Heſiodoque aliiſque veteribus ſint , quae ad Veteris Foederis chartas elucidandas valeant , egomet pluries adhibita collatione locorum ſenſi : quorum partem in hoc Spicilegium derivavi . Sed Homerus aufert ceteris palmam : cujus dictio , ſententiae, ſimplicitas gravitate non carens, ſyntaxis non raro hebraizans, & id genus virtutes, ſaepe cum ſcriptis Hebraicis pari , paene dixerim , gradu procedunt : de quo vide Sect. ſequentem .*

Jam vero quanta ex Herodoto , eique ſupparibus aliis , quanta multo poſt ex Strabone ac ſimilibus Φιλαρχαίοις *, antiquitatis notitia ! Ad ſummam nullum vetuſtiorum ſcriptorum (maxime nativa ſimplicitate praeditorum) genus eſt , ex quo non aliquid tollas ad lucem Scripturis inferendam , modo tamen quis iis uti norit .*

Atque ea , quam tamdiu praedico , ſimplicitas (qua ſicuti nullus ad ſacra veſtienda amictus convenientior , ita nullus veritatis character vividior) mihi magnam ſemper injecerat reverentiam erga antiquiorem illam Bibliorum interpretationem , cui Italae *nomen , quaque Occidentis Eccleſiae a principio ad Magni Gregorii uſque aetatem uſae fuerant . Itaque ſicuti reſpectus erga nutricios ſolet nobiſcum ad canos uſque conſeneſcere; ita quo pacto non veneratione ſumma complectamur Interpretationem illam, quae naſcentem Eccleſiam ex alvo Matris aliquando , & ex Lavacro in ulnas excepiſſet , atque lactaſſet , diutiſſimeque nutriviſſet ? Itaque amor in Italam mihi tantus inerat , ut antequam eam Cl. Sabbaterius non parvo labore (ex artubus ſcil. diu ante disjectis , poſt anxie collectis , ac demum apte repoſitis) inſtauraſſet , eique motum vitamque infudiſſet ; ut ante , inquam , ipſe in legendis Latinis Patribus quaecumque ex Itala illa occurriſſent , quae percellerent animum , & utilem uſum pollicerentur , in adverſaria referrem . Ac nunc quidem is tantulus labor poſt Sabbaterii opus inutilis : nec memoravi niſi ſolum ad profitendum Italae amorem. Nam ne nunc quidem, fateor, caritas tanta refrixit : quod ſatis ex hoc in Geneſim Spicilegio perſpicitur . Niſi quod in his quae nunc in Geneſim prodeunt , me fuiſſe prolixiorem , & nimio in Italicam amori aliquanto indulgentiorem animadverto ; ac ſpero fore in poſterum Deo dante continentiorem , majorique judicio ac delectu in Itala producenda uſurum .*

S E C T I O II.

De Scripturarum ſimplicitate , & vicinitate Biblici Homericique Sermonis .

Si quando Graeciae mediae , Latiique ſcriptores praecipuos cum Hebraicis comparamus, nihil admodum ſimile invicem deprehendimus . Nec mirum; quia quam ſtyli culturam profani ſummo ſtudio perſequebantur , hanc ſacri ſcriptores ductu Numinis negligebant : ut omittam ingenia linguarum , Graecae nim. cultum atque nitorem , Hebraicae vero ſimplicitatem naturae pediſſequam . Tametſi , ut vere dicam , Graecia non ſemper ſui ſimilis fuit ; quia quo magis ad fontes antiquiores adimus , hoc illos naturae quam cultui & ingenio obedientiores agnoſcimus . Exemplo eſſe poſſunt duo illa lu-

mina

Digitized by Google

mina Heſiodus eoque nobilior Homerus : qui magnopere ſuâ ſe nativa ſimplicitate , & interdum affectato, quaſi dixerim, limae neglectu commendarunt . Nimirum in tota Graecia ſicuti nunc nihil his duobus antiquius , ita nihil Divinae Scripturae ſtylo vicinius licet animadvertere. Ac ſane aliquando coeperam ex Homero loca ſyntaxeos, itemque verborum atque ſententiarum talia decerpere , quae ſicuti a Graeciae conſuetudine diſcedentia , ita ingenio Hebraeorum ſimiliora putarem . Verum viae me poſtea tunc taedium coepit; nec illitas per illius temporis induſtriam ſchedas uſquam poſtea reperi : niſi quod alia poſtmodum collegi pauciſſima , quae jam guſtationis magis quam juſtae πραγματείας *inſtar inferne* (2) *expoſitum eo, nullo exquiſito ordine , niſi quem praeſcripſerit feſtinatio.*

Neminem

(2) *Homerus hebraizans , ſeu de Homericae Hebraicaeque elocutionis ſimilitudine.*

I. Ac primum cum Graecia tota vocum copia ſcateat , atque Homerus prae ceteris , hic tamen quaſi verborum inops tribus continentibus verſibus verbum Ἐρύω [*traho*] ter inculcat loco illo celeberrimo Il. VIII. a v.21. ad 24. ubi Jupiter vires jactitans ſuas , deos ita provocat : Suſpendatur , inquit , catena a terra ad caelum pertingens: cujus ſummitatem me tenente , vos dii deaeque omnes de catena pendebitis: ajo vos viribus quantis maximis me numquam in terram tracturos . Ego contra ubi voluero , ſtatim eum terra cumque mari ſurſum vos pertraham. Quid ſimplicius?

> Ἀλλ' οὐκ ἂν ἐρύσαιτ' ἐξ οὐρανόθεν πεδίονδε
> Ζῆν' ὕπατον . . . .
> Ἀλλ' ὅτε δὴ καὶ ἐγὼ πρόφρων ἐθέλοιμι ἐρύσσαι ,
> Αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ' αὐτῇ τε θαλάσσῃ .

Vides verbum ἐρύω in parvo orationis orbe ter inculcatum, ut Homero ipſi exprobrare Tullius illud ſuum poſſe videatur *Verborum inops Graecia*, ſed non vere. Homerica ita transfer:

> *Numquam traxeritis de caeli vertice deorſum*
> *Me induperatorem . . . . . .*
> *At mihi ſi quando fuerit traxiſſe voluntas,*
> *Cum terraque trabam vos ſurſum atque aequore vaſto .*

Neque illud diſſimile , quod Il. I. 436. legitur , ubi Ἐκβαίνω reperitur verſibus ſingulis , ac ſemper cum eadem tmeſi : plane ut nihil aliud videatur conatus , quam ciere faſtidium , ſed auribus delicatis , non ex priſca ſinceritate res aeſtimantibus .

> Ἐκ δ' εὐνὰς ἔβαλον , κατὰ δὲ πρυμνήσι' ἔδησαν·
> Ἐκ δὲ καὶ αὐτοὶ βαῖνον ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης·
> Ἐκ δ' ἑκατόμβην βῆσαν ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι·
> Ἐκ δὲ Χρυσηῒς βῆ νηὸς ποντοπόροιο .

Quorum interpretatio ſenſa exprimere, at non verbum idem retinere potuit .

> *Anchorae ubi jactae , retinacula conſtrinxerunt .*
> *Ac ſubito exſcenſu facto per marmoris actam ,*
> *Haud mora mactarunt jaculanti Phoebo becatomben :*
> *Nec minus undivagâ Chryſeis deſilit alno.*

II. Adhaec & illud apud Hebraeos ſcriptores frequens , quod ἀπόδοσιν (*redditionem*) ſive ἐπάνοδον *reditum* vocant , cum eadem ſcil. ſententia non exſpectata repetitur ex abundanti ad inculcandum . Sicuti Il. VII. 219. ubi totus verſus 222. eſt mera ἀπόδοσις v. 219.

> Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε , φέρων σάκος ἠΰτε πύργον ,
> Χάλκεον , ἑπταβόειον , ὅ οἱ Τύχιος κάμε τεύχων ,
> Σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος , Ὕλῃ ἔνι οἰκία ναίων ,
> Ὅς οἱ ἐποίησεν σάκος αἰόλον ἑπταβόειον .
> *Accedens Ajax fert inſtar turris ahenum*
> *Scutum ſeptemplex , Tychius quod fecerat acer ,*
> *Maximus artificum , qui in Hyla tentoria fixit .*
> *Fecit is ex tergo magnum ſeptemplice ſcutum .*

Et alibi pluries: quod apud Hebraeos crebrius.

III. Illud quoque tam in Pentateucho , quam & in Homero frequens , quod in mittendis legationibus , quibus verbis mandata exponuntur legatis , hi verbis eisdem in fungenda legatione , ne uno minus utuntur . Exempla in Scripturis , & in Homero ſunt plurima ac ſatis obvia .

IV. Jam vero vocum earumdem & hemiſtichiorum breviſſimo intervallo repetitorum utrobique exempla ψαμμοκόσια . Il. XIII. 3. 7. τρέπεν ὄσσε φαεινώ , & alibi centies : quod & in Pſalm. frequens . Adde & illud Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς millies inculcatum , aliaque locis omnibus .

V. Apud Hebraeos *Caph* [pro *ſicuti*] geminatum reſpondet particulis *ſicuti* & *ſic* . Sicuti etiam eſt illud quod apud Homerum Il. XIII. 62. 65. (& ubi non ?) ὡς duplex eamdem vim habet . Quod etiam Maro Theocritum imitatus uſurpavit :

> *Vt vidi , ut perii , ut me malus abſtulit error .*

Theocritus : ὡς ἴδον , ὡς ἐμάνην. &c.

Eodem refer & πρὶν [*antequam*] geminatum , idque ſexcenties in Homero aeque ac Hebraice .

Neminem ergo limae incuria a legendis Scripturis avocet ; quia nemo melius auctoribus illis Deo plenis , quod genus orationis cuique rei convenientius eſſet , intus docente Spiritu , tenere poterat . Et in narranda quidem hiſtoria planiorem ſequi ſtylum decebat , quia veritati narrationum haud alius amictus erat convenientior . At eosdem hoſce divinos viros fac ad Cantica , fac ad vaticinandum , aut ad invectivas animum appellere : jam nihil grandius audies canticis duobus Moſaicis , Exodi & Deuteronomii, nihil ſublimius poëſi Davidica . Imo quot Rex hic poëtarum pro argumentis characteres poëticos inimitabiles cudit ? Poſtremo [ut alia dicendi genera taceam] quis ad increpandum Iſaia ceteriſque vatibus vehementior ? Nullus futurus finis , ſi velim ſingula perſequi .

S E C T I O III.

Quam pridem BIBLIORVM appellatio in Divinae paginae peculium ceſſerit .

Divinos libros ab antiquis τὰ βιβλία (Biblia *h. e.* Libros) *appellari* κατ' ἐξοχὴν *conſueviſſe , non eſt dubium . Verum quam pridem ea appellatio in uſu eſſe coeperit , haud facile dictu eſt . Suicerus in Theſauro duos nobis Chryſoſtomi locos obtulit , quibus* βιβλία *abſolute (nam ubi adjungitur.* θεῖα *aut* ἱερὰ *&c. ea ſunt loca tritiſſima , nec quidquam habent ſingulare) pro* θείαις γραφαῖς *uſurpantur . Nam tomo 2. hom. 2. cum in eo eſſet ut demonſtraret , Judaeos Scripturam , Chriſtianos autem ſenſum Scripturae obtinere , ait :* παρ' ἐκείνοις μὲν τὰ βιβλία , παρ' ἡμῖν δὲ τῶν βιβλίων ὁ θησαυρὸς · παρ' ἐκείνοις τὰ γράμματα , παρ' ἡμῖν καὶ τὰ γράμματα καὶ τὰ νοήματα. Apud eos quidem ſunt Libri (Graece *Biblia*) apud nos vero librorum theſaurus : apud illos ſunt litterae , apud nos non tantum litterae , ſed & earum ſenſus . *At illuſtrior alter eſt locus hom. IX. in epiſt. ad Coloſ. pag.* 137. Ἀκούσατε , παρακαλῶ , πάντες οἱ βιωτικοὶ , καὶ κτᾶσθε βιβλία , φάρμακα τῆς ψυχῆς · εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε , τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε , τὸν Ἀπόστολον , τὰς Πράξεις , τὰ Εὐαγγέλια , διδασκάλους διηνεκεῖς . Audite, quaeſo vos laici, parate vobis βιβλία , animae medicamina ; ſi nullos alios comparare libros vultis , at Novum ſaltem Inſtrumentum , Apoſtolum , Acta , Evangelia , doctores perpetuos adipiſcimini .

Pulcherrima quidem haec loca ſunt , ſed quinti ſaeculi . Videamus porro an reperire antiquiora liceat . Ac plane licet . Nam in Clementis Conſtitutionibus (quas haud ſerius altero Chriſti ſaeculo ſcriptas plerique doctorum virorum volunt) Βιβλίον *per excellentiam Codicem Scripturarum notat lib. VI. cap. 27. Ibi enim cum obſervationes Judaicas inſectaretur , ſic incipit :* Siqui vero ſuperſtitioſa obſervatione , cuſtodiunt ritus Judaicos , puta ſeminis fluxus , pollutiones in ſomno , legitimos concubitus ; dicant utrum horis aut diebus , quibus quidpiam horum patiuntur , a precibus abſiſtant (ἢ βιβλίου θίγειν) aut a tangendo LIBRO (*nempe Divinae Scripturae ; nam a ceteris libris legendis nec ſeminis fluxus , nec legitimi concubitus apud Judaeos impediebant : pergit*) ac ſi fateantur ; patet , eos Spiritu Sancto , qui ſemper cum fidelibus manet , vacuos eſſe . *Quo loco* βιβλίου θίγειν (Librum tangere) *non craſſe de mero tactu corporeo accipiendum eſt , ſed de tactu ſpirituali h. e. de Divini Codicis lectione : quod arguit illud , quod poſt medium capitis infra legitur :* μὴ προσευχομένη , μηδὲ ἀναγινώσκουσα , Non orans , neque legens . *Hic enim* τὸ Legens *reſpondet ſuperiori illi* βιβλίου θίγειν , librum tangere .

Poſtremo ſi etiam ex Divino Codice auctoritatem quaeras , dabo illud Pauli 2.

ad

Digitized by Google

ad Tim. IV. 13. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas. *Haec ultima Graece ita concipiuntur,* καὶ τὰ βιβλία, μάλιστα τὰς μεμβράνας. *Vbi quid grammatice inter* βιβλία libros, *interque* membranas *interſit, ſiquis a me interroget, reponam priore verbo notari papyros Aegyptias jam ante ſcriptas atque involutas, & in pluteis repoſitas: Membranas vero intelligi pelles ovillas nondum ſcriptas, ſed puras, ad epiſtolas aliudve ſcribendum comparatas. Ne dubites ergo hic* Biblia *ſive* libros κατ᾽ ἐξοχὴν *eſſe Scripturarum Sanctarum libros. Nam quid aliud librorum Paulus circumferret praeter Divinos, ſibi ac recens converſis utiliſſimos ac neceſſarios?*

Atque haec ſatis eſſe ad ſuadendum poterant, niſi illud etiam ſuccurreret, quod apud Hebraeos Sacer Scripturae codex haud aliter quam ספר Sepher *i. e.* Liber *appellabatur: unde in Judaeorum Scholis* Beth ſepher *ſive* Domus libri *a domo Thalmud diſtinguebatur. Apud Arabes etiam Alkoranus non aliter quam abſolute* Liber (*Arabice* Almushaph) *nuncupatur.*

Quid quod idem mos gentilibus philoſophis fuit? quippe apud eos libri Platonis (idemque de ceteris ſectarum conditoribus poteſt intelligi) abſolute τὰ βιβλία *aut* τὸ βιβλίον *a Platonicis dicebantur. Vide Porphyrium in vita Plotini apud Fabricium to. IV. Bibl. Graecae pag.* 115. *Qui locus viſus eſt mihi ſubtilior, quam ut huc inferretur ſine comite aliquo commentario. Ceterum non tanti iſthaec profana mihi viſa, ut pro iis intelligendis me ſimul atque lectores acutis commentationibus delaſſarem. Ergo exemplo Judaeorum & Chriſtianorum, etiam philoſophorum ſcholae ſingulae, ſectarum ſuarum conditores honore tanto proſequebantur, ut ipſorum commentaria vocarent abſolute* Libros.

S E C T I O IV.

De Judaico librorum Scripturae canone.

Duos & viginti libros in ſuo Canone numeraſſe Judaeos, conſtat ex Joſepho in I. contra Apionem, ex Origene apud Euſebium in VI. Hiſt. 23. *& ex aliis. Nae illi potuiſſent [iiſdem libris, ne uno minus, in Canonem receptis] tamen numerum illum XXII. augere aut minuere, prout libros copularent disjunctos, aut cohaerentes diſpeſcerent, ſicut & alicubi factum. Cur ergo eo numero ſunt delectati? Non alia omnino de cauſa quam quia totidem in alphabeto ſuo litteras numerabant.*

Nam fuit hoc ſollemne veteribus criticis, ut in recenſendis alicujus clari auctoris libris, κατὰ στοιχεῖον *illos recenſerent & inſcriberent. Qui Homeri Rhapſodias primi in libros partiti fuerunt, pellecti numero Graecorum elementorum, in utroque poemate parem ſuo Alphabeto numerum ſecuti fuere. Theophraſti* Νόμων κατὰ στοιχεῖον κδ΄, *h. e.* Legum libros quatuor & viginti (*quot ſcil. in alphabeto Grajo litterae*) *habes apud Laërtium V.* 44. *Sed & idem Laërtius V.* 26. *ubi Ariſtotelis memorat* Φυσικῶν κατὰ στοιχεῖον βιβλία λή, *Caſaubonus reſcribendum putat* κδ΄. *Rationem autem inſcriptionis jam ante tradens Caelius Rhodig. XVII.* 17. *ſcripſerat:* Ariſtoteli . . . tria philoſophiae munia ſuſcepta pertractataque ſunt, phyſicum, methaphyſicum, morale: ſed ita ut alphabetis tribus omnia ſit complexus. Nam phyſicorum libri elementa implent omnia. *Id quod ſubductis rationibus mox oſtendit, ac poſt ait:* Huic vero ſententiae vetus ſuffragatur attitulatio, in qua more Homerico ita enotabatur librorum ordo, ut Phyſicorum diceretur Alpha, qui primus; Beta qui ſecundus; & deinceps. *Quam rationem in Moralibus itemque in Metaphyſicis obſervatam, mox idem demonſtrat. Eam tamen* ἀκρίβειαν *Tyrannioni, aut Andronico Rhodio,*

qui

qui Stagiritae ſcripta digeſſit in πραγματείας *, aut demum cuivis alteri poſteriori critico , quam ingeniorum illi coriphaeo , malim equidem adſcribere . Circiter haec ergo tempora ; quibus apud Graecos alphabeti litterae librorum initiis praefigebantur (ſed ita ut Alphabetum aequaret librorum numerum) paria ab Judaeis fiebant . Etſi Judaeiſne Graeci , an contra , praeiverint , non habeo dicere .*

Nolo id omittere quod Epiphanius Haer. LXVI. num. 13. *de Manetis libris ita memorat :* Libros varios edidit , quorum unus viginti duas in partes diſtributus eſt , Alphabetica ratione , pro litterarum ſcil. quibus utuntur Syri numero. *Deinde nequis miretur , hominem natu Perſam Syris litteris uſum , adnotat id Perſis in more fuiſſe , ſicuti & populos plures non Graecos litteris uti Graecis ait . Quae ſane periocha ab Epiphanio interjecta , eget* (3) *declaratione nonnulla . In fine habet :* Hinc eſt quod hic Manichaei liber totidem in ſectiones (*quot ſunt elementa Syrorum , nim. duo & viginti*) partitus viſitur . Atque ejus inſcriptio talis eſt *:* MANICHAEI MYSTERIA .

Haud prorſus diſſimile illud eſt , quod cum Herodotus , ſive potius Herodoti poſtea admiratores , ejus libros Muſarum nominibus inſcripſiſſent ; eamdem ambitioſam inſcriptionem ſibi poſtea arrogarunt quicumque ferme quacunque de re libros numero novem edidiſſent , uti Bion Rhetor , Aurelius Opilius (de quo Suet. Ill. Gram. cap. 6.) Cephalion Gergethius: de quibus vide Voſſium in Hiſtoricis Gr. I. 3. Adhaec M. Antoninus Aug. novem ſua capita quaedam ad iram compeſcendam pertinentia., veluti totidem dona Muſarum , mente retineri jubet . Heracliti phyſici opus , Muſas *olim dictas Laertius IX.* 12. *teſtatur . Et plures arbitror exemplum Muſarum Herodoti fuiſſe ſecutos .*

(3) Poſt illa quae adſcripſi, apud eumdem Epiphanium ita ſequitur: Χρῶνται γὰρ οἱ πλεῖστοι τῶν Περσῶν . .. *Nam plerique Perſarum praeter elementa Perſica* [καὶ τῷ Σύρῳ γράμματι] *etiam Syrorum litteris utuntur , quemadmodum apud nos innumerae gentes litteras Graecas adhibent : tametſi ſingulae fere ſuas ac proprias habeant .* Sicuti in Fabretto, Reineſio & aliis occurrunt non pauca marmora Graecis ſcalpta litteris, Latino vero ſermone, & alia viciſſim Latinis characteribus , ſed Grajo idiomate Vide de his Fabrettum p.390. 465. 579. & 756. in fine . Haec de Graecis Latiniſque . At quod Perſae Syris, teſte Epiphanio , litteris ſua Perſica ſcriberent , id videtur de iis characteribus Syris capiendum , quos Maronitae aliique Syri *Carſciunicos* nominant. His enim uti amant cum primis Maronitae , ſoliti Arabica charactere *Carſciunico* (qui Syrus eſt) exarare : de quo *Carſciunico* videſis V. C. Evodium Aſſemanum in Actis MM. Syriacis , quae nunc ad manus non habeo , ſed olim verſaveram .

Quae ſtatim Epiphanius de Palmyrenorum lingua ac litteris addit , eo conſilio adſcripſiſſe videtur , ut ſimul moneat , Manetis (περὶ πίστεως) *de fide* librum , Palmyreno ſermone (qui Syris eſt ſelectiſſimus) fuiſſe ſcriptum , & , quia τμήματα *ſectiones* XXII. continebat (ἰσαρίθμως ſcilicet alphabeto Syro) idcirco Manetem Judaicum Canonem imitari voluiſſe in hoc ſuo libro : qui quidem περὶ πίστεως , aut Μανιχαίου μυστήρια inſcribitur .

Antequam hinc abeo , nolo omittere , quod ibidem Epiphanius Palmyrenam dialectum , βαθυτάτην (quod Petavius reddit *reconditiſſimam*) vocaverit . Ac ſane gratulor , quod his noſtris temporibus licuerit ſolertiſſimis viris ex Palmyrae ruderibus & informationem ichnographiae Palmyrenae urbis extundere, & marmora plurima Palmyreno ſermone inſcripta colligere , Latine reddere , & in publicum edere . Non ſine ingenti gaudio aliquot horum interpretatione donata legi , praecipue quaedam ab erudititiſſimo & amantiſſimo viro , Domino de Barthelemy (Regis Chriſtianiſſimi antiquario, Pariſinae vero Academiae Philologicae Socio) ita pulchre & ad evidentiam enarrata , ut nihil ſupra . Non vacavit chartas excutere , ut modo laudatum libellum inventum relegerem .

SPICI-

SPICILEGIVM OBSERVATIONVM LITTERALIVM IN GENESIM

DISQVISITIO DE TITVLO LIBRI GENESIS

PARS PRIOR

Quis auctor ejus tituli fuerit: quave de cauſa inventus, ob genealogias ne patriarchales, an ob Mundi Geneſim primo ipſo capite expoſitam. Hoc alterum verum oſtenditur.

GENESIS] Ex LXX Senum exemplaribus haec inſcriptio libri hujus (1) manavit, ſive Seniores ipſos auctores habuerit, ſive Graecos deſcriptores, qui aetati interpretum illorum ſuccreverunt. At videtur eumdem titulum imitari voluiſſe Matthaeus ita inſcribens: Βίβλος γενέσεως Ιησοῦ Χριστοῦ, *Liber generationis Jeſu Chriſti*. Quod ſi forte a me quaeras, qua de cauſa ita inſcriptus hic liber Moſaicus fuerit (miſſa opinione illa, quae lemma hoc ad τὸ γενεαλογικὸν (2) rejicit) magis eſt ut Philoni credam, initio libri de Abrahamo in hunc modum ſcribenti: Ἡ πρώτη (βίβλος) καλεῖται καὶ

ἐπι-

(1) Hujus tituli aut LXX. ipſos auctores primos eſſe habendos ajo, aut ſuppares alios, qui in LXX. deſcribendis congruos libris ſingulis titulos, puta, Γένεσις, Ἔξοδος &c. de ſuo praefixerunt. At epigraphas iſtas poſtea Graecae omnes Latinaeque translationes ſunt ſecutae. Ceterum Judaei in ſuis Bibliis non alias uſurpant librorum ſingulorum nomenclaturas, quam primam in ſingulis libris vocem. Geneſim verbi cauſa ipſi בראשית *Bereſcith* h.e. *In principio* vocant, nec aliter ceteros libros inſcribunt. Sed ad textum LXXviralem redeo. Hujus duo ſunt primae vetuſtatis manu exarata exemplaria, Vaticanum unum, alterum Anglicanum quod Alexandrinum vocant. Ex Vaticano ſua expreſſa eſſe volunt tam Polyglottor. Londinenſium curatores, quam Graeca editio Lamberti Bos: tamen in Boſiana editione titulus ΓΕΝΕΣΙΣ viſitur, eodem vero Polyglotta modo dicta carent. Etſi plenior in Alexandrino titulus ita concipitur, ΓΕΝΕΣΙΣ ΚΟΣΜΟΥ. Quod lemma cum Philone ſupra laudato, cumque Clemente Alex. & Theophilo Antiocheno laudandis, imo & cum aliquot gentilibus, uti dicetur, conſentit.

(2) Si qui forte ita putarunt (nec enim memini) ea ratione ducti videntur quod cap. X. & XI. pertexantur Genealogiae primum ab Ada ad Noachum, deinde ab hoc ad Abraham uſque, praeter alias breviores generum deductiones. Huic interpretationi illud favere poteſt, quod Matthaeus (cujus Evangelium βίβλος γενέσεως &c. h. e. *Liber gener. Jeſu Ch.* inſcribitur) non alia id cauſa fecit, quam quia primo ſtatim capite generis filum ab Abrahamo ad Chriſtum perduxerit.

Digitized by Google

ἐπιγράφεται Γένεσις, ἀπὸ τῆς τȣ͂ κόσμȣ Γενέσεως, ἣν ἐν ἀρχῇ περιέχει, λαβȣ͂σα τὴν πρόσρησιν· καίτοι μυρίων ἄλλων ἐμφερομένων πραγμάτων. *Primum* (volumen) *vocatur & inſcribitur Geneſis, a mundi creatione ſumpto vocabulo* (locus apprime (3) notandus) *quam principio continet: etſi in opere reliquo ſexcenta alia inſerta ſint negotia*. Atque ipſi Seniores ſui tituli ſunt interpretes Gen. II. 4. ubi ajunt: ἄυτη ἡ βίβλος γενέσεως ȣ̓ρανȣ͂ καὶ γῆς. *Hic eſt Liber generationis caeli & terrae*. Ubi τὸ *Liber* de ſuo adnumerant, cum in Hebraeo & veteribus translationibus ſit, *Hae ſunt generationes caeli & terrae*. Ceterum hunc titulum etiam ab antiquis philoſophis uſurpatum reperio, quandoquidem ἡ τȣ͂ παντὸς γένεσις Pythagoricis dicebatur, quantum conjicio ex Archytae epiſtola ad Platonem apud Laertium VIII. 80. qua ſcribit accepiſſe ſe ab Ocelli nepotibus ſcripta ejus περὶ νόμȣ &c. & τῆς τȣ͂ παντὸς γενέσιος. Ad haec περὶ κόσμȣ γενέσεως ſcripſerat librum Ariſtoteles, teſte ſcriptore vitae ejus a Menagio editae.

Vetuſtatem vero hujus LXXviralis inſcriptionis Clemens Alex. in VI. Strom. oſtendit, ubi opus ſuum περὶ γενέσεως κόσμȣ memorat: quod aliud non fuit quam in Moſis Geneſim commentarius, auctore Euſebio VI. Hiſt. eccl. 13. ubi de Clementis ςρωματεῦσιν ait: ὑπισχνεῖται δ᾽ ἐν αὐτοῖς καὶ εἰς τὴν Γένεσιν (ſupple ex Clem. ipſo, Κόσμȣ) ὑπομνηματιεῖσθαι. *Pollicetur autem in iis* (Stromaton) *libris, ſe etiam alicubi in Geneſim* (mundi) *commentaturum*. Poſtremo teſtis locupletiſſimus S. Theophilus Antiochenus accedat, apud quem pag. 105. edit. Pariſ. memoratur Moſis Βίβλος, ἥτις ἐπιγράφεται Γένεσις κόσμȣ, hoc eſt, *Liber qui inſcribitur Geneſis Mundi*. Ergo ex collatis hiſce Theophili & Clementis locis, itemque ex MS. Alex. Geneſeos, jure quis conjecerit, olim integram hujus libri epigraphen fuiſſe Γένεσις Κόσμȣ, quae contractius poſtea Γένεσις appellata fuerit: idque non refragante Philone, quem ſupra laudavi, dum ἀπὸ τῆς τȣ͂ Κόσμȣ Γενέσεως libro huic Moſaico conciliatam appellationem fatetur. Habes quid ſibi velit hic titulus Γένεσις: idem plane, quod apud antiquos Κοσμογονία, Κοσμοποιΐα & ſimilia.

Liber Genesis] Eorum, quae hoc libro narrantur, veritas humanis etiam rationibus ex eo probari ſolet, quod Moſes paucis admodum aetatibus (uti tunc μακρόβιοι mortales fuere) ab Adamo ac rerum exortu abfuit; ut, ſi nihil praeterquam

(3) A mundi, inquit, creatione, quam ſtatim principio exponit, adſcito nomine. Ex quibus intelligimus, duabus de cauſis, eum librum Γένεσιν fuiſſe dictum, primum quod in eo mundi Γένεσις exponatur, deinde quia primo ſtatim capite ea enarretur, quamvis toto poſtea libro ad alia Moſes digrediatur. Ita Matthaeus in ipſo libri limine Chriſti genere ab Abraha ad ipſum perducto, quamvis poſtea per alia prorſus vagetur, tamen Βίβλον γενέσεως Ἰησȣ͂ Χριςȣ͂ inſcripſit. Is enim interdum mos Divinis ſcriptoribus fuit, ab exordio narrationum inſcriptiones libris arceſſere; ſicuti a LXX. conſtat non tantum in Geneſis, verum & Exodi & Numerorum titulis eſſe factum. Ceterum etſi tum Moſes (apud LXX.) tum Matthaeus, ſuis libris Γένεσιν fecere nomen, tamen diverſa uterque notione fecerunt. Matthaeus enim Γενέσεως nomine Chriſti nativitatem accepit: at Seniores longe alio ſenſu Γένεσιν eum inſcripſere librum, nempe ut Γένεσις non aliud intelligatur, quam Κοσμογονία aut Κοσμοποιΐα (*Mundi creatio*) quae primo ſtatim ejus libri capite narratur. Nec enim aliter Moſaicum Γενέσεως vocabulum quam pro Κοσμογονίᾳ a gentilibus acceptum fuiſſe, ex Galeno oſtenditur: a quo (tom. I. edit. Baſileenſis p. 494.) quam nos Γένεσιν dicimus, hanc Φυσιολογίαν vocatam reperio. In hoc enim Moſis Φυσιολογίαν reprehendit, quod omnia Divinae potentiae tribuerit, Deum verbo tantum omnia procreantem inducens, ut *Fiat lux, Fiat firmamentum*.

terquam humanam fidem ſpectare velimus, Moſes in hac πατροπαραδότῳ hiſtoria nec falli ipſe, nec imponere impune quiverit ſuis aequalibus, quibus hujuſmodi narrationes tritas fuiſſe oportet, ut qui eas a majoribus iiſq. mundi exordio propioribus didiciſſent. Apposite Cicero Tuſc. I. 12. *Quae* (antiquitas) *quo propius aberat ab ortu & divina progenie, hoc melius ea fortaſſe, quae erant vera cernebat*. Quae verba ſatis appoſite tum Κοσμογονίας Moſaicae veritatem oſtendunt, tum & ad totam ſeriem hiſtoriarum, quae Pentateucho continentur, firmandam valent.

His accedit & profanorum ſcriptorum, & quidem vetuſtiſſimorum, auctoritas, qui non tantum origini mundi Moſaicae, ſed & toti Pentateuchi hiſtoriae concinunt. Quod cum & Grotius lib. 1. *de ver. relig.* & Huetius in *Dem. Ev.* & alii plures demonſtraverint; nos omiſſis iis, quae jam alii occuparunt, duo tantum eximia antiquitatis monumenta ab aliis praeterita, quibus Moſaica Mundi Geneſis confirmatur, hîc brevi diſcutiemus.

PARS ALTERA

Quo pacto ex Moſaica Coſmopoeia profani ſive ſtricturas aliquot in ſua ſcripta transfuderint, ſive eamdem in totum prope tranſcripſerint.

SECTIO I.

De Orphica Mundi creatione parum a Moſe aberrante.

SCINTILLAS Moſaicae Coſmogoniae micare aliquot primum in Heſiodi Theogonia, deinde in Orphicis carminibus, Ariſtophanis avibus, aliiſque tum poëtarum tum philoſophorum ſcriptis, nemo ignorat; eorumque locorum plena manu Grotius lectiſſima quaeque collegit lib. I. de *Ver. Relig. Chriſt.* in adnot. ad cap. XVI. At quid micas colligimus, cum duo exſtent Moſaicae totius κοσμοποιίας inſignia ſpecimina, unum ex Orphica theologia, alterum ex Tyrrhenica παραδόσει ad nos uſque tranſmiſſum? Ac me valde delectat, quod tam Orphicum quam Tyrrhenicum ἀπόσπασμα (*fragmentum*) in paucioribus nonnullis a Moſe diſcrepat, ut facile ab utroque fraudis ſuſpicio avertatur. Nam ſi in Chriſtianorum gratiam ea ab auctoribus ſuis ſcripta fuiſſent; certe aut in pleriſque, aut in primariis ſaltem capitibus, eum Moſe per omnia colluſiſſent.

Ab Orphico oraculo ordiar, quod tum apud Suidam in Ορφεὺς, tum fuſius in Jo: Malela lib. IV. & Cedreno (quorum uterque ex fide neſcio cujus Timothei eiſdem verbis attulere), inſertum reperies. Sed cum Scaliger hoc Orphicorum fragmentum inter Graeca chronica monumenta (quae Euſebii Chronico ſubjecit) ex Cedreno, ut ipſe in notis pag. 241. profitetur, Graece retulerit; indidem ego (h. e. ex Cedreno, ſed prout a Scaligero correctum non raro fuit) huc Latino ſermone afferam.

Ex (4) *Timotheo chronographo de Mundi conditu.*

Gedeonis (Judicis Iſraëlitarum) *aetate fuit Orpheus Thrax, lyricus, Odryſius, ſapien-*

(4) Hic titulus auctorem habet Scaligerum. Ἐκ Τιμοθέου &c. Nec temere Scaliger ita inſcripſit, quia ex fine conſtat, haec quae ſequuntur, omnia ex Timothei chronographi commentariis deſcripta afferri. Sed & quae Suidas in Ορφεὺς (& quidem eiſdem prope verbis, ac Malelas, & Cedrenus) produxit, non niſi ex eodem Timotheo manaſſe, neceſſe eſt.

Atque

ſapientiſſimus ac celeberrimus poëta . Is Theogoniam , Mundi creationem , hominumque formationem expoſuit , praefatus operis initio , nihil ſe de Deo , Mundique creatione ſuopte ductu ſcripſiſſe , ſed ſeſe ex Phoebo Titane Sole quaeſiviſſe , unde divinum genus exſtitiſſet , mundique creatio . Exſtant enim in ejus , quam dixi , Expoſitione hi verſus (5) .

Ὦ ̓νὰξ Λητοῦς υἱ' ἑκατηβόλε , Φοῖβε κραταιὲ ,
Πανδερκὲς , θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ἀνάσσων ,
Ἥλιε χρυσείαισιν ἀειρόμενε πτερύγεσσι ·

Δωδε-

Atque hujus Timothei tempus in obſcuro eſt . Sed tamen ſub Caeſaribus Byzantinis floruiſſe videtur . Ab eo enim tempore *Chronographorum* munus increbuit , h. e. eorum , qui non ſatis rite ſe ſcripturos hiſtoriam ſperabant , quam ſi eam a mundi uſque exordio pertexerent . Hi enim ſoli *chronographi* vocabantur , & eorum opus legitimae *chronographiae* merebatur nomen . Ac fuit quidem ſub Anaſtaſio Aug. Timotheus Gazaeus quidam apud Suidam : verum huic nullum hiſtoricum opus , ſed poëtica duo tribuuntur . Idem *Grammaticus* a Suida vocatur . Nec ſane a grammatici officio abludit illud , quod Orphicam Theogoniam & Coſmopoeiam διὰ ποιητικῶν ςίχων (*poëticis verſibus*) decurriſſe dicitur . Ita in Malela & in Cedreno diſerte legitur . Ea vero ſubtilitas grammaticum auctorem prodit . Voluit enim proſae orationis verſus (quos antiqui in numerato habebant in libris omnibus , ita ut ſinguli Ciceronis libri certo conſtarent verſuum numero , & ita in ceteris : nec aliter in Evangeliis ceteriſque Bibliis) voluit ergo proſae verſus a *verſibus poeticis* diſtinguere , qui tamen ſoli antiquitus peculiariter *verſus* dicebantur . . Etiam in fine , ubi verſus Orphicos de hominum miſeriis producturus erat , de auctore Orpheo legitur : ἐξέθετο ποιητικῶς ςίχους πολλοὺς . *Protulit poetice verſus multos* . Ne quis forte ſcil. ab Orpheo exſpectaret proſam per verſus deſcriptam . Hic ergo fragmenti noſtri character Timotheum *grammaticum* a Suida memoratum valde decuiſſet , ſi eumdem *chronographi* titulo (qui in illuſtri hoc fragmento quod recitavimus , tam apud Malelam , quam apud Cedrenum reperitur) vulgo fuiſſe inſignitum oſtendi poſſet . Atqui hoc etiam praeſtabimus , modo ſtatuamus , haud alium illum , qui *Grammaticus* Suidae dicitur , ab eo fuiſſe , qui alibi apud Malelam (h. e. prope ab initio lib. XVIII.) Timotheus ὁ χρονογράφος non ſemel cum Clemente & Theophilo item *Chronographis* laudatur ; ubi ex eorum chronicis colligi ait , ab Adamo ad ſecundum Juſtiniani conſulatum decurriſſe annos (ex Graecorum ſcil. calculis) 6497. Itaque pro explorato ferme habeo , hunc Timotheum , qui in hoc de Orphei Coſmopoeia fragmento ὁ χρονογράφος inſcribitur , eumdem fuiſſe ac eum , qui a Malela lib. 18. item *Timotheus* ὁ χρονογράφος vocatur ; nec porro fuiſſe alium a Gazaeo Theophilo *grammatico* apud Suidam (qui ſub Anaſtaſio floruiſſe docetur h. e. ineunte VI. ſaeculo) certe quia , uti ſupra conjeci , ſe ſatis in hoc fragmento peritum grammaticum in appellatione ςίχων ποιητικῶν probat , nempe πρὸς διαςολὴν proſae verſuum.

(5) Hos verſus , prout a Scaligero purgati ab interjectis Malelae & Cedreni interpretamentis fuere , huc eo conſilio attuli , ut ea correctio Malelam & Cedrenum poſthac lecturis praeferat facem . Sic enim habeto . Cedrenus ita hoc Orphicorum initium attulerat , ut verſibus ſingulis interpretamenta quaedam insereret . Atqui ſcholia iſta male cum Orphicis confuſa Xylander (interpres Cedreni) nactus , omnia pro verſibus corruptis habens , verſus vere Orphicos (qui non plures quinque) reddidit octo Latinis , quia etiam Scholiaſten Cedrenum pro vate Orpheo habuit . At Scaliger ad Euſebii chronicon verſus tantum quinque adnumeravit , quos ex faece illa ſcholiorum exemit . Ac ſane acute vidiſſe virum κριτικώτατον , comperi ex Malelae (qui Cedreno multo vetuſtior , diu tamen poſt Cedrenum in lucem prodiit) chronographia . In hac enim illis omnibus , quae Orphicis inſeruntur , praeſcribitur Ἑρμηνεία , *Interpretatio* . Hac luce adjutus , verſus tantum quinque illos , a quibus Orphica κοσμογονία orditur (abjectis Malelae interpretamentis) tum Graece ex Scaligero , tum etiam Latine redditos attuli .

Ac nunc demum intelligo , cur quotquot viderim de Orphica Mundi creatione agentes , ii omnes laudent quidem celeberrimum hoc Orphicorum initium , non tamen adſcribant , ſed ad Cedrenum lectorem ablegent . Qui enim id adſcriberent , quod Augiae ſtabulo foedius ?

Digitized by Google

Δωδεκάτην δὴ τήνδε περί σευ (6) ἔκλυον ὀμφὴν
Σεῦ φαμένη· σὲ δέ γ' αὐτὸν, ἑκηβόλε, μάρτυρα θείην.
Latonâ ſate Phoebe potens, jaculator ab alto,
Cuncta videns, hominesſque ſimul divoſque gubernans,
O Sol, auratis qui ſurſum attolleris alis,
Ecce duodecimus mihi te nunc ſermo loquente
Auditur. Temet mihi teſtem afferre liceto.

Sed & alios plures Orpheus eâdem de re verſus fudit: vel ex iis tamen quos retulimus, indicat, ſeſe voti compotem factum, quae (ex Phoebo *) de divûm* (7) *genere & Mundi conditu audiviſſet, ea litteris conſignaſſe. At verſus reliqui propter multitudinem* (8) *omiſſi fuerunt. Verum inter cetera haec Vates canit: principio Aetherem a Deo fabricatum in Mundo apparuiſſe: ab utraque vero Aetheris parte fuiſſe Chaos, & Noctem caliginoſam, qua quidquid infra Aetherem eſſet, occuleretur. Per quod vates ſignificat* (9) *noctem ceteris fuiſſe priorem. In eadem expoſitione affirmarat, eſſe quemdam incomprehenſibilem omnibusſque rebus ſuperiorem & antiquiorem, & rerum omnium conditorem, tum ipſius aetheris, tum omnium quae infra aetherem: terram vero prae tenebris fuiſſe* (10) *inviſibilem: ſed lucem aethere a ſe perrupto, omnia condita illuminaſſe: per id ſignificans, per lucem illam id plane intelligi, quod omnibus rebus ſuperius ante dixerat. Atque hujus lucis nomen oraculo ſibi fuiſſe revelatum, idem Orpheus edidit,* nempe Μῆτις *(cujus interpretatio* (11) Conſilium) Φῶς (Lumen) Ζωοδοτὴρ (Vitae-dator). *Ac praeterea in eadem ſua expoſitione dixit, tres haſce divinas Nominum (δυνάμεις) Virtutes, unam eſſe Virtutem, unamque potentiam, hoc* (12) *eſt Deum, quem nemo videt, ejuſque virtutis ſpeciem aut naturam*

(6) Retinui περί σευ, ut in Cedreno eſt (niſi forte mavis, περὶ σέο) nec enim in Malela recte eſt, παρὰ σεῖο, quia ſequitur Σεῦ φαμένη. At illud Cedreni ἐμφατικὸν: *Audivi de te* (inquit) *& quidem temet revelante*. Scaliger pro his poſuerat πυρισσόον: quae vox a Stephani Theſ. abeſt, ſed videtur eam Scaliger alicubi reperiſſe. Sed περί σευ mutari non oportuit.

(7) Tam in Malela quam in Cedreno hoc loco eſt θεογονίαν: quod non tantum recte ſe habere omnes putarunt, verum etiam ex hoc Suidam emendandum eſſe voluerunt. In Suida enim in Ὀρφεύς (ubi hoc totum Timothei fragmentum, auctore non laudato, tranſcribitur) pro θεογονίαν eſt θεογνωσίαν: ubi viri doctiſſimi θεογονίαν reponi ex Timothei fragmento jubent. Quid ſi contra ex Suida corrigendum eſſe hoc fragmentum contendam? Nec enim Deorum generatio hîc ab Orpheo docetur, verum θεογνωσία, *Dei veri cognitio*, & κόσμου κτίσις, *Mundi creatio*. At contra Heſiodi poëma quam vere *Theogonia* inſcribatur, totus ille liber oſtendit.

(8) Ex his intelligitur, aetate Timothei chronographi (ex quo Malelas, ac deinde Cedrenus haec deſcripſerunt) Orphicae coſmopoeïae exſtitiſſe poema integrum: ſed Timotheum pigratum cetera deſcribere carmina, eorum tantum ὑπόθεσιν adſcripſiſſe: etſi in fine de hominum miſeriis (in quas illos Adae contumacia compulit) alios aliquot verſus adjungit. Ergo Malelas & Cedrenus αὐτολεξεὶ haec ex Timotheo ipſo deſcripſerunt, ſicuti & in aliis totidem verbis ſolent. At vero Timotheus ex ipſo Orphico fonte hauſerat.

(9) Sicuti diſerte in Moſis ἐξαημέρῳ legitur.

(10) Illud γῆν ἀόρατον ſunt ipſiſſima LXX. Senum verba Gen. I. 2. Pro magno haberem ſi in ipſis Orphicis ita fuiſſet. Sed facilius eſt, ex Timothei vena eas duas fluxiſſe voculas.

(11) *Metis* in aliis pluribus Orphicis celebratur. Proclus ad Alcibiadem priorem in Ms. hunc hexametrum ex Theologo (ſic enim Orpheus a Platonicis κατ' ἐξοχὴν vocabatur) ita affert:

Καὶ ΜΗΤΙΣ πρῶτος γενέτωρ, καὶ Ἔρως πολυτερπής.
METIS, qui primus genitor, dulciſque Cupido.

(12) Ipſiſſimum Trinitatis myſterium huic Orphicorum auctori (ſive ſit Onomacritus, ſive alius eo recentior) tam clare patuiſſe, aegre crediderim. Multo facilius eſt, haec in Orphicis

naturam nemo valet cognoſcere : at interim ex ea virtute orta fuiſſe univerſa , tum incorporea principia , tum ſolem & lunam & horum (13) *poteſtatem , tum ſidera omnia , terramque & mare , & quaecumque in his ſive ſub viſum cadunt , ſive minus. Hominum porro genus ab ipſomet Deo de terra formatum narrat , a quo eos animam ratione praeditam accepiſſe , non ſecus ac Moſes expoſuit . Atque idem Orpheus in ſuo libro ita plane conſtituit , per eadem tria illa Nomina* (nim. Βȣλὴ , Φῶς , Ζωοδοτηρ) *unius Deitatis , facta fuiſſe omnia , Deumque ipſum eſſe omnia . Porro de genere humano tot calamitatibus implicito Orpheus idem plures verſus edidit , ex quorum numero ſunt qui ſequuntur ,*

Sequentes Orphici verſus tum in Cedreno tum in Malela valde inquinati ſunt : at gradiens per eorum veſtigia Scaliger ſex hexametros ſatis commodos reconcinnavit , per quos mentis humanae mala (h. e. uti nobis interpretari libet, originalis noxae vulnera) potiſſimum deſcribuntur . Quibus libens abſtinui .

Poſtremo ita Malelas itemque Cedrenus deſinunt : *Aliaque plura carmina de hominum genere idem ſapientiſſimus Orpheus fudit . Haec Timotheus* (14) *chronographus conſignata reliquit , ſimul animadvertens , Orpheum tam multis retro ſaeculis pronuntiaſſe , Trinitatem conſubſtantialem* (vide ſupra illud *Tres Virtutes unam eſſe Virtutem* &c.) *univerſa creaſſe* .

Hactenus Timothei ſatis illuſtre fragmentum . Nunc ſcire libet , primum quid de Orphicis , deinde quid de Timothei fide judicioque ſit ſentiendum . Ab Orphicis carminibus incipio : quae tametſi certum eſt , non tantum Gedeonis aetate, ſed & Troicis temporibus longo intervallo eſſe recentiora; tamen vel ſic ſatis vetuſta eſſe , ex Suida in Orpheo conſtat , ubi quaedam ejus poëmata Onomacrito (qui ſub Piſiſtratidis floruit circa Olymp. LXV. teſte Voſſio) quaedam Ioni Tragico , alia Theognoto , aut Cercopi , alia Timocli & Pergino , alia Zopyro vindicantur . Mitto apud eumdem alios qui in partem ejus gloriae vocantur : quos omnes ſatis antiquos eſſe conſtat , idque & fragmentorum , quae ut Orphei laudantur , monſtrat affatim ſtylus . Ex his vero quae de Orphicorum antiquitate dixi , efficitur , eorum laciniis (quas *diſjecti membra poëtae* vere dixeris ; nec dum enim in unum corpus collectae , quod ſciam, prodierunt) nec nimis cum Thoma (15) Gale tribuendum , nec de eiſdem abjectiſſime cum Dan.

phicis quidem ſatis involuta fuiſſe, Timotheum vero illa per commodas ἐξηγήσεις propiora ſacris Chriſtianis reddidiſſe .

(13) Iſtud ἐξȣσίαν alludit ad Gen. I. 16. ubi Sol dicitur *in poteſtatem diei* , Luna *vero in poteſtatem noctis* creata : ubi Aquila iſtud ipſum ἐξȣσίαν uſurpat loco Hebraici ממשלת *memsheleth* , *dominatus* . In Malela legitur melius plurative ἐξȣσίας, *poteſtates* , ut ad Solem juxta ac lunam referatur ex mente Moſis .

(14) De Timotheo, quid hominis fuerit, dixi ſupra Adnot: 4.

(15) Jampridem in Fabricii Bibl. Gr. (lib. I. p. 123. in nota ultima) legeram, argui Heſiodum , quaſi qui Orphei Theogoniam non tam ſit imitatus , quam corruperit ; ejuſque rei teſtem affert Thomam Gale in notis ad Apollodorum . Id quale eſſet, libuit ex ipſo Galeo diſcere . Is ad Apollodori pag. 4. v. 2. ita notat : Μῆτις *Orphicorum Deus erat . Hic igitur Heſiodus incipit Orphea* παραφθείρειν (*corrumpere*); citatque ſuperiores notas , in quibus ex neſcio quo grammatico attulerat de Heſiodo iſtud : παραφθείρας θεογονίαν . Citat praeterea Heſiod. Theog. v. 886. Ibi Heſiodus Jovem primam uxorem duxiſſe Μῆτιν , ait . Crimen , opinor , Heſiodo in eo appingitur , quod Orpheus Μῆτιν Deum ſuum principem fecerit (vide ſup. in allato Timothei fragmento) Heſiodus autem Deam fecerit , ac Jovis conjugem primam .

Jam ut Galei breviloquio pari brevitate reſpondeam : ubi Galeus queritur, ab Heſiodo Orpheum fuiſſe corruptum , ſi dixiſſet ab eo ſinceriores

Digitized by Google

Dan. (16) Huetio ſentiendum. Quis de Clementis Alexandrini (nam Juſtinum, Athenagoram, Tatianum, alios plures interim taceo) verum de Clementis eruditione ſumma quis unquam dubitavit? Is tamen quam praeclare de Orphicis & eorum vetuſtate ſenſerit, poteſt ex ejus ſcriptis intelligi. Faceſſat igitur Huetii ſupercilium, ea quae circumferuntur Orphica, non niſi a Judaeis aut Chriſtianis impoſtoribus conficta jactantis. Atqui haec ipſa de Mundi opificio fragmenta, quae Timotheus attulit, & ſagaciter olfecit Scaliger, & digna exiſtimavit, quibus inter proba chronologica monumenta principem locum aſſignaret. At, inquis, quis ſcit an non Timotheus ipſe, qui in Orphica Κοσμογονίᾳ tot myſteria Chriſtiana ſibi videre viſus fuerit, eamdem ſua interpretatione perverterit? Verum aetate Timothei illa omnis Κόσμου κτίσις Orpheó tributa exſtabat, eâque de cauſa ex illa initium dumtaxat decerpſit, reliquorum autem carminum argumentum dumtaxat exponit. Ecquodnam os igitur Timotheo fuiſſe dicemus, qui ex illis tot myſteria quaſi clare conſignata decerpſerit? Ergo oportet, quae Timotheus ex Orphicis proſâ enarravit, haud multo obſcurius fuiſſe in ipſis carminibus ſignificata. Ceterum ejus Κοσμοποιίας Orphicae auctor facile illa eadem ex Judaeis olim didicerit;

ſinceriores traditiones antiquas, quae Orphicis carminibus (quamvis tum vero Orpheo tum & Heſiodo poſterioribus) continentur, corruptas; darem libenter manus. At quid iſtuc monſtri eſt, quod Heſiodum Orphicis carminibus, h. e. Onomacrito, & tot aliis Onomacrito junioribus (de quibus vide Suidam in catalogo Orphicor. poëmatum) poſteriorem facit? Nam niſi poſterior, quo pacto corrupiſſet? Quae mens in his Galeo, ceteroqui eruditiſſimo, fuerit, plane non aſſequor.

Sed rem in tuto fore arbitror, ſi dicamus, apud Galeum, ſtudio brevitatis abreptum, citari *Orphica* (quibus puram Orphei doctrinam contineri putat) tantumdem eſſe quod Orpheum ipſum. Eamque in partem accipiendi Pythagorici Platonicique complures, qui Orpheum (aut vero *Theologum*; quia hoc Orpheo apud eos cognomen eſt) nominant; ubi ad Orphica carmina digitum intendunt. Atque hanc ipſam contra Heſiodum Galei noſtri querelam de corrupto *Theologo* intenderat ante Cornutus (aliis *Phurnutus*) ab ipſo Galeo editus extremo cap. XVII. pag. 178. Qui ubi dixiſſet, Heſiodum plura capita ab antiquis mutuatum, ipſumque de ſuo alia fabuloſiora admenſum; addit: ᾧ τρόπῳ καὶ πλεῖστα τῆς παλαιᾶς ΘΕΟΛΟΓΙΑΣ διεφθάρη. *Quo factum ut plurima veteris Theologiae* (Orphicae) *capita ad nos adulterata pervenerint*. Hoc ergo ſibi Galeus facile voluit, ubi Heſiodum corrupiſſe Orpheum expoſtulat.

(16) Dan. Huet. in Dem. Evang. (Lipſienſis edit. an. 1703.) Propoſ. IV. pag. 218. ſuſpicatur, Orphica iſta quae apud antiquos Patres recitantur, magnam partem figmenta eſſe Judaeorum aut Chriſtianorum. Nollem hoc viro eruditiſſimo excidiſſe. Qui quidem ea nullâ alia de cauſa criminatur, quam quia nonnunquam Moſaicis conſentanea reperiuntur. Atqui eadem dogmata variis modis adulterata, imo & non raro cum πολυθεότητι permixta leguntur in Orphicis: ut ab Judaeis Chriſtianiſve ſcribi talia nefas fuerit. An non longe credibilius eſt, quicumque ſub Orphei perſona conſentientia cum Moſaicis cecinit, eum ex Judaeorum aut Phoenicum ſive ſcriptis ſive diſciplina profeciſſe? Poſtremo Orphicorum plurium ſtylus ſe ſatis antiquum probat, (quod cuilibet Graecis variae aetatis ſcriptoribus aures tritas habenti conſtiturum auguror) at contra Sibyllina carmina & hujus generis impoſturae qua dictione, qua vaticiniorum poſt rem geſtam compoſitorum νοθεία & improprietate, ſeſe ipſa apud quemlibet judicem damnant. Poſtremo quotusquiſque antiquiſſimorum ſcriptorum non ſimilia plura Moſaicis narrationibus docet? Poſtremo cur quaeſo Huetius noſter Ovidianam κοσμοποιΐαν, tam Moſaicae proximam, νοθείας non arguit? In re ſatis teſtata abſtineo pluribus.

Antequam vero hinc abeo, fateor nonnulla eorum Orphicorum, quae a Veteribus recitantur, fraudis argui poſſe. Verum hujuſmodi negotium virum in antiquorum lectione, & in dicendi generibus tritum deſiderat. Inter cetera vero, ubi nihil niſi Moſaicum & orthodoxum in longo carminum ambitu deprehenditur, profani vero & idololatriae veſtigium nullum, ibi caveas moneo.

dicerit; aut vero ex vetuſtis Phoenicum monumentis fortaſſe profecerit. Quidvis certe aliud ſuſpicari malo, quam Timotheum luce plena impoſuiſſe, aut ſibi imponi ſiviſſe; nec interim unum aliquem exſtitiſſe, qui homini ſive dolum malum ſive ſimplicitatem anilem objecerit. Tantiſper ergo dum dabitur, ex aliis pluribus Orphicorum locis de virorum aequiſſimorum ſententia veri ſtricturas erumpere; poſſumus tuto praeſtare, antiquiſſimum iſtum Orphicae κτίσεως Κόσμου auctorem (undeunde ſua biberit) totumque adeo illud Timothei fragmentum cum Moſe mirifice faciens, non ab alia origine, quam ex Moſaica κοσμοποιΐᾳ propagatum videri.

S e c t i o II.

De Moſaica Κοσμοποιΐᾳ (mundi creatione): *quemadmodum haec olim pauciſſimis immutatis a Tyrrhenis tradebatur.*

ORphica quae protulimus, ſatis luculenter auctorem profanum de Moſaica coſmopoeia balbutientem prodiunt: at quae his ſequuntur ejusdem argumenti Tyrrhenica, vix dubito, quin & ipſa etiam ab alieno a ſacris noſtris prodierint primitus, quamvis per alicujus Chriſtiani cribrum poſtea perpurgata ad nos hodie pervenerint. *Tyrrhenica* voco, quae Suidas in Τυῤῥηνία affert, nim. hiſtorici cujusdam Tyrrheni fragmentum, quamvis ore Chriſtiani prolatum, atque, uti fit, interpolatum, quo homo ethnicus coſmopoeïam cum Moſaica conſentientem enarrat. Hoc ἀπόσπασμα jamdiu anno 1741. Romae vulgaveram & expoſueram tom. 3. Diſſert. Tyrrhenicarum Diatribâ X. pag. 65. ſermone Italico. Nunc idem paullo accuratius explicatum damus.

Ἱστορίαν δὲ παρ' αὐτοῖς (Τυῤῥηνοῖς) ἀνὴρ ἔμπειρος συνεγράψατο· ἔφη (17) γὰρ τὸν δημιουργὸν τῶν πάντων Θεὸν δώδεκα χιλιάδας ἐνιαυτῶν τοῖς πᾶσιν αὐτοῦ φιλοτιμήσασθαι (18) κτίσμασι, καὶ ταύτας (19) διατεῖναι τοῖς ιβ. λεγομένοις οἴκοις (20) καὶ τῇ μὲν α. χιλιάδι ποιῆσαι

Apud eos (Tyrrhenos) *vir peritus ſcripſit hiſtoriam; in qua ait* (17) *opificem rerum omnium Deum duodecim annorum chiliadas rebus a ſe creatis* (18) *elargitum, has vero chiliadas* (19) *aſſignaſſe duodecim, uti vocantur* (20) *domiciliis: ac prima quidem chiliade caelum ter-*

(17) *Ait enim . . . Deum . . . aſſignaſſe* &c. Ex his vides auctorem hunc directo ſermone ſuo uti, Tyrrhenum vero illum obliqua oratione utentem inducere.

(18) Male in praeclara Kuſteri editione τὸ φιλοτιμήσασθαι vertitur, *Impendiſſe*: neque ea de cauſa ſolum, quod φιλοτιμοῦμαι non ſit *inſumere*, ſed hic ſaltem ſit id quod reddidi, verum etiam quia ſex tantum annorum chiliadas in univerſitate creanda impenderat, non vero duodecim. Atqui has duodecim chiliadas totidem *domibus*, ut aſtrologi loquebantur, attributas, aperte in Suida legitur.

(19) Pro διατεῖναι haud dubie legendum eſt διανεῖμαι, *aſſignaſſe*, uti verti.

(20) Hic ſive Tyrrhenus hiſtoricus ſive potius Judaeus aut Chriſtianus ille, qui Tyrrheni auctoritate utitur, ſeſe profeſſione aſtrologum prodit. Ac Tyrrhenos quidem, qui apud Romanos ſexcentas divinandi futura (per extiſpicia ſcil. per auguria & auſpicia) artes profiterentur, divinatrix aſtrologia minime dedecebat. Fateor tamen οἴκων (*domorum*) in hac facultate vocabulum non videri antiquiſſimum teſtante Euſtathio qui ad Iliad. A. 606. 607. ſic adnotat: δίδονται τόποι τινὲς τοῖς πλανήταις, ὡς οἴκους αὐτῶν (πλανητῶν) καλοῦσιν οἱ νεώτεροι: *Data ſunt loca quaedam planetis, quae Domos planetarum recentiores vocant.* Forſan ergo *domorum* vocabulum ab eo profectum, qui Tyrrheni auctoritatem in rem ſuam vertere ſtuduit.

Cave ſuſpiceris *Domorum* aſtrologicarum nomen ab Euſtathio ita recentioribus tribui, quaſi paullo ante aetatem ſuam inventum eſſet. Nam νεωτέρους recentiores Homero intelligit; uti conſtat ex iis quae ſubjicit. Nam ſtatim poſt verba ſuperiora ita notat. *Cum ergo Homerus hic dicat Vulcanum ſua diis ſingulis domicilia feciſſe; ANTIQVI hinc colligunt,*

σαι τὸν ὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· τῇ δευτέρᾳ ποιῆσαι τὸ ςερέωμα τῦτο τὸ φαινόμενον, καλέσας αὐτὸν ὐρανόν· τῇ τρίτῃ θάλασσαν καὶ τὰ ὕδατα τὰ ἐν τῇ γῇ πάντα· τῇ δ' τὺς φωςῆρας τὺς μεγάλυς, ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ τὺς ἀςέρας· τῇ ε' πᾶσαν ψυχὴν πετεινῶν (21) καὶ ἑρπετῶν, καὶ τετράποδα, ἐν τῷ ἀέρι, καὶ ἐν τῇ γῇ, καὶ τοῖς ὕδασι· τῇ ς' τὸν ἄνθρωπον. Φαίνεται (22) ὖν τὰς μὲν πρώτας ἓξ χιλιάδας πρὸ τῆς τῦ ἀνθρώπυ διαπλάσεως (23) παρεληλυθέναι, τὰς δὲ λοιπὰς ἓξ χιλιάδας διαμένειν τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων· ὡς εἶναι τὸν πάντα χρόνον τῆς συντελείας μέχρι χιλιάδας δώδεκα.

terramque feciſſe: altera feciſſe hoc quod conſpicitur, firmamentum, idque Caelum vocaſſe: tertia mare & aquas quae in terra ſunt, univerſas: quarta feciſſe luminaria magna, Solem & Lunam & ſtellas: quinta omnem animam volatilium (21) *reptiliumque & quadrupedum, in aëre terra & aquis degentium: ſexta vero hominem. Apparet* (22) *igitur, ſex quidem primas chiliadas ante formatum hominem praeteriiſſe, reliquas vero ſex duraturum hominum genus: ita ut totum conſummationis* (23) *tempus chiliadibus duodecim abſolvatur.*

Qui Tyrrhenicum iſtud mundi opificium cum Moſaico contulerit maximam utrinque conſenſionem animadvertet, ſimul autem & diſſenſionem (24) tantam, quanta ſatis eſt, ut auctorem alienum a ſacris Judaicis, aut Chriſtianis (cujuſmodi Tuſci erant) judicare queat. Atque illa in primis enormis eſt a Moſe diſtantia, quod ſex illos Moſaicos ſingulares dies Tyrrhenus hiſtoricus in totidem millenos annos convertit. Atqui hoc unum, inquies, auctorem iſtum ſive Judaiſmi ſive Chriſtianiſmi manifeſtum arguit. Hoc enim hauſiſſe videtur ex Pſalmi LXXXIX. 4. verbis illis, *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies heſterna quae praeteriit*. His adde συντελείας vocabulum (qua hîc notione uſurpatur) mere Helleniſticum. His aliiſque de cauſis, ſuſpicabar antea, hanc κοσμοποιΐαν ab aliquo ſive Judaeo ſive Chriſtiano ſub hiſtorici Tyrrheni perſona fuiſſe confictam.

Tamen re melius penſitata, veriſimilius duco, ad auctorem Tyrrhenum ea ſola pertinere, in quibus creatio univerſa paucis verbis perſtringitur: in qua narratione quod non ſenis diebus, ſed ſenis annorum millibus conditam univerſitatem ait, id Tuſcus nulli nec Judaeorum nec Chriſtianorum debere, verum de Tyrrhenorum peculiari traditione attuliſſe videtur. Qui cum ἀνέκαθεν Chanaani-

gunt, Homerum dediſſe mathematicis occaſionem opinionis hujus (de domibus ſcil. planetarum) *dum hic dicit, ſuas deos ſingulos habere domos*. Ergo *domorum* aſtrologicarum nomenclatura a recentioribus quidem Homero coepit, etſi ſatis antiqua eidem Euſtathio dicitur verbis illis, *Antiqui hinc colligunt* &c.

(21) Vides hinc Tyrrheno huic cum Moſe convenire; apud utrumque enim volatilia juxta cum reptilibus (*Reptilium* vero nomine tam piſces quam ſerpentes veniunt) quinto die ex aquis prodierunt.

(22) Hîc deſinit obliqua Tyrrheni narratio, ac ſtatim cetera Judaeus ſive Chriſtianus de peculio ſuo affert.

(23) Haec male in Kuſtero ita vertuntur, *Ut ſit univerſum conſummationis tempus* 12. *millium annorum*. Atqui finis tantum horum annorum dicitur *Conſummatio*, non vero totae XII. chiliades. Ergo ita transfer, ut poſui.

(24) Vel ſic enim in conſenſione tanta, tamen inſigniter utrinque diſconvenit. Animantes quadrupedes, quas Tyrrhenus quinto die ſimul cum avibus & reptilibus procreat, in Moſe Deus initio ſexti diei producere tellurem juſſit. De duodecim illis οἴκοις ſive domibus aſtrologicis in Moſe nec vola nec veſtigium. Duodecim vero chiliadum annorum ecqua vel obſcura ſignificatio in ἑξαημέρῳ Moſaicae textu?

tae (25) eſſent, Hebraeorum doctrina non leviter ſeſe imbutos locis omnibus (26) prodiderunt: tametſi quae ex Hebraica diſciplina hauſerant, pluribus de ſuo erroribus inquinaverunt. Itaque Etruſcos Moſaicam κοσμοποιίας doctrinam, quantislibet a ſe naevis adulteratam, ſecum ex Terra Chanaan attuliſſe, mihi facile perſuadeo, qui ſciam Tuſcos in rebus plurimis hebraizaſſe, ut in noſtris Tyrrhenicis originibus paſſim oſtenſum fuit.

Atque illud etiam eſt animadvertendum, Suidam non ex Tyrrheno auctore ullo ea, quae ſupra dedimus, ἀμέσως deſcripſiſſe, verum ex antiquo Chriſtiano aliquo, quem ex eorum (27) grege fuiſſe neceſſe eſt, qui a Mundi conditu ad ejus συντέλειαν (*conſummationem*) ſex annorum chiliadas (his alii annos quingentos adjiciebant) decurſuras praedixerunt. Ergo Chriſtianus is, quicunque fuit, Tyrrheni hiſtorici ſuffragio dogma ſuum confirmaturus, ſatis habuit doctrinae Tyrrhenicae ſummam in pauca contrahere & quidem verbis ſuis, non vero verbis Tyrrheni illius adnumeratis. Atque ab ea eſt cauſa, quod pleraſque locutiones ex LXXvirali translatione (28) hauſtas adoptavit. Neque vero hoc tantum animadverſione dignum, ſed & quod poſt expoſitam ſuopte ſtylo Tyrrheni illius κοσμογονίαν, deinde quae ab illis verbis (φαίνεται οὖν, *Apparet igitur*) ſequuntur, ea non Tyrrheno ſed Chriſtiano homini (jam ſcil. proficere ex Tyrrheni auctoritate incipienti) in totum ſine dubio ſunt tribuenda: quod & vox ipſa συντελείας docet, quae hoc ſignificatu fruſtra apud profanos quaeretur, ſed ex Bibliorum & veterum Patrum uſu (29) profecta fuit.

Ergo hujus Chriſtiani, ex Tyrrheno ſua confirmantis, is erat ſcopus, ut ab homine creato ad Mundi finem annorum non plus ſex millia decurſura oſtenderet, poſt eas vero ſex annorum chiliadas ſtatim affore συντέλειαν. Atque ea opinio, ut ſaepe dictum, Judaeorum, & veterum Chriſtianorum animos univerſos olim invaſerat, ut qui calculos ita colligerent, ſi ex Pſalmographi auctoritate dies una pro mille annis ſit reputanda, ex eo ſequi ſex illis opificii diebus ſex annorum millia ſucceſſura, ac ſtatim συντέλειαν conſecuturam. At vero anonymus iſte, cujus verba Suidas affert, rem multo fore certiorem ſperavit, ſi quidem Tyrrhenicum mundi opificium ſequeretur. Nam ſi in mundi fabrica non ex interpretatione, ſed re vera ſex annorum millia impenſa fuerint; quis poſtea dubitabit

(25) In Tyrrhenicis iis, quae anno 1741. Romae prodierunt, id totum tum in Diſſert. praevia, tum in ſequentibus X. Diatribis non inficiandis argumentis oſtendimus.

(26) Cujuſmodi illud eſt, quod *Septem* illa *Maria* (in quorum deſcriptione Plinius, Herodianus, Polybius, Antonini itinerarium, aliique verſantur) cum paludes merae Tyrrheniae Circumpadanae fuerint; tamen Tuſco ſermone vernaculo *Maria* (non ſecus ac Hebraeis lacus omnes) vocabantur. In eâdem Circumpadanâ Tuſcia *Foſſae Philiſtinae* celebrabantur, a *Philiſtaeis* utique illis Chanaanitis (ex quorum numero Tyrrheni erant) ita vocatae. Diatribam illam in qua haec & ſimilia exponuntur, recudendam typographo inter Diſſertationes in fine Geneſis dabimus.

(27) Vide Cotelerii Patres Apoſt. edit. Amſtel. 1724. ad Barnabae epiſt. cap. XV. pag. 44. notâ 65. ubi praeter Barnabam plurimos tum Judaeos tum Chriſtianos veteris ac medii aevi, & quidem claſſicos, recenſet: ex quorum ſententia annus a mundi creatione ſexies milleſimus τὴν τοῦ αἰῶνος συντέλειαν (*conſummationem mundi*) afferet. Res eſt omnium ſermone trita.

(28) Cujuſmodi die ſecundo τὸ στερέωμα... καλέσας αὐτὸ οὐρανόν: die quarto τοὺς φωστῆρας τοὺς μεγάλους &c.

(29) In Graeca V. T. translatione nihil hac voce (nec alio ſignificatu) frequentius: apud Matthaeum ἡ συντέλεια τοῦ αἰῶνος, *ſaeculi conſummatio* quinquies: apud Patres aevi cujuslibet ſingulis prope verſibus ea vox legitur.

bit poſt totidem chiliadas mundo *συντελείαν* adfuturam? Ita ſibi calculos iniiſſe viſus, ubi in fine concludit: *Φαίνεται οὖν*, *Apparet igitur*, & cetera quae ſupra adſcripſimus.

A D   G E N E S I S   C A P.   I.

1. *In principio creavit Deus caelum & terram.*

In principio creavit Deus &c.] Notiſſima eſt veterum illa prope omnium Graecorum Latinorumque Chriſtianorum interpretatio, ut τὸ Ἐν ἀρχῇ, ſive *In principio* tantumdem ſit, quod *In Filio*. Sed hujus ipſius interpretamenti rationem brevi hîc exponendam cenſeo, quid nim. illis venerit in mentem ita interpretari. Nam qui ex Joannis Evangelio, & ex Paulo loca producunt, quibus doceatur, in Verbo & per Verbum condita univerſa fuiſſe, primum id plane docent, de quo nemo adhuc dubitabat: deinde iidem illi rationem quidem dogmatis de Verbi efficientia nobis afferunt, non vero de eo, cur Filius *Principii* nomine intelligatur.

Atqui cur Patres *Principii* nomine Verbum deſignarint, minime difficilis ratio videtur eſſe. Nam illi, ut qui in Platonica Ariſtotelicaque ſchola diu ſe exercuiſſent, philoſophicae ἀρχῆς (*principii*) notioni inaſſueverant, qua ἀρχὴ haud aliud omnino eſt, quam quod rei efficientiam continet. In re liquida Platonis, Ariſtotelis, aliorumque producendis exemplis ſuperſedeo. Quod autem Graeci philoſophi ἀρχὴν appellabant, id Latini modo *Principium* (ut cum Cicero Tuſc. I. ait: *Principii nulla eſt origo: nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt*), modo *Initium* nuncuparunt, ut idem in I. de nat. Deor. *Thales Mileſius . . . . aquam dixit eſſe initium rerum*. Patres, uti dixi, huic notioni aſſueviſſe ſupervacaneum eſt oſtendere; nam vel ex illis id ſaltem arguitur, qui in Manichaeorum de duobus rerum principiis dogma ſtylum acuerunt. Atque hinc ſane factum, ut Verbum Divinum, ἀρχὴν ſive *principium* ea, qua dixi, notione appellarent; eo quod Λόγον artificem mundi fuiſſe non tantum ex Scripturis didiciſſent, verum etiam ex Platone & Platonicis, aliiſque veteribus philoſophis, quorum loca ad Jo. I. 1. Grotii diligentia collegit. Apud quos multus de Λόγῳ univerſitatis opifice ſermo; ſed ita ut eumdem vix unquam alio nomine, quam Ἀρχὴν appellarent. Documento eſſe poſſit Amelius Platonicus apud Euſebium in XI. Praep. Ev. qui lecto Joannis initio, ubi omnia per Verbum facta docentur, *Per Jovem*, inquit, *barbarus iſte* (Joannes) *cum noſtro Platone ſentit, Verbum Dei in ordine* (ἀρχῆς) *PRINCIPII eſſe conſtitutum*. Hinc adoptarunt eam appellationem Patres, ubi de hoc Geneſis exordio agunt, uti conſtat ex Baſilio hom. 1. in Hex. ubi in nomine ἀρχῆς (*principii*) ait, ſignificationem ineſſe Artificis Verbi, quod rerum aſpectabilium ordinationi praefuerit. ὅτι ἐςί τις τεχνικὸς Λόγος ὁ καθηγησάμενος τῆς τῶν ὁρωμένων διακοσμήσεως, ὡς ἐνδὑκνυταί σοι ἡ Φωνὴ τῆς Ἀρχῆς. Item ex Origene hom. 1. in Gen. *Quod eſt*, inquit, *omnium principium* (notione philoſophica) *niſi Dominus noſter & Salvator omnium Chriſtus Jeſus, primogenitus omnis creaturae? In hoc principio ſuo h. e. in Verbo ſuo, Deus caelum & terram fecit*. Item in Catena MS. in Gen. hoc ex Origene affertur: τὸ Ἐν ἀρχῇ, ἐν Σοφίᾳ, τυτέςιν υἱῷ τῦ Θεῦ. *Illud In Princi-*

 pio

pio eſt in Sapientia, *hoc eſt in Filio Dei* . Tatianus de Λόγῳ ait: *Hunc ſcimus eſſe* (ἀρχὴν) *principium mundi* . His adde Ambroſium in Hexaëm. (ſua ibi ſolitum ex Baſilio mutuari), Auguſtinum in Gen. I. 1. Alios taceo.

Ex ea loquendi conſuetudine factum, ut τῆς ἀρχῆς nomine κατ᾽ ἐξοχὴν Verbum Dei intelligerent . Haud certe aliter capiendus eſt Theophilus Antiochenus in II. ad Autolycum pag. 92. Λέγων, Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ὐρανὸν, τυτέςι διὰ τῆς Ἀρχῆς (κατ᾽ ἐξοχὴν ſcil.) γεγεννῆσθαι τὸν ὐρανόν . *Dicens : In principio fecit Deus caelum*, *hoc eſt*, *Per Principium* (iſlud κατ᾽ ἐξοχὴν) *factum eſſe caelum*. Hinc ergo manavit , ut initio Geneſis τὸ *In principio* (antonomaſticas intellectum) de Filio exponerent . Eadem ineſt notio philoſophica Apoc. III. 14. ubi Chriſtus dicitur Ἀρχὴ *Principium omnis creaturae* : ac vereor , ut ex hoc loco didicerit Amelius, ab Joanne Verbum in ordine principii conſtitutum; hincq. etiam Patres *principii* appellationem per excellentiam Divino Verbo tribuerint .

Atq. ea uſurpatio (nim. ut Graeca vox Ἀρχὴ , & Latina *Principium* Verbo Divino peculiaris evaderet) quamvis ex philoſophorum ſcholis per veteres Chriſtianiſmi doctores φιλοσοφωτάτυς traducta in Chriſti Eccleſiam fuerit ; apud fideles tamen adeo pervagata fuit , ut eadem etiam imae plebeculae animos imbuerit : id quod ex Chriſtianis inſcriptionibus didici , quae raro ab eruditis concinnabantur (ac ſicubi id accidit , facile id ſtylus oſtendit) plerumque vero a piis, ſed incultioribus ſcriptitabantur. At hi ipſi non ignorabant , quid vox *Principii* in Eccleſia notaret . Exſtat apud Fabrettum pag. 553. num. 41. titulus hujuſmodi :

AVRELIA CONSTANIA (pro *Conſtantia*) QVE VIXIT
ANNOS XXXIII ET MENSES III DORMIT
(*ramus oleae*) IN PACE (*ramus oleae*)
E T P R I N C I P I O

Qui in Chriſtianis epigrammatibus verſatus eſt , non dubitabit quin *In pace & Principio* tantumdem ſit quod *In pace & Chriſto* : niſi quod illud rarum , hoc vero uſitatiſſimum . Veluti apud eumdem Fabrettum pag. 579. num. LXXII. ſic legitur : *Pientia quae vixit annis N. VI. M. IIII dies II. MANET IN PACE ET CRISTO* .

Creavit] Haud defuiſſe inter gentiles philoſophos , qui creationem ex nihilo tuerentur , colligitur & ex Ariſtotelis libro de Xenophane , & ex Empedoclis verſibus apud Plutarchum contra Colotem , quib. diſputat contra eos , οἳ δὴ γίνεσθαι, πάρος ὐκ ἐὸν, ἐλπίζυσιν . Hos etiam quia initio ſui *operis* refellit Lucretius; ſatis oſtendit , exſtitiſſe , qui creationem ex nihilo tuerentur. Sane vero ſi Claudiano Mamerto in II. *De ſtatu animae* 3. credimus , Philolaus docuit , *Deum ex nihilo feciſſe omnia* : tametſi Philolai praeceptori Pythagorae innatum & infectum hoc mundi corpus viſum fuit , teſte Tertull. Apol. c. XI. Plato , auctore Chalcidio comm. in Timaeum , ſtatuit , *non Deum ex his quae non erant* , *feciſſe mundum* , *ſed ea quae erant ſine ordine ac modo* , *ordinaſſe* . Idem ſenſiſſe oportet Pythagoram, ſeu quivis κόσμυ nomen invenit; quia Κόσμος videtur a κοσμέω (*ordino*) factum. At Hierocles Platonicus is, cujus exſtant apud Photium excerpta περὶ προνοίας , ex Platonis ſententia mundum ἐκ μηδένος προϋποκειμένυ factum ſtatuit . Eamdem ſententiam in pluribus philoſophis , qui Chriſtianiſmo florente ſcripſerunt (ut Plotino , Porphyrio , Jamblicho , Proclo , Simplicio , Syriano , Hermia ,

Hermia, Damaſcio, Priſciano Lydo) viri docti obſervarunt. De quo vide Fabric. lib. 2. bibl. Graecae cap. 12. n. VII. pag. 473.

In principio creavit Deus caelum & terram] Baſilius aliique qui illud *In principio*, ἀθρόως *confertim* interpretantur, ſive, ut Aquila, ἐν κεφαλαίῳ, habent & ex profana antiquitate teſtimonium. Laërtius in prooem. Linum ait carmine ſcripſiſſe κοσμογονίαν, ἡλίου καὶ σελήνης πορείαν, καὶ ζώων καὶ καρπῶν γενέσεις: cujus initium tale fuerit:

Ἦν ποτέ τοι χρόνος οὗτος, ἐν ᾧ ἍΜΑ πάντ᾽ ἐπεφύκει.

Tempus erat, quo cuncta ſimul prognata feruntur.

Atque ex eo Anaxagoram ſua mutuatum, dixiſſe, πάντα χρήματα γεγονέναι ὁμοῦ· νοῦν δὲ ἐλθόντα, αὐτὰ διακοσμῆσαι, *ſimul facta primum omnia, eaque poſtmodum mente accedente fuiſſe diſpoſita.*

Caelum] Heb. dicitur שמים *shamaim* formâ, uti volunt, duali, quia, inquiunt, duplex eſt caelum, aëreum hoc ſcil. terris citimum, & ſidereum. Inepte vero Hebraiſtae quidam dictum voluerunt, quaſi שם מים *sham-maim*, *ibi aquae* ſint: illae nim. aquae ſuperiores, quae die ſecundo στερεώματος (*firmamenti*) objectu ab inferioribus ſecretae fuerunt. Totum enim hoc τοῦ *shamaim* etymon ridiculum eſt, ut & pleraque illorum, ad quae exponenda compoſitionem vocum adſciſcunt: quam compoſitionem Hebraei in propriis quidem hominum locorumque nominibus ſaepenumero, at in ceteris vix aut raro admodum uſurpant. Atqui genuina τοῦ *Shamaim* originatio illuſtranda eſt ex themate Arabico סמו *ſamava*, quod eſt *eminere*, *elatum eſſe*. Ab eo verbo fit סמא *ſama*, *caelum* (quaſi ſi *Elatum* aut *ſublime*, aut vero potius in forma abſtracta *Celſitudinem* dixeris); eaque voce Arabs interpres in Bibliis utitur tum hîc tum quoties in Hebraeo שמים *shamaim* occurrit. Nec te turbet, quod Arabs interpres illud סמא *Sama* ſuum, quo caelum interpretatur, littera illa Arabica *Sin* (quae τῷ *Samech* Hebraico reſpondet) notaverit; nam apud Arabes *Sin* (ſic vocant Hebraicum *Samech*) & *Scin* eâdem (1) figurâ conſtant: adhaec utraque ſibilandi poteſtate pollet, ambaeque inter ſe alternant ſaepiſſime. Ex his autem conſtat, tam Arabicum סמא ſive שמא (nam ſic quoque ab Arabibus cum tribus ſuperne punctis ſcribitur, ut plane τῷ *Scin* Hebraeo reſpondeat) quam Hebraeum שמים *Shamaim* ex eadem communi radice, (quae videtur haud dubie antiquitus שמה *Shamah* (2) fuiſſe) olim orta, proinde eâdem prorſus *celſitudinis* notione voces, quibus *caelum* Hebraice & Arabice notatur, pollere. Rem ita eſſe illud declarat, quod apud priſcos illos Noachidas per orbem diſperſos celſiſſima quaeque loca Σάμη vocabantur. Teſtatur id Strabo: cujus locum in Diſſert. *De Gigantibus* ad Gen. VI. 4. itemque ad Gen. XI. 4. adſcripſi. Ergo ab eadem linguae primaevae radice שמה *Shamah* ubi primum linguarum divortia facta ſunt, tum שמים *shamaim* Hebraeum, tum Arabicum סמא, tum demum Noachidarum Σάμους, orta fuiſſe neceſſe eſt, pari omnia *celſitudinis* notione imbuta. Ad Hebraicum

(1) Apud Arabes duae litterae ſunt *Sin* & *Scin* (quarum prior τῷ *Samech* Hebraico, altera Hebraico *Scin* reſpondet) ejusdem prorſus figurae: niſi quod alteri tria puncta ſuperne ad prioris diſcrimen adſcribuntur.

(2) A radice שמה *ſciamah* tam שם *ſcem* i. e. *Nomen* itemque *Altitudo*, quam שמים *ſciamaim* h. e. *caelum* (ab altitudine dictum) oriuntur. Vide Pagninum & Caſtellum in radice שמה.

cum *Shamaim* quod attinet, quod ea vox *Altitudinem* notet, oſtendunt locutiones illae *Caelum caeli*, & *Caeli caelorum* (de quibus locutionibus ad Deut. X. 14. ita commentabimur, ut appareat *Caelum caeli* tantumdem eſſe quod *ſublimitas caeli*) item quod ubi Luc. II. 14. legitur, *Gloria in altiſſimis* (in Graeco, ἐν ὑψίστοις) *Deo*, id haud dubie tantumdem eſt, quod *Gloria in caeleſtibus Deo*, maxime quia ſtatim ex adverſo opponitur, *Et IN TERRA Pax hominibus*. Vide nos ad eum Lucae locum. Huc etiam illud pertinet, quod Job XXII. 12. ubi Hebraice eſt גבה שמים (*gobah shamaim* h. e. *altitudo caelorum*) id vetus quidam interpres (apud Trommium in Concordantiis τῶν ὁ) expoſuit, ὁ τὰ ὑψηλὰ ναίων, *qui excelſa inhabitat*: non accurate ille quidem, ſed ſcite in eo tamen quod *caelorum* ſynonymon τὰ ὑψηλὰ fecit: certe quod intelligeret non aliam eſſe peculiarem τῦ *Shamaim* notionem: de quo alibi plura.

Caelum & terram] hoc eſt rerum univerſitatem, ſive Κόσμον. Ariſtoteles ſive quiſquis auctor eſt libri *De mundo*, ita eum definivit: Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ ὐρανῦ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν τύτοις περιεχομένων φύσεων. Hoc eſt Κόσμος ſive *Mundus compages eſt ex caelo terraque & ex naturis utroque contentis*.

At Hebraei, quibus vocabulum nullum ſuppeteret, quo rerum univerſitatem ſignificarent, quoties Κόσμον dicere vellent, ita περιφράζειν cogebantur, ut *caelum & terram* dicerent; cujus περιφράσεως exempla nuſquam in Scriptura non occurrunt. Pythagoras primus omnium κόσμυ nomen excogitaſſe traditur: etſi Jobus Ludolphus Comment. ad hiſt. Aethiop. pag. 208. a Phoenicibus petitum ſuſpicatur. Cur non potius ab Aegyptiis? quibus Gen. XLI. 45. Salvator mundi *Tſophnath phaaneach* dicitur. Horum enim vocabulorum alterutrum τὸ κρυπτὸν ſignificare videtur; ſicuti Syri, Chaldaei, Arabes mundum עולם *olam* (quod proprie κρυπτὸν ſignificat) appellant. Vide dicta ad Gen. XLI. 45.

Caelum & terram] Hebraice utrique vocabulo praeponitur את *eth*, quod quarto caſui praeponi ſolet: quod quia non raro loco eſt praepoſitionis *cum*, ſeu *ſimul cum*, hinc eſt, quod Aquila, moroſae diligentiae interpres, vertit σὺν τὸν ὐρανὸν καὶ σὺν τὴν γῆν: quod ut ineptum ac minus Graecum reprehendit Petavius *de opif. ſex dier*. Cui non aſſentior. Haud enim prorſus ineptum, nec otioſum arbitror, ſed fortaſſis ea mente poſitum, ne unum ante alteram conditum ſuſpicaremur. Sic enim iſtud Aquilae reddi Latine poſſit: *Simul caelum ſimulque terram*. Tum autem & bene Graecum reor (etſi fruſtra ab Judaeo Helleniſta ſermonis mundities requiritur); nam Σὺν ſubſequente δὲ aut καὶ, eſt adverbium (ſicuti & πρὸς δὲ pro πρόσετι) Nicander Ther. verſ. 8.

Κακόεργα φαλάγγια, σὺν καὶ ἀνίγρυς
Ἑρπηστὰς ἔχιάς τε.
Adde maligna phalangia, & adde moleſtos
Angues vipereos.

Imo & ſine alterius particulae comitatu reperio apud Strabonem lib. III. p. 165. Ἴδιον δὲ τῶν Ἰβήρων.. σὺν δύο ἐφ' ἵππων κομίζεσθαι. *Hiſpanorum proprium.. binos ſimul equo ferri*. Eadem iſta σὺν καὶ σὺν uſurpata ab Aquila fuere Gen. I. 16. & 29. Sed & Theodotio Gen. I. 16. dixit σὺν τὸν φωστῆρα τὸν μέγαν... καὶ σὺν τὸν φωστῆρα τὸν μικρὸν, perinde ut Aquila. At vero idem Ponticus interpres etiam ſimplex σὺν non raro uſurpavit, ut Gen. I. 4. 27. 30. 31. quibus locis unicum את in Hebraeo occurrit. Eo nimirum ſpectaſſe Hieronymum putem, qui

Aqui-

Aquilam accuſat, quaſi etiam ἄρθρα, & πάραρθρα interpretari moroſa κακοζηλίᾳ conatum. Etſi non raro idem ab Hebraico את vertendo abſtinet.

AD GEN. I. 2.

Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebrae erant ſuper faciem abyſſi: & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.

Terra autem erat inanis & vacua] Pro his Hebraice legitur: *Et terra erat* (תהו ובהו) *Thohu & Vohu*. Quid proprie ſint vocabula illa, *Thohu* & *Vohu*, difficile dictu eſt, atque in ea duo nomina commentariolum peculiarem elucubratum habes in prima earum Diſſertationum, quae ſunt in fine Geneſis. Ibi vide. Hîc interim verſiones praecipuas hujus commatis, ut quaeque aliis antiquitate praeſtant, recenſebimus. LXX ita haec reddiderunt: ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, *Terra vero erat inviſibilis & incompoſita*. Atque hujus verſionis verba, cujus fuit ſemper maxima auctoritas, ante omnia excutiamus. Cur terram *incompoſitam* dixerint, nemo non intelligit, quia nim. in rerum exordio nihil in tellure rerum illarum fuit, quae poſtea ſubſecutis diebus acceſſerunt. At cur eadem dicatur *inviſibilis*, ſolet multiplex ab antiquis Patribus ratio afferri: primum quod ſpectator telluris non dum homo proceſſerat: deinde quod aquis primitivis (quas utpote rariores, nebuloſo corpori ſimiliores fuiſſe credo) circumfuſa tellus, viſum effugeret, quo & Neptuni etymon Varro (3) retulit: poſtremo quod, ut Ambroſius ait, non dum luce perfunderetur. Verum illa mihi videtur potior interpretatio, quod Helleniſtarum dialecto vox Ἀόρατος non tam pro *Inviſibili* (quod vulgo ex verbi vi ſonat) quam pro Ἄμορφος (*Informis*) accipi ſolet. Conſtat hoc ex Sap. XI. 18. ubi quod Graece dicitur Deus condidiſſe mundum ἐξ ἀμόρφου ὕλης h. e. (ſi verbum verbo reddas) *Ex informi materia*, id interpres Vulgatus vertit, *Ex materia inviſa*, quaſi ſi Graece fuiſſet ἀοράτου. Nam ſicuti ὁρατὸς pro eo eleganter uſurpatur, quod Latinis *Viſendus* dicitur (veluti 1. Par. XI. 23. & 2. Sam. XXIII. 21. ἄνδρα ὁρατὸν, eſt *Viſendum*, ſive ſpectaculo dignum) ita contra Ἀόρατος exponi potuit pro *Inviſo* ſive *informi*. Huc etiam illud Vulgati interpretis referri poteſt, quod ad Heb. XI. 3. dicitur Deus *ex inviſibilibus* (h. e. informibus) *viſibilia feciſſe*. Poſtremo Severianus Gabalitanus Chryſoſtomi aequalis & aemulus, quod hîc LXX. poſuerunt ἀόρατος, hoc idem eſſe putavit, quod ἀκόσμητος, h. e. *inconditus*, *inornatus*. Licebit ergo, ſcriptore hoc ſatis erudito duce, LXXviralem interpretationem ita reddere: *Terra erat informis & incompoſita*, haud longe a vi Hebraicorum verborum, quae in Diſſert. I. excutiemus.

Venio nunc ad Onkeloſi Targum, in quo eadem verba ita leguntur: *Et terra erat* (צדיא וריקניא, *tsadja verekanja*) *vaſta & inanis*. Cui interpretationi proxima eſt noſtrae vulgatae translatio: *Inanis & vacua*. Nec ſi ſententiam ſpectes, ab utraque longe abſunt Aquila & Theodotion. Nam Aquila quidem vertit κένωμα καὶ οὐδὲν, Theodotio κενὸν καὶ οὐθέν. Quo loco οὐδὲν rem contemptibilem ac nullius pretii (cujuſmodi tunc tellus fuerit; utpote nullo cultu ornata) ſignificare videtur; ut Ion, nothus exſiſtens, apud Euripidem in cognomine fabula conqueritur ver. 594.

Μηδὲν

(3) Varro in IV. de L. L. *NEPTVNVS, quod mare terras OBNVBIT, ut NVBES Caelum.*

Digitized by Google

Μηδὲν καὶ ὐδὲν ἐνθάδ᾽ ὢν κεκλήσομαι.
Non nauci habebor, non bilum hîc me duxerint.

Sunt qui ὐδὲν καὶ ὐθὲν (ferme ut in Ione modo Euripides) poſuiſſe in ſua interpretatione Aquilam dicunt.

Et tenebrae erant ſuper faciem abyſſi] Themiſtius in paraphraſi ad Ariſt. Metaphyſ. tum *tenebrarum* loci hujus, tum τῦ *Inanis* meminit. Nam pag. 8. edit. Venetae Latinae ait: *Theologi antiqui, qui mundum ex TENEBRIS generabant:* idemque pag. 18. addit: *Et ex inani*. Ceterum *Theologorum* veterum nomine, Moſisne hunc locum, qui ad manus eſt, deſignarit, an Orpheum, Sanchoniathonem, alioſque qui ex Moſe haec eadem aut his ſimilia deprompta ſcriptis inſperſerunt ſuis, quis praeſtare auſit?

Super faciem abyſſi] Ἄβυσσος Graecum nomen eſt, & quidem apud profanos ſcriptores ſemper adjectivum, veluti λίμνη ἄβυσσος, χάσμα ἄβυσσον: vide plura exempla in Stephani Theſauro. Fit autem ex Ἀ privativo & Βυσσὸς quod ab Herodoto, teſte Suida, pro βυθὸς (*fundum*) uſurpatur. Haec prae aliis praeſtantior originatio. Apud profanos igitur adjectivum eſt. At in Graeco LXX Seniorum & Novi Teſtamenti ſubſtantive ubique uſurpatur, ac ferme pro aquarum tam immenſa voragine, (4) ut fundo carere videatur. Ab his fontibus ea vox & quidem ſubſtantive uſurpata, in Latinam tam Veteris, quam Novi Foederis interpretationem fluxit, itemque apud ſcriptores tantum Chriſtianos, tam Graecos quam Latinos, ſed ſemper feminino genere. Si quaeras cur LXX (qui primi uſi) ac mox N. T. Scriptores, & Auctores Chriſtiani feminino genere ſemper uſurparint; non aliud reſpondere ſubit, quam cum eam vocem pro Hebr. תהום *thehom* ubique poſuerint, imitati ſint genus muliebre, quod in fontis vocabulo invenerunt. Haec de *Abyſſi* vocabulo: de re autem, quantum ad Hexaëmeron attinet, erit alibi loquendi locus, ubi ad ver. 5. de Firmamento agemus. Vno autem hîc verbo praedicimus, Abyſſum in Sacra Pagina plura ſignificare: hîc vero notari eo nomine immenſum illud aquarum σύστημα, quo tellus occulebatur a principio. Ibi vide.

Et Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas] Judaeos illos non ſequor, qui *Spiritus* nomine dumtaxat ventum elementarem intelligunt, miſſum ad exſiccandas aquas. Potuit quidem ſimul & ventus eſſe, modo comes ac ſymbolum Spiritus Divini fuerit; ſicuti & Act. II. 2. Divino deſcendente Spiritu, *factus eſt ſonus tamquam advenientis ſpiritus* (in Graeco πνοῆς) *vehementis*. Verum Judaeorum antiquiorum traditio ecqua fuerit, explicat Hieronymus in quaeſt. Hebr. ubi vim vocis מרחפת *merachepheth* (quae hîc redditur *ferebatur*) ex Judaica doctrina interpretatur, *Incubabat, ſive confovebat in ſimilitudinem volucris ova calore animantis*. Ac ſane verbum רחף *rachaph* eo ſignificatu, quem Hieronymus ei tribuit, pollere, ex lingua Syrorum conſtat, apud quos רחף *racheph* eſt *incubare* & *fovere* more avium inſidentium, idque non tantum recentiores Syri hoc Geneſeos loco agnoſcunt, ſed & antiqui, teſte Baſilio in Hex. qui ex fide cujuſdam Syri verbum hujus loci Hebraicum exponit, συνέθαλπε, καὶ ἐζωογόνει κατὰ τὴν

(4) Heſychius: Ἄβυσσος πέρας οὐκ ἴσχει (plerique ἴσχει in ἔχει vertunt: ne muta, cum ſit integer alicujus locus, & Ἄβυσσ. ſit fem.) ὕδατα ἄπειρα, ἀκατάληπτα. *ABYSSVS terminum in profundo non habet. Aquae interminabiles, incomprehenſibiles.*

τὴν εἰκόνα ἐπωαζούσης ὄρνιθος. *Fovebat vivificabatque gallinae inſtar ovis incubantis.* Hanc peranꝗiquam Judaeorum Syrorumque interpretationem, qua hoc Geneſeos loco Divinus Spiritus cum volucre comparatur, videtur adprobaſſe Deus, ubi ſub columbae ſpecie Spiritus Sanctus ſupra Chriſtum ſtetit: de quo vide quae ad Matt. III. 16. dicturi ſumus. Ergo ut eo redeam, non aliud mihi Moſes videtur innuere voluiſſe, quam aquas fotu Divini Spiritus fecundatas, atque abyſſum univerſam a primaevo illo ſtatu incompoſito ad erumpendum in opera divinae potentiae provocatam. Facit huc locus illuſtris Deut. XXXII. 11. ubi idem verbum רחף elegantiſſime uſurpatur, cum non diſpari aquilae comparatione: ita ut facile appareat, Domini *Spiritum* in Scripturis cum volucribus conferri ſolere, pullos ſive mox edituris, ſive jam editos educantibus, & ad volandum incitantibus. Neque mirum Hebraeos id factitaſſe. Nam quia vox רוח *ruah* h. e. *Spiritus* ab Hebraeis feminino genere uſurpatur, elegantiſſime Moſes hîc matris ei potius, quam patris munus attribuit. Itaque in Hebraeorum libris apocryphis V. T. memini legiſſe illud: *Spiritus Domini mater mea*. Item in Hermetis *Tabula ſmaragdina*, quam Fabric. to. I. Bibl. Gr. pag. 68. n. IV. adtexuit, (eam vero ab Judaeo aliquo antiquitus confictam ſtylus oſtendit) inter cetera legitur: *Portavit illud Ventus* (in Hebraeo haud dubie fuerat רוח *ruah* h. e. *Spiritus* ſive *ventus*) *in ventre ſuo: nutrix ejus terra* &c. Ex his perquam futilibus monumentis non aliud colligo; quam hoc ſolum, nim. *patris* attributum nominibus femininis improprie tribui, at matris, πρεπόντως (*ex decoro ſermonis*) id fieri. Poſtremo huc etiam mirifice facit, quod Judaei, qui tum primum Latine balbutiebant, cum didiciſſent feminina nomina fere ſemper ſolere a Latinis in A terminari, pro *Spiritu* (quae vox Hebraeis generis eſt muliebris) dixerint *Spirita*: unde iidem baptiſmo tincti *Spirita Sancta* pro *Spiritu Sancto* efferebant. Didici hoc ex ea inſcriptione quam Mabillonius in Itinere Italico affert pag. 73. quam & Fleetwodus pag. 430. refert:

D . MA . SACRVM . XL

LEOPARDVM . IN . PACEM . CVM . SPIRITA . SANCTA . ACCEPTVM
EVMTE . ABEATIS . INNOCINTEM . POSVER . PAR . Q . AN . N . VII
M . VII . (5)

AD GEN. I. 3.

Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta eſt lux.

Dixitque Deus: Fiat &c.] Facit huc praeclarus Ambroſii locus in Hexaëm. lib. III. 2. *Prima illa vox Dei ſingulis creaturis impertita gignendis, lex naturae eſt, quae terris in omne aevum remanſit, futurae ſucceſſionis datura praeſcriptum, quemadmodum vel generandi vel fructificandi in reliquum uſus adoleſceret.* An poterat quidquam ſive θεολογικώτερον, ſive φιλοσοφικώτερον dici? Huc enim illud Prov. VIII. pertinet:

(5) Ad quam epigraphen Mabillonius tria notat: I. τὸ D. MA. SACRVM pertinere *ad prima illa tempora, quibus cruda adhuc quorumdam in cordibus Chriſtiana religio aliquid de paganici ritus ſuperſtitione retinebat.* II. Illud XL. poſitum eſſe *ad deſignandum tumulum.* III. Quod vero ad SPIRITA SANCTA &c. attinet, *Hic*, inquit, *manifeſtus eſt de Confirmatione locus*: quae antiquitus junctim cum baptiſmo dabatur. Appoſite iſta quidem: ſed obſervandum praeterea fuerat, hujus Leopardi parentes, qui titulum poſuerunt, Judaeos Syroſve natione fuiſſe, eoque factum, ut quem ceteri Chriſtiani *Spiritum Sanctum*, ipſi (utpote Latini ſermonis paene rudes) SPIRITAM SANCTAM appellaverint, eo nim. genere, quo ſua dialecto in *Spiritu* enuntiando utebantur. Itaque τὸ רוח הקדושה (*ruah hakkedoshah*) *Spiritam Sanctam* Latine reddebant.

Digitized by Google

pertinet : *Quando certa LEGE vallabat abyſſos* : . . *Et LEGEM ponebat aquis*, *ne tranſirent fines ſuos* : ſicuti & alibi plura ſimilia . Atq. ab hoc praeſcripto ſibi tum primum Divinâ voce promulgato , numquam rerum natura exorbitavit . Proinde non mirum ſi os divinum , tantae efficaciae vocem edens , jure ac merito gentiles *Os forte* vocaverint . Ad tantam enim Divinae vocis ἐνέργειαν illud trahi poſſe videtur , quod ethnici non alia de cauſa IOVI FIAZZO (ſicuti ſcalptum in marmore , quod erat in villa Pauſilypenſi viri nobilis Salernitani Mazzae , legi) cultum exhibuerunt . FIAZZVS autem eſt ipſum Hebraicum פי עז (*phi-az*) h. e. *Os forte* . Videntur enim ſive Syri , ſive Phoenices aut Tyrrheni ita vocaſſe Deum ſummum , qui voce tantum , ea , quae non erant , fecit ut eſſent . Haec eadem marmoris hujus *fortitudo divinae vocis* a me alibi non minus appoſite ad tonitrua etiam refertur , quae in Scripturis *voces Dei* vocantur , ſicuti & a gentilibus tanquam ore Jovis expreſſa concipiebantur : de quo univerſo negotio ſpiſſa Diſſertatio loco opportuniore dabitur .

Jam vero ad vim Oris Divini , prorſus mirificum illud Apoſtoli pertinet (ad Rom. IV. 17.) *Vocat ea quae non ſunt , tamquam ea quae ſunt* . Vbi eleganter Apoſtolus , Deum ita provocantem creaturas , de nihilo ut erumpant , facit , quaſi clamans advocet ſingulas , imperetque : *Eja tu* , *Lux procede foras* , & ita ceteras , quae de nihili ſinu (ſi ſic loqui liceat) excitatae , voci divinae dicto citius parent . Quocirca non immerito Longinus , quamvis religione profanus , eximium ſtyli ſublimioris ſpecimen in Moſe admiratus , ſeſe continere nequivit , quin Legislatorem ſtuperet , ita incipientem : *Dixit Deus : quid tandem ? FIAT LVX : & facta eſt : FIAT TERRA : & facta eſt* . Longini locus integer , quamquam ſatis vulgatus , non queo imperare mihi , quin inferne (6) viſatur ; ac ſimul ut intelligatur , hunc hominem juxta cum Pauli loco proxime recitato , Moſis

(6) Longinus lib. περὶ ὕψους Sect. IX. ait : *Ταύτῃ καὶ ὁ τῶν Ἰουδαίων θεσμοθέτης , οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ , ἐπειδὴ τὴν τοῦ θείου δύναμιν κατὰ τὴν ἀξίαν ἐχώρησε , κἀξέφηνεν εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων , Εἶπεν ὁ Θεὸς , φησὶ τί ; γενέσθω φῶς · καὶ ἐγένετο · Γενέσθω γῆ · καὶ ἐγένετο* . *Propterea Judaeorum quoque legislator , haudquaquam ſpernendus homo* (h. e. *quantivis pretii* ; eſt enim λιτότης illi ſimilis , quam Livius de Polybio uſurpavit , cum *Auctorem non ſpernendum* vocat , intelligens Praeſtantiſſimum) , *quandoquidem divini Numinis virtutem pro dignitate concepit ac divulgavit , utpote ſtatim in ingreſſu atque initio legum ſcribens , Dixit Deus : quid inquit ? Fiat lux : Et facta eſt : Fiat terra : & facta eſt* . Hic vero dixerit aliquis , cum in Moſe tum alibi , tum hic potiſſimum , ἀφέλεια [*ſimplicitas*] potius orationis , quam ſublimitas admirandam ſe praebeat , cur eum locum κριτικώτατος ἀνὴρ [ſic enim vocari ſolet] in exemplum magniloquentiae ſtatuit ? Atqui ſublimitas hic non in verborum , non in ſchematum , ſed in rerum ipſarum imperceptarum , atque admirabilium granditate ineſt . Id quod & Paulus ante viderat ad Rom. IV. 17. [locum modo ſupra illuſtravimus] ubi extra ſe raptus , ita de Deo creatore ait : *Vocat* [tamquam ſcil. famulos ad imperium] *ea , quae non ſunt , tamquam ea quae ſunt* . Similia prorſus rerum faſtigia in Moſaicorum ſimplicitate verborum obſtupeſcens Longinus , prorſus obmutuit , ne ullum quidem , quod in rebus ſuapte natura magnis addi ſolet , auſus ἐπιφώνημα ſubjicere . Nempe alius poſt illud , *Fiat lux* , *& facta eſt lux* , tale aliquid acclamaſſet : *Quid amplius dici aut excogitari poteſt* ? At ne hoc quidem noſter artis criticae princeps eſt auſus , ne rem verbis omnimode ſuperiorem dicto quovis corrumperet , aut extenuaret . Ceterum [ut obiter moneam] ex eo quod ſtatim addidit , *Fiat terra* , *& facta eſt* , ſatis apparet , Longinum , qui hanc Moſaicam κοσμοποιΐαν tanto ante legiſſet , poſtea fefelliſſe memoriam . Nam terram initio creationis cum toto confertim Chao factam Moſes aperte ver. 1. dixit : quam Longinus poſt lucem prodiiſſe ſignificat .

Digitized by Google

ſis magniloquentiam non in verbis , quae ſimpliciſſima ubique ſunt , ſed unice in rerum magnitudine conſtituiſſe .

Dixitque Deus : fiat lux] Vide an non lucem , principem operum Domini, Φάνητος vocabulo Orphici intellexerint . Argonauticorum Orpheo tributorum vetuſtiſſimus auctor initio ex ἀρχαίη χάυς principio natos ait

Αἰθέρα , καὶ διφυῆ περιώπτια κυδρὸν ἔρωτα ,
. . . . ὅν ῥα Φάνητα
Ὁπλότεροι καλέυσι βροτοὶ, πρῶτος γὰρ ἐφάνθη .
Aethera , naturâ ac duplicem venerabilem Amorem ,
Seri hominum modo cui nomen poſuere Phanetem ,
In lucem primus quia prodiit .

Niſi vero Φάνητος nomine hoc Orphici expreſſerunt , quod Gen. XLI. 45. פענח *phaaneah* ſermone Aegyptio dicitur : nam Orphicos pleraque ex Aegyptiis petiiſſe, non eſt dubium . Vide dicta ad Gen. XLI. 45. Adhaec פוע *phua* Chaldaeis paraphraſtis *lucere* ſignificat .

AD GEN. I. 5.

Appellavitque lucem diem , & tenebras noctem : factumque eſt veſpere & mane dies unus .

Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem] Proclus lib. 4. in Platonis Timaeum pag. 248. edit. Baſil. tradit diem & noctem Deos eſſe , ὧν καὶ κλήσεις, inquit , ἔχομεν ἐκδεδομένας παρ' ἀυτῶν τῶν θεῶν , *quorum appellationes traditas habemus ab ipſis diis* . Nec dubium mihi eſt, quin ad hunc Gen. locum digitum intenderit Proclus , aut quivis alius , ex quo id Proclus didicerat : cujus rei illud indicio eſt , quod diei noctiſque appellationes Deo tamquam nomenclatori aſſignantur . Quod autem Proclus non a *Deo*, ſed plurative *Diis*, id nomen inditum ait , id ex eo manavit , quod hoc loco plurale nomen אלהים *Elohim* (quod Hebraei de uno Deo uſurpant) reperiatur , ex quo gentiles *Deos* quaſi plures hic infarſerunt .

Appellavitque lucem diem & tenebras noctem , factumque eſt veſpere & mane dies unus] Vno hoc commate duplex diei notio , tam mora ſolis ſupra horizontem , quam pro ſolida ſideris converſione, deſignatur . Vtramque quidem notionem eſſe antiquiſſimam hinc conſtat . Sed dubitari poſſit , utra earum notionum ſit primitiva & naturalis , utra vero poſterior atque addititia . Aſtronomi , dum diem naturalem 24. horis definiunt, diurnum vero tempus (quamdiu ſcil. luceſcit) diem artefactum appellant , videntur non dubitare , quin primitiva diei ſignificatio totum τὸ νυχθήμερον (*noctiduum*) complectatur , altera vero illa notio non niſi poſterior atq. addititia habenda videatur. Verum & ex hoc Gen. loco, & ex iis, quae ad Gen. VII. 4. dicturi ſumus , longe aliud mihi videtur , putanti primaevam diei notionem lucis tantum ſpatia notare , atque hunc demum diem naturalem habendum; illum vero alterum, qui 24. horis continetur, *artificialem* vocandum; quem proinde Graeci ἡμερονυκτίυ, aut νυχθημέρυ vocibus artefactis deſignant . Confer etiam Joſ. X. 14. ubi aperte ſola ſupra horizontem ſideris mora dies dicitur ; necnon quae loca tum ſacra , tum extera ad Gen. VII. 4. cumulaturi ſumus , ex quibus conſtat , ubi horarum 24. periodos deſignari oportuit , ibi plerumque tot dies, totque noctes ſeorſum numerari, ut appareat , diem naturalem nihil cum nocte commune habere .

Factumque eſt veſpere & mane dies unus] *Veſpera* pro nocte , *mane* pro die hîc ſumitur . Itaque tantumdem eſt, ac ſi dixiſſet, *factumque eſt ex nocte* (prima) & *die* (primo) *dies* (integer , ſeu νυχθήμερον) *unus* . Noctem die priorem exſtitiſſe , cum Hebraeis conſentiunt etiam gentiles , ad quos illa traditio manavit . Porro ערב *ereb* , *veſperam* pro nocte Moſes hîc poſuit: id quod Graeci etiam uſurpaſſe videntur , quippe cum Hercules τριέσπερος poëtis dictus fuerit , quaſi dixeris *trinoctialis* , quippe tribus noctibus in unam coaleſcentibus genitus . Jam vero quae cauſſa fuit, cur Moſes veſperam pro nocte, mane pro ſolido die poſuit , niſi quod ſtatim diei mentionem facturus erat ? Maluit enim ſic dicere , quam *Factus eſt ex nocte & die dies unus* , qua in oratione bis , diverſa tamen notione , diei vox ſimul jungenda fuiſſet , ſemel pro diurno tempore , iterum pro toto νυχθημέρῳ . Hunc tamen locum ſi cum Gen. VII. 4. conferas , facile intelliges utramque *diei* notionem eſſe antiquiſſimam : ita tamen ut dies naturalis antiquis diurno tantum tempore definitus eſſe videatur : artificialis autem is , quem integra ſolis converſio metitur : contraria prorſus ratione , quam hodie aſtronomi uſurpant .

AD GEN. I. 6.

Fiat firmamentum in medio aquarum , & dividat aquas ab aquis .

Fiat firmamentum in medio aquarum] Hebr. fiat *Rakiah* i. e. *expanſum* : quae vox ſua quidem natura univerſum liquidae ſubſtantiae σύστημα (*corpus*) a tellure ad extrema uſque mundi ſpatia patens , complectitur . Quod autem Hebraeis *Rakiah* (*Expanſum*) dicitur , id Platoni τάσις eâdem notione vocabatur . Atque τάσεως huius ſive *expanſi* partes duae ſunt, caelum aſtriferum, & caelum aëreum h. e. citimus terris aër. Eo fit, τὸ *Rakiah* ſeu firmamentum, ſaepe pro una, ſaepe etiam pro altera ſuarum partium ſumi . Veluti cum Deus die quarto luminaria *in firmamento caeli* poſuiſſe dicitur , ibi ſtelliferum caelum eſt intelligendum : at ubi die quinto volatile volare *ſuper faciem firmamenti caeli* legitur , ibi aëreum tantum caelum eſt . Ita cum vaga ſit Firmamenti ſignificatio , ut modo totum quaqua patet expanſum , modo hanc illamve ejusdem partem , ſive ſideream ſive ſublunarem , notet : hîc ſignificationis τὸ ἀόριστον (*indefinitam notionem*) Moſes additamento opportune coërcuit . Non enim hîc *Firmamentum* abſolute dixit , ſed cum additamento *in medio aquarum* , quo addito aëreum caelum neceſſe eſt intelligi ; cui ſoli hoc convenit , ut aquas ſuperiores i. e. nubes ab aquis inferioribus , tamquam μεσότοιχον (*intergerivus paries*) divellat , ſuaque vi elaſtica (qua aër maxime pollet, Divino utique hujus alterius diei munere) aquas utraſque divellat atque coërceat , ne iterum coëant . Notandum eſt autem huc ſpectaſſe Joannem , ubi ter in Apocalypſi aërem μεσουράνημα appellavit , h. e. *caelum medium* , propterea quia aër (quod hîc firmamentum vocatur) caelum eſt MEDIVM , ac veluti ſaepimentum inter aquas ſuperne pendulas , interque has inferne fluitantes . Vide quae nos ad Apoc. XIX. 17.

Antequam vero hinc digredior, illud mihi verbo ſaltem uno expediendum video ; cum quodcumque hîc *Firmamenti* (ſive ſublunaris hujus , ſive ſiderei) nomine venit, id omne liquidum ſit atque diffuſum; cur *Firmamentum* in Scriptura dicatur. Huic difficultati ad Luc. XVI. 26. occurremus , ubi illud (*Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt*) explicabimus . Ad ſummam his aliiſque locis *firmitudo*, quae ineſt vocabulis, nec ad *Expanſum* , nec ad *Hiatum* Lucae pertinet ,

ſed

Digitized by Google

ſed ad praeſcripti divini (7) ſtabilitatem. Plura alibi (8) de his congeſſimus.

Ergo *Firmamentum* ſive *Expanſum* duplex eſt, ſidereum unum, h. e. Aetheris extenſio tota qua latiſſime patet: alterum ſublunare, quod aliud non eſt quam citimus terris aër. Hoc vero altera die in hunc modum prodiit. Principio Deus *creavit caelum* (ad quod caelum tum aethereum, tum & aëreum pertinet) *&* *terram*. Terra autem ἀόρατος i. e. *inviſibilis* (uti LXX. loquuntur initio fuit, utpote abyſſo, *tamquam pannis infantiae* (ſicuti Job XXXVIII. 9.) dicitur) *involuta*. Abyſſus autem illa, uti ſupra innuimus, congeries aquarum erat, non quidem corpulentiorum, cujuſmodi in mari, in ſtagnis, fluminibuſque intuemur, ſed tenuiorum, ferme ut in ſpiſſa caligine ac nubibus obſervamus. Atque abyſſus iſta obnubebat quaquaverſum tellurem, & ad ſuprema uſque ſpatia aetheri proxima pertinebat. Hic rerum ſtatus diei primae. At poſtridie tota abyſſi moles, qua parte telluri proximior, partim (quidquid nim. craſſius erat) in aquas ſpiſſiores terrae omni ex parte incubantes coivit, partim (quidquid nim. tenuius) excretum, media regione ſedit, aërque vocatus. Hoc factum citimâ terris abyſſo fuit: at pars abyſſi ſuperior adhuc inſtar nubis rareſcens, pendula manſit, objectu hodierni operis, h. e. firmamenti, ſive interfuſi aëris, a terreſtribus his craſſioribus aquis dirempta. Habes, quod *Firmamentum* ſive alterius diei opus, ſit aër. Atque eadem ſententia Patrum & Theologorum conſenſu nititur. Ergo aquae ὑπερουράνιοι non aliud quam nubes.

AD GEN. I. 8.

8. *Vocavitque Deus Firmamentum, Caelum: & factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.*

Vocavitque Deus Firmamentum (illud ſcil. de quo dixerat ver. 6. *Dividens aquas ab aquis*) *Caelum*] Cur *firmamento* ſive *expanſo* inditum ſit Hebraicum nomen שמים *shamaim*, dictum in ea diſſertatione fuit (ad Gen. VI. 4.) ubi *Viros nominis* interpretatus ſum *viros proceros*. Nunc videndum, cur hoc ipſum firmamenti ſeptum, cui datum eſt aquas ſuperiores abjungere ab inferioribus, Latini CAELVM appellarint. Nam Latini, ut alibi copioſe oſtendimus, pleraque ſuorum nominum ac dogmatum ab Oriente per inde advenas Tyrrhenos ſunt mutuati. Omnino CAELVM eſt ab Hebr. verbo כלא *cala* quod eſt *prohibere*, *arcere*. Ab eo verbo fit nomen ſex punctorum כֶּלֶא *cele*, quod ſignificat *carcerem*, *clauſtrum*, & quidquid coërcet ac prohibet. Ab Hebr. autem *Cele* fit Latinorum *Caelum*; ita nim. ab Etruſcis vocatum propter Hebraicam παράδοσιν de *firmamenti* (cui a Deo inditur hic *Caeli* nomen) officio arcendi aquas ab aquis. Et quia ſolet Hebraea vocalis *ſegol* in diphthongum AE apud Latinos tranſire; idcirco *Caelum* ſemper

(7) Quo ſpectat illud Auguſtini dicentis, *Firmamentum* ita vocari propter *Intranſgreſſibilem terminum ſuperiorum & inferiorum aquarum*, quod eo objice ſuperiores illae, quae in nubes denſantur, aquae labi deorſum vetentur.

(8) In *Opificio ſex dierum*, quod in Neapolitano hoc Gymnaſio plures abhinc annos explicuimus, haec copioſe enodavimus; & ad Iſaiam, ſi Deus annuerit, ex hoc Propheta oſtendemus, τὸ στερεῶν Helleniſtis tantumdem eſſe, quod *interius extendere* & *expandere*; ſicuti malleo laminae compreſſae ac duratae extenduntur. Judaei non dubitant quin, quod in Hebraeo *Rakiah* vocatur, in Vulgata vero *Firmamentum*, ſit hic ipſe, quem ſpiramus, *aer*. Iidem tres regiones caelorum conſtituunt, primam *Rakiah*, quam aërem interpretantur, alteram proprie *Shamaim* h. e. *caelum* vocant, tertiam vero *sheme shamaim* h. e. *caelos caelorum*, quod eſt Divinae beatitudinis domicilium.

ſemper cum ea diphthongo in veteribus monumentis legitur. Porro & apud Syros eadem prorſus ſignificatio eſt verbi כליא *cela*: & ab eo verbo fit כליא *celjo*, *ſeram* ſignificans, & כלין *celjon* & כליתא *colito*, quae quodvis obſtaculum ſignificant. Poſtremo ab ea Orientis radice non tantum CAELVM fit, ſed & alia plura Latinorum vocabula, ut CLAVIS & CLAVDO cum ſua propagine, & CAVLA (quae Hebraice eſt מכלא *micla* ab eodem themate), & alia plura a nobis in Etymologico ediſſerta. Faceſſant autem illae *Caeli* originationes a *caelando* aut *celando*, aut a CAVVS, aut a Gr. κοῖλος, & ſiquae ſunt aliae, ut in Etymologiis Tyrrhenicis dictum.

AD GEN. I. 9.

Congregentur aquae, quae ſub caelo ſunt, in locum unum, & appareat arida.

Congregentur aquae, quae ſub caelo ſunt] Tantum aquas inferiores inundantes tellurem hoc die Deus compulit in locum unum: at quae ſupra caelum ſive firmamentum pendulae diſcurrebant, eas loco non movit, parentes imperio artificis, ne quando, niſi juſſae, in uſus terrae deſcendant.

Congregentur aquae] Terra huc uſque ſub aquis latens, haud dubie rotunda erat, eâque de cauſa aquae ſe circa tellurem omni ex parte librantes, obnubebant totam. Vt ergo tellus ab aquis emergeret, alveus ad reponendas aquas incavandus fuit, in quem aquae confluerent. Is vero cavus opus tertii diei fuit. De hoc cavo, inquis, Moſes ne verbum quidem. Atqui ejus operis ſignificatio principio ipſo commatis hujus latet in verbo קוה *kavah*: quod ne dubita quin hoc loco *cavandi* vim habeat: ex quo Latini tum ſuum *Cavandi* verbum, tum *Cavi*, imo & *Aquae*, & alia plura nomina per Tyrrhenos didicerunt. Quorum omnium originationes in Tyrrhenicis originibus (quas nunc in recudendo Voſſiano Etymologico locis ſuis commiſceri permiſi) ex uno hoc verbo קוה *kavah*, quod hîc legitur, eſſe adſciſcendas docui: ex quibus nonnulla huc (9) non invitus refundam. His intellectis τὸ יקוו *jikvu* loci hujus, ſi quidem verbi proprietatis cura ſit, verti poſſe (etſi parum Latine) ajo: *Incaventur* (h. e. *in cavo recondantur*) *aquae* . . . *in loco uno*. Et quidem ſimul ac ſcrobes excavatae fuerunt, aquae, quibus in declivia defluendi datum natura fuit, in cava conceptacula, quacumq. patuere, momento uno decurrentes, tellurem detectam in ſicco reliquerunt.

AD

(9) Quod verbo קוה *kavab* notio *cavandi*, & quidem praecipua, inſit, ex eo primum ſuadetur, quod, niſi id ſignificet, *Cavandi* & *Cavi* vocabulis ſermo Hebraeus carebit: deinde & ex eo quoque, quod alioqui Latina lingua pluribus etymologiis deſtituetur, per quas (ut in etymologico noſtro Latino-Tyrrhenico demonſtratur) non ſolum *Cavo* & *Cavus*, ſed etiam *Aqua*, & *Aequus*, & *Aequor* &c. deducuntur: quorum deploratas etymologias in noſtris Voſſio additis in verbo *Aqua* reperies. Accedit quod ex Iſ. XXII. 11. (praeter alia loca) conſtare non dubito, quin מקוה (*Mikveh*) ſit *Cavus*, ſive conceptaculum ad continendas aquas: ubi etiam Vulgata noſtra vertit *lacum*. At LXX. reddiderant ὕδωρ (*aquam*) quod ſane perplacet; quia (ut in laudata etymologia *Aquae*, quam inter etyma Voſſiana reperies) ex מקוה *mikveh* Tyrrheni, permutatâ litterâ formativâ, fecere אקוה *Akveh*, ſive *Aqueh*, unde *Aqua* Latinum. Locus Iſ. XXII. 11. in Vulgata ſic habet: *Et lacum* (Hebr. *Mikveh*, h. e. *cavum*, ſive potius *conceptionem aquarum*) *feciſtis inter duos muros*.

Digitized by Google

AD GEN. I. 10.

Et vocavit Deus aridam, Terram: congregationeſque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod eſſet bonum.

Et vocavit Deus aridam, Terram, congregationeſque aquarum appellavit Maria] Quaecunque Deus per creaturas facit, facere ipſe dicitur, ut Gen. II. 6. Deus ipſe pluere dicitur; alibi ſaepe ore ſuo eructare tonitrua. Ac ne multis: Moſes hoc capite non rerum ſolum procreationem, ſed & earum vocabula ad Deum auctorem refert; qui primis ſcilicet parentibus τὴν ὀνοματοποιητικὴν δύναμιν (*excogitandorum nominum facultatem*) infuderit. Plane vero pulchre in vocabulis philoſophatur hic Moſes (non diverſo plane modo, ac diu poſtea Plato, quaſi Divinum hunc ſcriptorem imitatus, in Cratylo fecit) ut qui innuere hic videtur, prius eſſe τῆς יבשה *jabaſciah*, *Aridae*, quam τῆς ארץ *erets*, *Terrae* vocabulum. Certe quidem nemo non videt, hoc primum in tellure conſiderari, nempe ſiccitatem, ex Ariſtotelis quidem certe, aliorumque veterum placitis, terram ſumme ſiccam, remiſſe frigidam eſſe, ſciſcentium: quam ob eam cauſam ξηρὸν Graeci olim, ut & Latini *ſiccum* (quaſi hunc locum ſibi imitandum propoſuiſſent) appellare conſueverunt (10). Ex quo poteſt intelligi, eam demum fuiſſe primitivam naturalemque appellationem, in quam cum Hebraeis Graeciae Latioque convenerit: illam vero alteram vocem ארץ *erets* [quae a *terendo* ſic dicta fuit, ſicuti & apud Latinos indidem *terra* nomen invenit] fuiſſe poſteriorem, ac ſuperadditam. Ceterum, quod ξηρὸν ἢ ἔξω Graecia appellavit, Latinique *ſiccum*; id LXX. ceterique Helleniſtae ſequiore genere ξηρὰν vocarunt more Hebraico, quibus *jabaſciah* femineum erat, & apud quos univerſe feminina pro neutris uſurpantur. Hinc & in Latinam translationem *Aridae*, ſive *ſiccae* (11) nomen transfuſum fuit; & quidem muliebri genere, ut τῇ ξηρᾷ Seniorum reſponderet: quamvis Graecorum imitatione Latini, qui Hebraice ignari, *Siccum* neutro dicere maluiſſent.

Congregationeſque (Hebr. מקוה *mikveh* i. e. *cavum* ſive *conceptaculum*) *aquarum appellavit Maria*] Hebraice numero ſingulari *congregationem* . . . *appellavit Maria*. Illud autem ſingulare cum hoc plurali junctum vim habet diſtributivam, quaſi dixiſſet *unamquamque conceptionem aquarum appellavit Maria*. Sic & illud ſuperioris commatis, *Congregentur aquae* . . . IN LOCVM VNVM, diſtributive eſt exponendum. h. e. *unaquaeque aquarum conceptio in unum aliquem locum confluat*. Nam ceteroqui plurima praeter pontum fuiſſe aquarum συστήματα [*conceptacula*] docent ſtagna plurima ab Oceani communione disjuncta.

Hinc

(10) Thucydides lib. I. τάς τε ναῦς ἐπὶ τῷ ξηρῷ ἐποίησε, h. e. *in ſicco ſtatuit*. Et lib. 8. ἐξέωσάν τε ἐς τὸ ξηρὸν τὰς ναῦς τῶν Ἀθηναίων καὶ ἐς τὴν γῆν ἐπεξέβησαν. Eſt apud Athenaeum lib. 7. mentio τῶν ἐν τῷ ξηρῷ διατριβόντων ζώων. Ea ſunt terreſtria animalia, quae Plato in Politico apud eundem Athenaeum lib. 3. ab ingreſſus paſtuſque loco appellat ξηροβατικά, ξηρονομικὰ καὶ ξηροτροφικά, ut & aquatilia ὑδροβατικὰ καὶ ὑγροτροφικά; & quidem κακῶς, ut Athenaeus affirmat, ὀνοματοποιΐας. Jam vero Homerus non abſolute *ſiccum*, ſed cum *telluris* patrio caſu uſurpavit Od. V.

Ῥόχθει γὰρ μέγα κῦμα ποτὶ ξερὸν ἠπείροιο.

Ad ſiccum telluris enim ingens unda remugit.

Latinis eadem locutio in uſu fuit. Virgil. *Cumque marinae In ſicco ludunt fulicae*. Plinius XXVI. 7. *Neque in mari neque in ſicco*. Alibi: *In ſicco exſpiraſſe*. Ejus contrarium Athenaeus lib. VII. ὑγρὸν appellavit, cum anguillam murenamque poſſe diu dixit ἔξω τοῦ ὑγροῦ ζῆν. At Homerus paſſim altero genere, ut Il. XIV. Ἐπὶ τραφερήν τε καὶ ὑγρήν.

Super ſiccam atque madentem.

(11) In vetere Itala verſione *Siccam* pro *Arida* Vulgatae uſurpatum video, ut Pſalm. XCIV. *Et ſiccam manus ejus formaverunt*.

Digitized by Google

Hinc vero etiam intelligimus, jam tum a nomenclatore Deo id manaſſe [quod paſſim poſtea Hebraeis aliiſque Orientalibus peculiare manſit], ut quaelibet aquarum collectiones *Maria* nuncuparentur, ut *Mare Galilaeae*, *Mare mortuum*, quae merae paludes erant. Vt e contrario λίμναι veteres etiam de mari, ac praeſertim de finibus [qui utrum cum mari committerentur, nondum erat compertum] uſurpabant [12]. Ceterum primitivas appellationes ab Hebraeis ad ceteras gentes fuiſſe propagatas uſuvenit: nam & hoc apud profanos reperio, ut lacubus *maris* vocabulum tribuerent. Neque vero in hunc cenſum refero, quod majores lacus λιμνοθάλασσαι vocabantur; cujuſmodi Strabo in Armenia, Mattiana, Phrygia, Hiſpania, prope Burdegalam, ad Coſſam, in Taurica Cherſoneſo, & alibi memorat. Illud huc magis attinet, quod ad Padi oſtia *ſeptem marium* [13] quorumdam, quae tamen paludes fuere, appellatio ab antiquis notatur: quae nomenclatio Tuſcorum fuit. Ad hos autem, uti dixi, a Chananaeis [quorum ἀπόγονοι Tyrrheni] cum aliis locorum nominibus [14] tranſmiſſa fuit. Verum ut illuc, unde diverti, redeam, etiam & Mareotis palus πέλαγος [*mare*] Straboni dicitur lib. XVII. pag. 545. ubi Alexandrinam regionem ἀμφίκλυστον δυσὶ πελάγεσι dicit h. e. *duobus maribus allui*, Aegyptiaco a ſeptemtrione, & palude Mareia ſeu Mareotide a meridie. De Caſpio vero lacu minus miror, ſi ſuae vaſtitatis merito apud omnem

(12) Sicut Hebraei quoſcunque lacus *maria* appellant; ſic viciſſim Homerus XXIV. 79. Pontum Euxinum λίμνην vocavit, itemque Sinum Arabicum λίμνας Aeſchylus appellavit, quem locum ad Moſaicum canticum Ex. XV. explicuimus. Et λίμνην Μαιῶτιν Latini quoque *paludem Maeotidem* nuncuparunt: ſed & idem Homerus paſſim Oceanum ποταμὸν vocat, ut Il. XX. 7. & in fine deſcriptionis ſcuti Il. XVIII. 606.

Ἐν δ' ἐτίθει ποταμοῖο μέγα σθένος Ὠκεανοῖο
Ἄντυγα πὰρ πυμάτην σάκεος πύκα ποιητοῖο.
Scalpſit & oceani robur non lene fluentis
Affabre facti ſummo ipſo in margine ſcuti.

(13) Herodianus de Pado: Ἑπτὰ στόμασιν εἰς θάλατταν ἐκχεῖται· ὅθεν καὶ τῇ (ἑαυτῶν) φωνῇ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι ἑπτὰ πελάγη τὴν λίμνην ἐκείνην. *Septem oſtiis in mare effunditur: unde & indigenae patrio ſermone ſeptem maria paludem illam appellant*. In Peutingeriana tabula legitur: *Ebrone* [male *Edronem portum* Plinius nuncupavit] *Foſſis*: *VII. maria*: *Hadriani* &c. Illud *Foſſis* puto eſſe referendum ad *Foſſiones Philiſtinas*, quas Plinius III. 16. memorat. Quo credibilius fit *Ebronem* [locum Hebraeis notiſſimum] pro *Edronem* in Plinio ex tabula reſtituendum; ac veriſſimum eſſe, Tuſcos, Pelaſgoſve multas apud ſe ſervaſſe Hebraicas origines. Servius quoque ad illud Aen. I. 250.

... Et fontem ſuperare Timavi,
Vnde per ora novem vaſto cum murmure montis
It MARE proruptum, & PELAGO premit arva ſonanti.

ſic commentatur: *Varro dicit, hunc fluvium ab incolis MARE nominari*. Plinius eadem *Septem maria* memorat III. 16. ſed videtur de Atrianorum paludibus interpretari: *Egeſto*, inquit, *amnis impetu per tranſverſum in Atrianorum paludes, quae Septem maria appellantur, nobili portu OPPIDI TVSCORVM ATRIAE, a quo Atriaticum mare ante appellabatur, quod nunc Adriaticum*. Ergo *Septem marium* nomenclatura eſt a Tyrrhenis, quos principio πρὸς τῷ Ἀδρίᾳ *ad Adriam* conſediſſe, alibi demonſtravi. Tyrrhenos autem a *Philiſtinis* [qui pars Chanaanitarum erant] traxiſſe originem, *Foſſiones* illae *Philiſtinae*, quas ibidem Plinius memorat, palam faciunt.

(14) Vide ſuperiorem notationem, ex qua conſtabit a Tyrrhenis ad Adriam conſidentibus *Septem marium* ortam appellationem: a quibus etiam & *Ebronis* nomen, & *Foſſarum Philiſtinarum* uſurpatum fuit. Videbis etiam Deo dante longe plura de hoc genere in Tyrrhenicis originibus. Harum originum non exigua pars edita Romae fuit apud Pagliarinum initio tom. 3. Cortonenſium diſſertationum: ibi a pag. 21. ad 25. integra Diatriba legitur *De ſeptem maribus*, *Foſſis Philiſtinis* &c. Ea huc non repeto. Sed fortaſſis in calce Geneſeos ea tantum, quae in Tyrrhenicis illis de *VII. maribus* tum Palaeſtinae, tum etiam Tyrrheniae Circumpadanae olim commentabar, in cupidorum gratiam producentur.

omnem antiquitatem maris Caſpii nomen ſit conſecutus. Ex Abydeno haec habet Euſebius in IX. Praep. de agro Babylonico: Λέγεται δὲ πάντα μὲν ἐξ ἀρχῆς ὕδωρ εἶναι, θάλασσαν καλεομένην· Βῆλον δὲ σφέα παῦσαι, χώρην ἑκάστῳ ἀπονείμαντα, καὶ Βαβυλῶνα τείχει περιβαλεῖν &c. *Fama eſt, ubi nunc eſt Babylon, omnia aquam tenuiſſe, ac dictam MARE: id ſuſtuliſſe Belum, agroſque viritim diſtribuiſſe, & Babyloni moenia circumjeciſſe.*

Jam vero ex aquarum telluri antea ſuperfuſarum in locum unum confluxu fortaſſis id ortum, ut quemadmodum Aegyptii Nilum, ſic Empedocles mare *terrae ſudorem* appellarint, teſtibus Proclo lib. I. in Timaeum, & Ariſtotele in II. Meteor. 3. At quod a Pythagora mare *lacrymam* nuncupatum, Porphyrius prodidit; videtur id cum Judaeorum fabella convenire, docentium Deum lacrymas duas in Oceanum fundere, quotieſcunque reminiſcitur Judaicarum calamitatum. Nam Pythagorae multum fuiſſe cum Judaeis uſum antiqui memorant.

Et vidit Deus, quod eſſet bonum] Divina probatio, quae operi heſterno, Firmamento ſcil. non ſubjicitur, bis hodie pronuntiatur. Ea de cauſa aquarum confluxum, emerſumque terrae rejiciunt viri docti non pauci ad heſternum diem, ita ut tota fluidi elementi ordinatio uno die prodierit. Quocirca illud, quod poſt τὸ *dies ſecundus*, ſequitur (*Dixit vero Deus, congregentur aquae* &c.) ita interpretantur: *Hoc quoque dixit*, vel *dixerat* [ſecundo die ſcil.], *congregentur* &c. Sic diei alteri ſuam commendationem, & perfectum aquarum opus unâ operâ reſtitutum eunt: quod non reprehendo. Ad operis adprobationem quod attinet, apud Romanos, cenſores aedileſque, in coloniis autem duoviri, aut quicunque opera publica redemptoribus facienda locabant, iidem opera illa probare debebant. Nam ſcribebatur antea Operi faciundo lex: ad quam legem poſtea exigebatur opus. Ea de cauſſa millies in inſcriptionibus occurrit FACIVNDVM . COIRAVERVNT . EIDEMQ. PROBAVERVNT. De qua probatione pluribus alicubi commentatum memini. Tale aliquid & hoc capite cernimus. Initio Deus corporeae totius ſubſtantiae univerſitatem ex nihilo produxit. Id quia ipſe per ſe molitus eſt; nulla approbatio ſequitur. Praeparata deinde materie univerſa, ſingula porro opera creaturis facienda locaſſe hîc & in ſequentibus ſcribitur, ut: *Germinet terra herbam virentem*; cui negotio etiam lex operis faciundi ſcribitur hujuſmodi: *Lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit* &c. Item alibi: *Producant aquae reptile animae viventis*. Ac rurſus alibi: *Producat terra . . . jumenta & reptilia* &c. Non mirum ergo, ſi eadem *opera*, poſtquam fuere facta, ad artis ſuae i. e. Divinae Sapientiae regulas, exegiſſe, ac demum probaviſſe dicatur ſupremus Artifex. Vides ut ad humanae intelligentiae modulum ſcriptor ſeſe divinus demiſerit.

AD GEN. I. 14.

Sint in ſigna & tempora &c.] Sic etiam Hymno in Lunam inter Homerica ℣. 13. de ea dicitur: τέκμωρ δὲ βροτοῖς καὶ σῆμα τέτυκται.

Duris indicium ac ſignum mortalibus exſtat.

De Sole eſt & illud Virgilii notiſſimum: *Sol tibi ſigna dabit*. Ad *Tempora* vero pertinet, quod Plato Solem, Lunam, Errones ceteros ὄργανα χρόνου (*inſtrumenta temporis*) appellavit, quia tempora arationis, ſementis, putationis, meſſis, navigationis, & hujus generis alia ſignant.

AD GEN. I. 20.

Producant aquae reptile animae viventis , *&* *volatile* &c.] Eſtne שרץ *ſcerets* hîc quidquid pedibus non ingreditur , ita ut piſces ſimulque ſerpentes complectatur ? certe enim vox *ſcerets* hîc ſerpentibus aeque ac piſcibus in commune tribuitur . Verum de *Scerets* , & *Remes* quam late pateant , accurate dicam ad Gen. IX. 3. Eo remitto lectorem . Huc quod attinet , etiam ſerpentes ex aquis prodiiſſe , argumento eſſe poſſit vox תנינים *thanninim* verſu ſequenti : quae vox *draconem* & ſimilia monſtra ſignificat tum terreſtria , tum etiam marina . An vero hoc inter *ſcerets* hujus commatis , & רמש *remes* (quod infra ver. 24. ponitur , quodque etiam *reptile* vertunt) intereſt , quod illud ovipara aquatilia , hoc autem ovipara terreſtria , veluti *ſerpentes* atque *inſecta* ſignificet ? Nihil horum recto talo ſtat ; quia ad Gen. IX. 3. *Scerets* & *Remes* ad univerſa ſe moventium genera pertinere oſtendetur .

Et volatile (quod volitet) *ſuper Terram ſub firmamento caeli*] Ita ſupplent qui Hebraea verba ad vulgatam verſionem , & ad veterum opinionem , eamdem originem piſcibus juxta ac volucribus aſſerentium, accommodare ſatagunt. Quam opinionem confirmat etiam auctor quarti Eſdrae (nullius quidem ad ſtatuenda dogmata auctoritatis , ſed ad teſtandam ſententiae hujus antiquitatem valens) cap. VI. 47. ſic Deum alloquens : *Dixiſti parti . . . ubi erat aqua congregata ut procrearet . . . volatilia & piſces*. Ex profanis autem ſcriptoribus Lucretius eumdem ortum utrique generi meo judicio tribuit prope ab initio libri primi . Ibi cum in eo eſſet , ut e nihilo nihil factum , ſed omnia ex ſuis ſeminibus orta contenderet ; ni ita ſit , naturam aberraturam ait , in tantum ut e mari homines, e terra piſces ac volucres oriantur. Ergo contrarium rectum putavit, e mari piſces aveſque , e tellure homines procreatos .

> *Nam ſi de nihilo fierent , ex omnibus rebus*
> *Omne genus naſci poſſet : nil ſemine egeret .*
> *E mare primum homines , e terra poſſet oriri*
> *Squamigerum genus & VOLUCRES ; erumpere caelo*
> *Armenta atque aliae pecudes ; genus omne ferarum*
> *Incerto partu culta ac deſerta teneret .*

Hanc vero opinionem ille philoſophus ex antiquis haud dubie didicerit oportet . Mitto veteres Chriſtianos Baſilium in Hex. (ubi piſces aveſque in ſuo quoſque liquido tranantes inter ſe comparat) Ambroſium , Marium Victorem , alioſque plurimos ; & quod idem utriſque ortus antiquis quibusdam , ut ab utriſque abſtinerent, aliis vero pluribus aevi poſterioris , uti veſcerentur utriſque , olim perſuaſit . Nam haec jam pervulgata .

AD GEN. I. 22.

Benedixitque eis dicens: *creſcite & multiplicamini* , *& replete aquas maris*] Ex omnibus brutarum animantium generibus, tantum piſcibus benedixiſſe h. e. fecunditatem maximam largitus inducitur Deus . Re enim vera miranda eſt piſcium feracitas , quos uno partu non tam centena , quam millena , prope dixerim , eniti neceſſe eſt ; quantum quidem ex ovorum admiranda congerie perſpici poteſt . Ab ea opinor eſt cauſſa , quod piſcina ſive piſcium vivarium apud Hebraeos a benedictione iſtâ nomen invenit , nam ברכה *berecbah* appellatur . Vide quae dixi ad Nehemiae II. 14. Illud plane certius reor , a piſcium fecunditate factum .

Digitized by Google

factum, ut דגה de hominibus idem ſit, quod magnopere multiplicari Gen. XLVIII. 16. ubi pro *Creſcant*, in Hebr. eſt וידגו *veidgu* h. e. ad verbum *piſcificent* (ſive multiplicentur in modum piſcium) *in medio terrae*.

AD GEN. I. 24.

Producat terra animam viventem in genere ſuo; jumenta & reptilia & beſtias terrae ſecundum ſpecies ſuas] *Reptilia* Hebraice ſunt רמש *remes*, quod omnia animalia ſignificat, ut exemplis Judaei probant. Accedit quod Homero ἑρπετὰ omnia animalia notat, ut infra ad IX. 3. dicemus, unde & Lucretius *ſerpentia ſaecla ferarum* dixit. Hîc tamen, ſi quidem ἀντιδιῃρημένως haec vocabula ponuntur; videtur *Behemah* domeſtica animalia notare, *Chajah* feras, *Remes* autem cetera omnia intelligas licet. Bina ne, an plura ſimul animalia initio creata fuerint, dubitatum video. Ac ſane ſi certum eſſet, brevi poſt ipſorum creationem intervallo peccaſſe primos parentes; ex eo quod iis Deus ad amoliendum nuditatis pudorem fecit pelliceas tunicas, ſequeretur aliquod animantium genus (quibus antequam gignendi tempus fuiſſet, coria detracta) extingui debuiſſe, ſi quidem bina tantum initio condita: nec enim Diodorum audio, qui Gen. III. 21. tunicas δερματίνους interpretatur ἐκ φλοιῶν (ex *corticibus*) arborum conſutas, ut in loco dicemus. Verum certo non conſtat, quamdiu primi homines in innocentia perſtiterint: ac ſimul aliunde animantium, piſcium, volatilium multitudinem jam ab initio prodiiſſe colligo. Enimvero voluiſſe videtur Deus, ut diſcrimen exſiſteret inter Hominis & animalium ceterorum creationem. Hominem quaſi terrae dominum ipſe per ſe Deus effinxit, & quidem unum cum compare una. At animalia ſive terreſtria ſive aquatilia & pennata uti fierent in hominis famulatum, id terrae & aquis permiſit. Tellus autem (idem & de mari intellige) utpote nec ductu rationis nec libere agens, vires quantas potuit exſeruit ad animalia, ſtirpeſque producendas: quo factum ut plurima ſimul in unoquoque genere confertim exſtiterint.

AD GEN. I. 26.

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & praeſit piſcibus maris & volatilibus caeli & beſtiis univerſaeque terrae.

Faciamus hominem] Eorum Patrum, qui haec eſſe verba Patris ad Filium dixerunt, agmen ducit S. Barnabas, ſive quisquis auctor epiſtolae ſub ejus nomine, cap. V. ὡς λέγει τῷ υἱῷ· ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα &c. Mox rurſus: ταῦτα πρὸς τὸν υἱόν. Ex quibus cognoſcitur aut communem, aut non ſingularem eam fuiſſe temporibus Apoſtolicis interpretationem.

Et praeſit piſcibus . . . & beſtiis terrae] Meminit hujus imperii Vitruvius II. 1. *Cum ergo natura . . . ſubjeciſſet cetera animalia ſub poteſtate* (hominis) &c. In hunc Geneſis locum ſic commentatur modo memorata Barnabae epiſtola: Τίς ἐν ὁ δυνάμενος νῦν ἄρχειν θηρίων, ἢ ἰχθύων, ἢ πετεινῶν τῦ ὐρανῦ; αἰσθάνεσθαι γὰρ ὀφείλομεν, ὅτι τὸ ἄρχειν ἐξυσία ἐςὶ, ἵνα τις ἐπιτάξας κυριεύσῃ. Vetus interpres: *Quis eſt, qui poſſit modo eſſe ſuper beſtias, aut ſuper aves, aut ſuper piſces? Sentire debemus, quia ſupereſſe poteſtatis eſt, ut quis imperans dominus ſit.* Hactenus difficultatem movit, non ſolvit. Solvunt ea quae ſequuntur. εἰ ὖν ὐ γίνεται τῦτο νῦν, ἄρα ἡμῖν εἴρηκε, ποτέ; ὅταν καὶ αὐτοὶ τελειωθῶμεν κληρονόμοι τῆς διαθήκης Κυρίυ γενέσθαι. Tum demum nos id imperium conſecuturos ait, cum conſummabimur, ut heredes ſimus foederis Domini. Gaudeo quod haec in vete-

ris interpretis verſione deſint : nam neſcio quid de Millenariorum fermento ſubolent, ab aliquo ex Chiliaſtarum grege fortaſſis aſſuta.

Huic porro hominis in ceteras animantes dominatui refragari Stoici videntur, quorum iſtud effatum apud Plut. legitur : μηδὲν εἶναι δίκαιον ἀνθρώπῳ πρὸς τὰ ἄλλα ζῶα, *nullum jus homini eſſe in animantia cetera*. At Cicero alia prorſus notione dogma Stoicum reddidit in hunc modum : *Homini nihil eſſe juris cum beſtiis*. Non jus in beſtias negat Tullius, ſed cum beſtiis : quae poſterior locutio conjugiorum aliorumque vitae munium communionem excludit. At vero jus in beſtias adhuc poſt Adae inobaudientiam nobis ineſt, quamvis reluctantes experiamur, nonniſi aſtu aut vi ad imperata facienda cogendas.

Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram] Vetus eſt quaeſtio, & in omnes partes in ſcholis jactata, in quo potiſſimum haec Dei ſimilitudo poſita ſit. Taceo ceterorum ſententias, dum quid mihi veriſimilius videatur, paucis expono.

Primum autem conſiderandum eſt, quidnam ex Scripturarum ſententiâ Deus ſit : ex Scripturarum, inquam, ſententia, non ex metaphyſicorum hominum diſputationibus. Non enim metaphyſica theoremata Divinus Spiritus docere nos in Scripturis magnopere ſatagit, ſed potiſſimum moralis diſciplinae inſtituta. Atqui quid Deus ſit, Joannes Apoſtolus paſſim ac palam in commentariis ſuis ediſſerit, dum Deum eſſe *Veritatem* definit (15) quam miram definitionem, haud antea tritam, videtur is cum pleriſque aliis ex Dominici pectoris fonte potaſſe. Sed & CHRISTUS ipſe apud eumdem Joannem ſe *Veritatem* eſſe palam profeſſus eſt cap. XIV. 6. dicens : *Ego ſum via, & Veritas, & vita* : & ubicumque Spiritum Sanctum non aliter quam *Spiritum Veritatis* i. e. Dei vocat. Poſtremo ubi Jo: XVIII. 37. Pilato dixiſſet, *Omnis qui eſt ex Veritate* (i. e. ex Deo) *audit vocem meam* ; Pilatus intulit : *Quid eſt Veritas* ? quae interrogatio plane inepta fuiſſet ; niſi ex CHRISTI ſermone eſſet ſuſpicatus, ab eo nova uſurpatione Veritatem ſubſtantive acceptam fuiſſe, non ut illam dialectici accipiunt. Cui quidem interrogato nihil CHRISTUS repoſuit, propterea quod tam ſublimia ſcita homo carnalis admittere in animum minime poterat.

Hanc igitur definitionem mihi ſumo, *Deus veritas eſt*. Ex qua & illud conſequitur, Divinam hominis imaginem in eo eſſe agnoſcendam, ut in ejus animo, tamquam in cera, Divinae Veritatis notio impreſſa niteſcat ; qua ſit, ut homo ſine doctore ullo verum a falſo dignoſcat, maxime in morali diſciplina. Atque hanc in partem antiqui acceperunt illud Pſ. IV. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*, prout is locus de Graeco vertitur, nam in Hebraeo eſt paullo aliter. Huc quoque id refer, quod *Urim & Tummim*, quod prae ſe ſummus Sacerdos ferebat in pectore, a ſenioribus redditur δήλωσις καὶ ἀλήθεια i. e. *declaratio & veritas* : ſicuti & apud Aegyptios princeps Senatus ἀλήθειαν e torque dependentem ante pectus gerebat. Quod ex Moſaico fonte manaſſe non eſt dubium.

Hanc

(15) Ut ceteras Joannis ſententias minus claras omittam ; illud certe luculentiſſimum eſt, quod in I. epiſtola cap. V. 6. poſuit : *Spiritus eſt, qui teſtificatur, quoniam CHRISTUS eſt Veritas*. Nec quidquam in hoc Apoſtolo frequentius, quam haec & horum ſimilia : plane ut in hoc electus videatur, ut ſeſe *Veritatis* ſubſtantive acceptae praeconem gerat.

Digitized by Google

Hanc ſententiam dicat hic aliquis novam videri, ac nulla Chriſtianorum veterum auctoritate fultam. Non licet nunc mihi quidem rimari in ſacra antiquitate teſtimonia: aliis id libens permitto. Interim tamen noſtram ſententiam, praeter Scripturas, didici a Martyribus Boſethanis in Africa proconſulari, quos ſcio tertio CHRISTI ſaeculo a S. Mammario presbytero fuiſſe eruditos. Horum Acta ſane quam pulcherrima primus ediderat Mabillonius tom. IV. Analectorum: qui etſi illa naevis haud uſquequaque carere putaverit; ſunt tamen ſatis antiqua, quarto ut conjicio ſaeculo conſcripta. Eadem recudit Cl. Papebrochius ad X. Junii pag. 268. In iis num. 5. ſic legitur: *Cumque haec paterentur, una voce clamabant: Domine JESV CHRISTE, miſerere nobis in tribulatione, quam vides nos pati & cruciari: quia tua opera ſumus & a te fabricati, IMAGINEM ET VERITATEM tuam portavimus*. In quo eſt ἓν διὰ δυοῖν pro *Imaginem Veritatis portavimus*. Atque haec Martyrum oratio traditionis tertii ſaeculi teſtis locuples eſt. Dixeris fortaſſe, de horum Actorum omnimoda ſinceritate dubitaſſe Mabillonium. Atqui tamen veracitatis characteres miros habent; & ſaltem ex proconſularibus Actis fuiſſe conſarcinata, non dubitat Papebrochius. Etiam ſi vero vox illa Martyribus affiicta ab Actorum ſcriptore fuiſſet; tamen illud ſaltem evincitur, quarto Chriſti ſaeculo, quo illa Acta prodierunt, Divinam hominis imaginem vulgo in eo fuiſſe poſitam, ut in anima ectypon Divinae Veritatis eluceret.

Atque haec Divina Increatae Veritatis veluti ectypa Imago, in gemmâ animae ſcalpta divinitus, haec imago, inquam, per originale delictum non quidem in totum deleta fuit (quî poſſet, cum ad naturam animae pertineret: originale vero crimen naturam ipſam deſtruere non valeret?) ſed tamen ita obſcurata ac labefactata evaſit, ut non tantum amiſerit (16) contemplationem eſſentiae Divinae; verum etiam (quod valde intereſt) veritates morales, quas prius animae intime impreſſas habebat, poſtea delicto confuſas ac prope deletas ſenſerit, ita ut aegerrime perſpicerentur. Quod ſatis in gentibus liquet, de quibus Act. XIV. 15. Barnabas & Paulus: *Qui* (Deus) *in praeteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*. Sed tamen eadem Imago Dei, quam dixi in impreſſione *Veritatis* Divinae conſtitutam, benignitate divina olim per Prophetas a Deo miſſos aliquatenus in populo Dei reformata, poſtea Chriſti adventu & Apoſtolorum praeconio, refictis veteribus lineamentis, quae culpa obſcuraverat, reparata non ſine magnis laboribus fuit. Vel ſic tamen non ſine ope lucernae lucentis in caliginoſo loco ad hanc Divinae Veritatis imaginem (alius alio pro menſura Fidei perſpicaciores effecti) oculos valemus intendere.

Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram] Eorum librorum, qui ὅροι Ἀσκληπίου appellantur, liber primus hoc inter cetera in inſcriptione habet, περὶ τοῦ κατ' εἰκόνα ἀνθρώπου. Altero Chriſti ſaeculo hoc opus ab aliquo noſtrorum ſacrorum ſemiperito cum aliis Hermeticis ſcriptis fabricatum conjiciunt. Pythagoras, teſte Themiſtio (pag. 192. edit. Hard.) homines dixit eſſe Dei imaginem, multa ſcil. ab Judaeis edoctus.

Et

(16) ***Contemplationis*** munus id vocat Hugo a S. Victore, per quod homo innocens ἀμέσως h. e. ſine mediis ſignorum & imaginum ſimulacris, quibus nos utimur, Deum atque Divina intuebatur. Auguſtinus in *de Geneſ. ad lit.* has innocentis hominis perceptiones ſimiles Angelicis facit.

Et volatilibus Caeli] Οὐρανὸν pro aëre veteres omnes acceperunt, quod μεσουράνημα Johannes Apoc. XIX. 17. appellat dicens, πᾶσι τοῖς ὀρνέοις πετωμένοις ἐν μεσουρανήματι. Vulg. *Omnibus avibus, quae volâbant per medium caeli*. Hinc Graeci paſſim τὰ ζῶα partiuntur εἰς τὰ ἐν γῇ, ἐν θαλάττῃ, ἐν οὐρανῷ (*terreſtria, marina, caeleſtia*) non ſecus ac Moſes.

AD GENESIS CAP. II.

AD VERS. I.

Igitur perfecti ſunt caeli & terra] Hoc primum loco in Latina verſione CAELI numero multitudinis occurrit: nam primo capite *caelum* ſingulari numero uſurpaverat, etſi Hebraice ſemper שמים *shamaim* pluraliter legitur. Et quidem neceſſarium hîc *Caelos* dicere putavit interpres, ne quis aliquod ex caelis, aut aliquam caeli partem nondum intra ſex dies factam, ſuſpicaretur. At LXX neque hîc neque in toto uſquam Pentateucho, plur. οὐρανοὶ, ſed οὐρανὸς uſurparunt, quo tamen numero Graeca Biblia in Pſalmis aliiſque libris ſaepiſſime utuntur; certe quia aliorum librorum Graeca translatio diverſum a Pentateuchi interpretatione auctorem habuit: quod & ego poſſim aliunde oſtendere, & jam alii viderunt. At non immerito Graeci interpretes in hoc nomine a multitudinis numero abhorruerunt, quia id ſoloecon apud Graecos habetur: niſi quod οὐρανοὶ apud Perſas dicebantur tabernacula regia ab orbiculari operimenti figura, teſte Heſychio. Apud Latinos autem *caelos* πληθυντικῶς (vetante licet Frontone apud Gell. XIX. 8.) licuiſſe dici teſtatur Lucretius II. 1096. *Quis pariter caelos omneis convertere?* Nec neceſſarium eſt illud Tanaq. Fabri acumen, ad infinitos Epicureorum mundos id referentis. Nam & Varro uſus fuerat in IV. de L. L. *Caeli dicuntur loca ſupera, & ea deorum;* & veteris alterius poëtae illud affertur, *Jupiter in CAELIS, Caeſar regit omnia terris*. Ab Hebraeis autem aut ceteris orientalibus ſic loqui Latini didicerunt; a quibus per Tyrrhenos (ut alibi copioſe oſtenſum fuit) pleraque ſuorum tum vocabulorum ac locutionum antiquarum, tum etiam dogmatum hauſerunt. Et quidem ipſum CAELI nomen fruſtra ſunt qui ſive a κοιλὸς, ſive a *celando* adſciſcunt, cum ſit totum Hebraicum, uti expoſitum fuit Ad Gen. I. 8.

AD GEN. II. 8.

Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio] Ultima commatis hujus propius Hebraicum textum ita ſonant: *Hortum in Eden ab Oriente*. Nec LXX ab hac interpretatione recedunt: Παράδεισον ἐν Ἐδὲν κατ᾽ ἀνατολάς. Jam a voce prima ordiar, in qua nullum inter Seniores & Vulgatum interpretes diſcidium eſt, quia παράδεισος nihil aliud, quam hortus ſive arboretum circumſeptum eſt: de quo non ab re pauca (1) notabimus.

At

(1) *Vocis* Paradiſi *ſignificatus, natale ſolum, etymologia*.

1. *Paradiſus* a Cicerone ita definitur, ut ſit *ager conſeptus ac diligenter conſitus*; his enim Cicero verbis illa Xenophontis in Oecon. (τὸν ἐν Σάρδεσι παράδεισον) interpretatur. Ac pluribus in locis Xenophon de Paradiſis agit. Plutarchus memorat, Alexandrum juſſiſſe in Babylonis a ſe captae Paradiſis Graecanicas arbores conſeri. Quod conſeptos fuiſſe paradiſos dixi, id eâ gratiâ fiebat, quod ferae omne genus ibi detinerentur ad venatûs ſolatium: unde & *Vivaria* ſuo tempore dicta teſtatur Gellius, ut idem olim *Roboraria* vocata ex oratione

At in voce altera *Eden*, praeſtat Graecos Interpretes ſequi, apud quos ארן *Eden* eſt proprium loci nomen, ſed tamen a *voluptate* ſic dicti, nam ארן *Eden*, *voluptatem* ſignificat; ſicuti & apud Graecos *ἡδονὴ voluptas* ab appellativo *Eden* manavit. Ergo hîc in Vulgata vox *Eden* retinenda erat, niſi familiare auctori Vulgatae fuiſſet loco propriorum nominum Hebraicorum, Latinas eorumdem translationes ſufficere, quorum plurima in Geneſi ſunt exempla, imo & apud Graecos Scriptores veteres eadem occurrunt: veluti cum pro *Iſaac*, Γέλωτα, *riſum* vocarunt, & alia ejus generis plurima.

Tertia vox קדם *Kedem* eſt, quae non tantum *principium*, ſed & *Orientem* notat. Prius eſt ſecutus Latinus interpres, alterum LXXviralis verſio: quae haud dubie vera eſt; quia non ſatis erat locum Paradiſi notaſſe (in *Eden* ſcil.) niſi etiam & plagam Orientis ei aſſignaret; quia quo tempore haec Moſes ſcribebat, veriſimile eſt, alia quoque fuiſſe loca a *voluptate* nomen conſecuta, eaque non in *Kedem* ſive in Orientali plaga, ſed alibi. Nam *Kedem* ſive Orientis nomine in Scripturis venit quidquid trans Euphratem eſt, veluti Meſopotamia, Aſſyria, Armenia, ac porro aliae regiones, etiam ſi ſint Septemtrionales reſpectu Palaeſtinae; quia ab Oriente Euphrates tranſmittebatur, ut Chanaanitis adiretur. Quod idcirco notamus, ne ſitus Paradiſi ſive in Syria cum Joan. (2) Clerico, ſive in

oratione Scipionis contra Claud. Aſellum probat, eo quod tabulis roboreis conſepirentur. Sepiebantur autem, necunde feris pateret exitus. Ergo tria maxime praeter loci amoenitatem in paradiſo requirebantur: uti locus conſeptus eſſet, uti arboribus cujuſvis generis conſitus; & ut in eo beſtiae ad venatum alerentur, teſte Philoſtrato in Apoll. Tyaneo, qui Damin venatum iviſſe in paradiſos ait, in quibus apud barbaros reſervabantur leones, urſi, pantherae. De feris teſtatur & Xenophon Hellen. IV. ubi paradiſos ait μεστὰς δένδρων, καὶ θηρίων, *arboribus feriſque plenos*. Haec de notione.

2. Jam vero ſi de patrio vocabuli ſolo quaerimus; Pollux aperte Perſicum nomen eſſe ait, idque ſatis Xenophon, aliique ſcriptores Graeci ſuadent, dum apud Perſas maximo in uſu paradiſos fuiſſe narrant. Verum prima nominis ejus origo ex Armenia (in qua hortus Edenicus fuit, & ex quo paradiſi omnes propagati) itemq. ex Aſſyria fluxit. Indoles vero vocabuli Syriaca (ſermo enim Aramaeus late per Aſſyriam & Armeniam uſurpatus) tametſi ea vox in Hebraeo ſermone fixas radices habuit.

3. Ergo nativitas vocis Syra fuerat: verum ea poſtea a Graecis ita mollita fuit, quaſi ſi apud ſe primum edita in lucem fuiſſet. Nec tam nunc de Moſaico nomine, quod hîc ponitur, loquor (tametſi גן *Gan* hic uſurpatum, ut & Latinorum *Hortus*, utrumque a *ſepiendo* dicuntur, ut ſatis ambo παράδεισον exprimant) quam de voce פרדס *pardes*, quae in Canticis, Nehemia, & Eccleſiaſte occurrit; a Pardes enim Graeci Παράδεισον detorſerunt. *Pardes* autem non vox compoſita eſt ex פרה *fructificare*, & ex דשא i. e. *herba* (uti Voſſio derivare placuit) ſed eſt vox ſimplex (cujuſmodi fere omnes in Orientalibus linguis) & quidem ex Hebr. פרד *parad*, quod eſt *ſejungère*, derivata, aſſumpto ſibilo in fine ex Syri ſermonis Chaldaeique ingenio. Ex quibus vides eamdem notionem τῷ *Pardes* conſtare, ac Moſaico loci hujus גן *Gan*, nec non *Horto* Latinorum: quae omnia a *ſepiendo* & *ſeparando* dicta. De *Horti* & *Cortis* etymo alibi plura dixiſſe memini.

4. At quo pacto, inquis, ex *pardes* facta eſt vox *Paradiſus*? Putant vulgo Graecos μετασχηματισμῷ uſos ſic appellaſſe, ut ea vox Graecae indolis videretur. Ne crede: ſed pura puta eſt vox Syriaca. Nam quod initio fuit *Pardes*, id Syris poſtea פרדיסא *pardaiſo* dictum, ut eſt in Syriaca Evang. interpretatione. Verum hodie quidem *pardaiſo* pronuntiatur: at haec pronuntiandi ratio μετάθεσιν vocalium paſſa fuit. Olim certe Syros eam vocem ſic pronuntiaſſe, ut *Paradiſo* dicerent, declarant Graeca τῶν LXX & Evangelii loca, in quibus ea vox παράδεισος non παρδάισος ſcribitur. Itaque vox Παράδεισος eſt tota ex aſſe Syriaca.

(2) Qui in Syria circa Libanum & Antilibanum collocavit. Eum vide in Comm. ad Geneſim.

Digitized by Google

in Palaeſtina cum (3) Harduino conſtituatur; quia Syria & Palaeſtina citra Euphratem ſunt. Nam de eruditiſs. Dan. Huetii ſitu Paradiſi nunc taceo: quem tamen in his ſequi ratio vetat. Ergo his pluribuſque aliis de cauſis, cum in meis de opere ſex dierum (4) praelectionibus de ſitu Paradiſi agerem, in ſatis antiquam illam tritamque ſententiam abii, quae hortum Edenicum in Armenia locavit. Quam poſtea ſententiam pulcherrimis rationibus confirmavit Aug. Calmetus: a quibus hic exponendis, ne actum agam, abſtineo, maxime cum ejus in Gen. commentarius manibus omnium teratur.

Fuit igitur Paradiſi Edenici ſitus in quodam Majoris Armeniae loco, in quo primitus ingens aquarum ſcaturigo atque conceptio erat, ex qua ſimul irrigabatur is hortus, ac ſimul indidem quatuor illi celebres Paradiſi Moſaici amnes *Phiſon* i. e. Phaſis, *Gehon* h. e. Araxes, *Chiddekel* (qui ab accolis *Diglito*, a ſcriptoribus vero *Tigris* eſt vocatus) ac tandem ſupra ceteros ſive aquarum copia, ſive longitudine itinerum nobiliſſimus *Phrat*, h. e. Euphrates, in penitus diverſas regiones deferebantur. Haec late a Calmeto expoſita licebit in ejus Commentariis cognoſcere.

Atqui hoc nunc, inquis, ſcire libet, qua potiſſimum in Armeniae tam late patentis parte fuerit ſcatebra illa, quae ſimul & Paradiſum rigaret, & quatuor ex ſeſe fluminibus ortum daret. Tametſi vero difficile eſt eum determinare locum (maxime ſi terris incubante diluvio, non plane eadem, quae ante fuerat, inducta mox facies regionibus fuerit) tamen quia non alibi, quam in *Paryadris* Majoris Armeniae montibus originem fluminum illorum reperio; non alibi, quam in Paryadris, quos modo dixi, Paradiſum eſſe locandum cenſeo. De monte Paryadre praeter ea quae veteres (5) geographi tradiderunt, conſulantur in primis Ptolemaicae Agathodaemonis (6) tabulae, quas a Gerardo Mercatore reſtitutas in

(3) Hanc ſuam commentationem Harduinus ad finem lib. VI. Plinii inſeruit. Adeat, cui volupe fuerit lepida ejus excogitata cognoſcere.

(4) Eas dico praelectiones Biblicas, quibus ab hinc plurimos annos in Regio Neapol. Gymnaſio Sacrorum Bibliorum ſtudioſos imbuebam.

(5) Strabo meminit lib. XII. p. 555. 556. Item lib. XI. pag. 527. (ubi Paryadrae monti occidentale Armeniae latus aſſignat) at lib. XII. pag. 548. ſitum Paryadrae hunc maxime tribuit: *Per hos* (Apaïtas) *tranſit mons aſperrimus Scydiſſes, qui conjungitur Moſchicis montibus, qui ſupra Colchidem ſunt. Extrema ejus* (Scydiſsae) *tenent Heptacometae: ſequitur Paryadres: qui uſque ad minorem Armeniam a locis Sidenae & Cappadociae finitimis porrectus, orientale Ponti latus conficit.*

Pliniani libri VI. caput nonum ita incipit. *Armenia autem Major incipiens a Paryadris montibus, Euphrate amne, ut dictum eſt, aufertur Cappadociae* &c. Quod ait *Ut dictum eſt*, hoc refer ad lib. V. ubi ſcripſerat: *Fluit* (Euphrates) *Armeniae regiones a Cappadocia* (quae ad occaſum eſt) *excludens*.

Poſtremo Ptolemaeus V. 13. pag. 134. ita montem hunc memorat, ut paullum tamen in ſcriptura a ceteris abeat, quia is mons in vulgo editis Ptolem. libris Παρυάδρης ſcribitur, at in optimo Palatino cod. Παρυάρδης. Ait igitur: *Montes autem Armeniae nominantur ii, qui Moſchici appellantur . . . & mons qui Paryardes dicitur*. In lemmate vero capitis rejicitur lector ad Ἀσίας πιν. γ. h. e. *ad Aſiae tab. III.* ab Agathodaemone ſcil. olim conſtructam.

(6) Ajo tabulas in fine Ptolemaei Bertiani proſtantes ab Agathodaemone primum fuiſſe (juxta geographi ſui meridianos & parallelos, ſive longitudines & latitudines) delineatas; eaſque ſemper ad calcem Ptolemaei comites acceſſiſſe: quas demum Ger. Mercator accurate correctas reſtituit. Declarat hoc Graecum earum Tabular. lemma, quod tale eſt Ὑποτύπωσις τῶν Πτολεμαίου πινάκων. Ἐκ τῶν Κλαυδίου Πτολεμαίου γεωγραφικῶν βιβλίων ὀκτὼ τὴν οἰκουμένην πᾶσαν Ἀγαθοδαίμων Ἀλεξανδρεὺς μηχανικὸς ὑπετύπωσε. Hoc eſt: *Ptolemaei tabularum delineatio. Ex Claudii Ptolemaei geographicis libris octo Orbem habitabilem*

in fine Bertianae Ptolemaei editionis (apud Elzeviros anno 1618.) in propatulo habemus . Ergo Ptolemaica Aſiae Tabula III. exhibet in Majore Armenia (nempe inter Moſchicos montes ad Boream , interque Taurum ad Auſtrum) Paryadrae juga in longum porrecta . Ibidem licet animadvertere ex uno fere montis ejuſdem loco fluvios , quos quaerimus , ortos in adverſas ſibi partes decurrere : quorum Phaſis in Euxinum pontum effunditur, in mare Caſpium Araxes , deinde meridiem verſus hinc Euphrates , illinc notabili intervallo Tigris , in Perſicum ſinum ſeſe ambo infundunt . Ergo ubi locus ille Paryadrae montis , ex quo in Ptolemaei tabula tria Paradiſi flumina (nam de Tigri (7) parum moror) prorumpunt , ibi Paradiſus Edenicus fuerit neceſſe eſt . Is vero locus mons *Paryadres* olim vocabatur .

Atque huic jam demonſtratae ſententiae etiam (in quo non leve momentum) vetus loci nomen velificatur . Etenim ſive, is mons *Paryadres* , in plur. *Paryadrae* (ut in pluribus ſcriptis exſtat) ſive *Pariadres* , ſive *Pariades* , aut poſtremo *Parvardes* (tot enim modis reperitur) ſcribendum ſit , aperte apparet ex Orientali Paradiſi appellatione (quae פרדס *Pardes* primitus fuit , de qua vide ſup. Adn. 1.) haeſiſſe huic monti nomen, nec alia de cauſa , quam quod ibi primitus Moſaicus Paradiſus exſtiterit . Quis enim non videt , ſi ex *Pariades*, duas medias vocales exemeris, proditurum *Pardes* h. e. primitivum hujus horti vocabulum? quod poſtea per varia diverſarum linguarum organa apud Armenos quidem in *Pariades* , aut paullo ſecus , apud Syros in *Pardaiſo* , apud Graecos in *Παράδεισος* degeneravit .

AD GEN. II. 14.

Fluvius autem quartus , ipſe eſt Euphrates .

Ipſe eſt Euphrates] Appellatur Hebraice is fluvius *Pherath* , ſive (abſorpta, uti fit , E vocali) *Phrat* . Si forte quaeras , cur ex *Phrat* Graeci Εὐφράτην *Euphratem* fecerint ; prompta erit reſponſio . Nam quia hîc Hebraicum prono-

habitabilem totum Agathodaemon Alexandrinus mechanicus delineavit . Tota ergo deſcriptio Ptolemaicarum tabularum opus Agathodaemonis fuit, quas demum Mercator mendoſas nactus, magno labore reſtituit: id quod etiam ea verba Latina declarant , quae ſuperiori G. L. inſcriptioni ſubjiciuntur . *Has vero tabulas deſcripſit* (ex MSS. ſcil.) *Gerardus Mercator Rupelmandanus* . Ac deinde additur etiam, quid a Bertio opis acceſſerit .

Jam vero quod dixi , id ex eo etiam intelligitur , quod in Graeco Ptolemaei textu poſt capitum ſingulorum titulos , ad has tabulas , utpote veterrimas , lector amandatur . Veluti in re propoſita poſt titulum libri V. capitis XIII. (qui eſt Ἀρμενίας μεγάλης θέσις) ſtatim ſubjicitur , Ἀσίας πίναξ γ . *Aſiae tabula tertia* . Nam ſi Tabulae illae a recentioribus geographis prodiiſſent , numquam poſt Graeca capitum themata, etiam tabularum Graeca citatio ſubnecteretur . Haec ideo accurate notanda cenſui , quia his temporibus de antiquitate Ptolemaicarum tabularum dubitare non nemini venit in mentem .

(7) Aevo Strabonis lib. XI. Tigridis & Euphratis fontes aberant a ſe invicem ad CCCXII. millia paſſuum . At primitus uno ex fonte, aut ſaltem in proximo ſcaturiebant. Lucanus lib. 3. *Quos non diverſis fontibus edit Perſis* . Cui condonandum quod Perſidem pro Armenia agnoverit genitricem . Boëthius : *Tigris & Euphrates uno ſe fonte reſolvunt* . Apud Senecam exſtat hic Salluſtii locus : *Salluſtius auctor certiſſimus aſſerit , Tigrim & Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diverſa euntes longius dividantur , ſpatio medio relicto multorum millium: quae ab ipſis ambitur, Meſopotamia dicitur* . Sed Strabonis (de quo ſup.) in vicino nati, & ſcriptoris accuratiſſimi nos frangit auctoritas : nam ceteri ex antiqua fama referebant , quid primitus fuerit , quando hi duo amnes uno fonte ſcatebant , aut ex proximis ſaltem locis proſiliebant .

Digitized by Google

men הוא *Hu* amnis vocabulo praeponitur (legitur enim הוא פרת *hu phrat* i. e. *Ipſe* (eſt) *Phrat*) ex hujus loci celebritate deinde factum fuit , ut coaleſcente pronomine , fluvius ille conjunctim *Huphrat* diceretur (8) imo potius *Euphrat*. Nam hoc veteribus Hebraeis ה *He* fuit (9) quod Graecis Ε , uti conſtat non tantum ex eodem utriuſque litterae ſono nominis , verum etiam quod utrumque elementum in ſuo quodque alphabeto quintam ſedem occupat , & pro nota quinarii numeri ponitur . Simile illud eſt ac prorſus germanum , quod in inſulae Inarimes nomine factum novimus , quae Ἄριμα aut Ἄριμοι antea Homero appellata fuit Catalogo navium ver. 290. Sed quia Homerus propoſitionem praefixerat , dicens , Εἰν Ἀρίμοις h. e. *In Arimis* ; ex ejus celeberrimi verſiculi initio conjunctim pronuntiato evenit , ut ea inſula vulgo *Inarime* appellaretur. Nec aliter Virgilius , Ovidius , & alii appellarunt ; id quod & Plinio impoſuit ſcribenti III. 6. *Homero Inarime dicta* . Niſi vero Plinius non tam ignoratione verſûs Homerici peccavit, quam quod ei errori diuturnitas quaeſierit auctoritatem. Adde quod erratum , de quo agimus , facillime irrepere potuit in iis libris , qui aſſidua recitatione , & auſcultatione addiſcebantur : cujuſmodi Homerus apud veteres fuit , apud antiquiſſimos vero mortalium (imo & Heroicis ipſis temporibus) Moſes , praeſertim ejusdem Ἑξαήμερος (*ſex dierum opificium*) ex qua , quia tot gentilium παραδόσεις promanarunt , non potuit non impendio celebrari . Interim hoc uno principis poëtae loco Moſaicum Euphratis nomen declaraſſe contentus, pluribus paribus exemplis (10) aevi poſterioris ſuperſedeo .

AD GEN. II. 17.

In quocumque enim die comederis ex eo , morte morieris] Hoc eo pertinet , quod homo quamdiu innocens fuiſſet , hoc eſt non violator praecepti , mortem non guſtaſſet : ſed ex S. Auguſtino , ad ultimum *ſine praevia morte* , ſed veluti dulci ſomno correptus , ita aliquando , ubi Deo imperatori viſum , ad beatam vitam transferebatur. Hoc gentilium theologi , ſive ad ſe continuata traditione tranſmiſſum , ſive ex Judaeorum relatu , non ignorarunt . Huc enim illa Heſiodi Ἔργοις 116. pertinent :

Οὐδέ τι δειλὸν
Γῆρας ἐπῆν· αἰεὶ δὲ πόδας καὶ χεῖρας ὅμοιοι·
Θνῆσκον δ' ὡς ὕπνῳ δεδμημένοι .

Abſente

(8) Poſt haec ſcripta animadverti , quoſdam apud Buxtorfium in Lex. Hebr. in פרת adnotaſſe , ex הוא & *Pherat* coaleſcentibus videri nomen *Euphrati* factum .

(9) Non inutilem hanc obſervationem futuram ſpero , ut teneatur antiqua Hebraicae hujus litterae poteſtas , quae Graeco E non tantum ordine & appellatione , verum etiam valore reſpondebat . Simul hinc perſpicitur Hebraeos non caruiſſe vocalibus litteris , quarum officio fungebantur illae , quae nunc quieſcentes appellantur .

(10) Sic qui antea οἱ κατὰ Φρύγας haeretici recte dicebantur (unde in epiſtola Firmiliani ad Cyprianum Graeco more legitur : *Illi qui Cataphrygas appellantur*) iidem poſtea *Cataphryges* , flexo ſcil. vocabulo , audiverunt . Sic cum Julii Papae epiſtola πρὸς Δόκιμον , *Ad Docimum* citetur Act. I. Conc. Epheſini , & a Cyrillo Alex. in Apologetico ; pro eo apud Facundum coaleſcentibus voculis legitur *Ad Prosdocimum* . Multis Arabicis vocibus articulus *Al* adhaeſit , ut *Alcoranus* : & medicae quamplurimae compoſitiones in eumdem modum . Quae civitas in Frentanis olim Anxanum vocabatur , ea nunc dicitur *Lanciano* , adhaereſcente Italico articulo : nam ceteroqui ab *Anxanum* erat *Anciano* , ſed praefixo articulo *L'Anciano* . Et jam Acerrae periclitantur *Lacerra* dici [ſic enim certe vulgo pronuntiatur , atque etiam ſcribitur] & multa in eumdem modum .

Abſente moleſta,
Vno eodemque tenore vigebant membra, ſenectâ:
Nimirum veluti ſomno, non morte domandi.

Ex his vides gentilium antiquiſſimos, quorum nunc ſcripta exſtent, de primaeva hominum immortalitate plane paria ſenſiſſe Moſaicis narrationibus. Illud nunc ſupereſt decernendum, ecquidnam iidem accidiſſe putarint, cur homines ex immortalibus mortales evaſerint. Plurimas profana mythologia narrationes refert de primorum hominum violentia ſceleribuſque, deque poenis ob id poſtea in totum genus hominum derivatis. Poenarum autem praecipuam habitam fuiſſe mortalitatem, eamque non naturae ſed poenae a profanis ipſis imputatam, didici ex Capuae Veteris (11) epigrammate elegantiſſimo hujuſmodi.

VNA . DIES . ADIMIT . CRVDELI . CLADE . PEREMPTAS
QVIS . ARA . HAEC . POSITA . ST . POENA . HOMINIS . MISERI
FILIA . NAMQVE . PERIT . PERIIT . ET MATER . EVNDEM
DESERIT . ILLA . PATREM . DESERIT . ILLA . VIRVM

(11) Reperitur hodie in porticu Eccleſiae S. Angeli in Formis, quae olim Caſinenſis cujuſdam monaſterii fuerat. Exſtat autem ſupra columnae cujuſdam capitulum loco abaci. Is vero cippus qua excedebat abaci modulum, videtur fuiſſe a fabris amputatus. Nam initio ſi non aliud, certe propria tam utriuſque defunctae, quam vivi parentis nomina ſcalpta fuiſſe neceſſe eſt.

Attulerat eam Reineſius Cl. XIV. num. 200. ex Nic. Heinſio, qui marmor viſum a Cam. Peregrino teſtatus fuerat. Tamen, ut leviuſcula taceam, ver. 1. in marmore CLADE eſt, non MORTE, & ver. 2. ſcribitur POSITA . ST: [quae ſatis uſitata eſt συναλοιφὴ] non POSITAS, quod turbat ſententiam. Ceteroqui viri ſummi non raro, quae lecta in ſaxis memoriae mandarunt, ea fidenter poſtea, ſed parum emendate domi deſcribunt. Ceterum quia confertae ſunt litterae, ego quoque ver. 2. POSITAS legeram: ſed ſcala adhibitâ, POSITA . ST. deprehendi. Poſtremo ver. ultimo utrobique eſt ILLA. At Reineſius alternat hoc modo, ILLA PATREM . . . ISTA VIRVM.

Jam vero cum in eo exemplo, quod diu ante ex marmore exceperam, pauca quaedam ſubnotata repererim, ea paucis hic volens aſpergam. Ad ver. 2. animadverteram, ubi his duobus mortuis *Ara* fuiſſe *poſita* dicitur, non eſſe ſcrupulis Jac. Gutherii [in de jure Manium II. 19.] indulgendum; ubi notat, aras ſepulcrales, de quibus poëtae paſſim loquuntur, non mortuis ibi conditis intelligi poſitas, verum diis manibus ipſorum. Jam pridem Gutheriana haec refutaverat Noriſius (Cenotaph. pag. 387.) ex Sponianis duabus: in quarum una *P. Ambivius . . . aram poſuit P. Ambivio patri*, in altera *Aram conſtituit digno meritoque marito*. Longe plures affert Fabrettus a pag. 107. ad 109. Quibus haec noſtra accedat epigraphe. Adde hoc etiam, quod ſicuti monumentis interdum inſcribitur H. N. S. h. e. *Heredem non ſequitur*; ita apud Fabret. pag. 107. num. 253. legitur H. A. H. N. S. i. e. *Haec ara heredem non ſequitur*. Nec temere eſt, quod pleraque cipporum ſepulcralium pars arae formam referunt, & in uno latere urceolum, in altero pateram, ut in ceteris aris, prae ſe ferunt, ad libationes ſcil. Hinc etiam iidem cippi non raro a ſummo ad imum terebrati conſpiciuntur, ad libationes nim. ſive ad lacrymas ad mortuos demittendas. Hinc etiam in Graecis inſcript. Ancytanis apud Montfauc. pag. 164. βωμὸς ſaepe pro cippo ſepulcrali uſurpatur.

Jam vero quod in uno eodemque verſu ſecundo QVIS dandi caſu, itemque συναλοιφὴ (de qua ſupra dictum) legitur, paria Gruterianum epigramma p. 748.7. offert his verbis:

Numina nunc inferna precor, patri date lucos,
QVIS eſt purpureus perpetuuſque dies.
Hic certe ut meruit, CVNCTAST data cura ſepulcro . . .

Ver. 4. quam breviter ac perſpicue dictum! *Eumdem* (ſuperſtitem) *deſerit illa* (filia defuncta) *patrem*, *deſerit illa* (mortua mater) *virum*. Nihil venuſtius.

Haec ad ejus epigrammatis margines jamdiu mihi notata reperi. Hoc nunc addo, marmoris ſcripturam (quam ſatis confertam memini) effigiem ſatis antiquam, quantum recordari poſſum, praeſetuliſſe, ac facile tunc aevi Auguſtei viſam.

Digitized by Google

Ex altero hujus tetaſtrichi verſiculo vides, horum mortem non naturae, ſed poenae inevitabili deputari, & quidem *poenae hominis MISERI* : in quibus τὸ HOMO MISER plane Moſaicum diceres. Nam homo intelligi videtur, non qualis initio creatus, h. e. innocens atque beatus, verum qualis per inobaudientiam in barathrum miſeriarum ruit.

Jam vero ab illa decantata indolentia in ſtatu innocentiae, hominiſque tamdem translatione in meliorem locum, manavit illa Homeri deſcriptio de inſulae Syriae incolis loquentis Od. O. 406.

Πείνη δ' ὔποτε δῆμον ἐσέρχεται, ὐδέ τις ἄλλη
Νῦσος ἐπὶ ϛυγερὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσιν·
Α'λλ' ὅτε γηράσκωσι πόλιν κάτα φῦλ' ἀνθρώπων,
Ε'λθὼν ἀργυρότοξος Απόλλων Αρτέμιδι ξὺν
Οἷς ἀγανοῖς βελέεσσιν ἐποιχόμενος κατέπεφνεν.
Illinc dira fames procul, & vis tabida morbi
Omnis abeſt, quae damna trahat mortalibus aegris:
Aſt ubi tarda venit poſt ſaecula longa ſenectus,
Arcitenens cum Diana congreſſus Apollo,
Aufert relliquias vitae placida uſque ſagitta.

AD GEN. II. 19.

Vt videret quid vocaret ea: omne enim quod vocavit Adam animae viventis, ipſum eſt nomen ejus] Huc credo ſpectavit Clemens Alex. ſtrom. I. cum ſcripſit: αἱ δὲ πρῶται καὶ γεννκαὶ διάλεκτοι, βάρβαροι μὲν, φύσει δὲ τὰ ὀνόματα ἔχυσιν. *Primae autem ac genitales linguae, barbarae illae quidem ſunt, ſed habent a natura voces*. Hinc factum addit, ut preces efficaciores putentur, quae lingua barbara recitentur. Plato: οὐ φαῦλον ἡ τῦ ὀνόματος θέσις, ὔτε φαύλων ἀνδρων, ὔτε ἐπιτυχόντων. *Haudquaquam ignobile eſt nomina rebus imponere, neque tardorum aut vulgarium ingeniorum*. Sed & Philo in *de Nomin. mutat.* ex Graecorum philoſophorum ſententia ſcripſit: εἶναι σοφὺς τὺς πρώτυς τοῖς πράγμασι τὰ ὀνόματα θέντας. *Qui primi rebus fecere nomina, eos oportere ſapientes fuiſſe*.

AD GEN. II. 23.

Haec vocabitur Virago, quia de viro ſumpta eſt] Poterat & *Vira* reddi. Feſtus in *Querquetulanae*, ait: *Querquetulanae virae putantur ſignificari nymphae praeſidentes querqueto . . . Feminas antiqui . . . viras appellabant: unde . . . virgines, & viragines.*

AD GEN. II. 24.

Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem & adhaerebit uxori ſuae] Taxatur heic in anteceſſum gentium mos corruptiſſimus, apud quas patria poteſtas fortior erat connubiali vinculo. Certe Matt. XIX. 5. & renovatur haec lex, & explicatur in eo quod additur, *Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet*. Ergo, interprete CHRISTO; ſenſus legis eſt, non poſſe hominem i. e. parentes matrimonia filiorum rite contracta diſtrahere (id quod tamen apud gentiles ſibi licere patres voluerunt, idque etiam temere & pro ſua maxima voluntate) ſed relinquendos eſſe genitores potius, quam conjugalem fidem. Itaque prophetice damnantur hic gentes, apud quas aliud juris futurum erat, dum patria poteſtas vulgo apud eas nexu matrimoniali potior habenda erat. In Sticho Plauti Antipho filias ſuas Panegyrin & Pinacium ob hoc tantum volebat abducere, quod generi

generi paullo diutius domo abeſſent: quem Panegyris ſic compellat I. 2. 73.

Aut olim, niſi tibi placebant, non datas oportuit:
Aut nunc non aequum abduci, pater, illiſce abſentibus.

Afranius apud Nonium:

O indignum facinus, adoleſcentes optimas,
Bene convenientes, concordes cum viris,
Repente viduas faciat ſpurcitia patris.

Apud Ennium filia ſic expoſtulat:

Injuria abs te afficior indignè, pater;
Nam ſi improbum eſſe Cteſiphontem exiſtimaveras,
Cur me huic locabas nuptiis? Sin eſt probus,
Cur talem invitam invitum cogis linquere?

Et hoc quidem antiquitus obtinebat. Nam poſtmodum tantum juſta cauſa interveniente pater filiam, etſi renitentem, & renitente genero, domum abducere poterat, *l. 5. Cod. de repud.* At Divina ſanctio hoc totum in anteceſſum damnat; quam deinde CHRISTVS, uti dixi, confirmavit. Eoque ſpectat Illiberitanus Canon LIV. damnans triennali poenitentia parentes, qui filiorum ſponſalia fregiſſent: ubi ſponſaliorum nomine non ſponſalia *de futuro*, ſed *de praeſenti* (uti loquuntur) venire contra Ferd. de Mendoza diſputavimus in Mantiſſa *de ſponſalibus filiorum fam.* quae exſtat in fine Diſſertationis Muſcettulae paris argumenti.

AD GENESIS CAP. III.

AD VERS. III.

Eritis ſicut Dii ſcientes bonum & malum] Anceps reſponſum & tale, qualia conſuevit omni tempore Diabolus per oracula reddere: unde ab obliquitate τῶν χρησμῶν (*reſponſorum*) Λοξίας eſt appellatus. Hoc certe dictum pro primo hujuſcemodi ambiguorum oraculorum haberi poteſt. Nam duplicem ſignificantiam complectebatur; unam magis obviam, qua ſimilitudo divina promitteretur, quam in partem ab Eva id reſponſum acceptum videtur: alteram occultiorem, qua ſcientia ἐμπειρικὴ bonorum ac malorum conſequenda ſignificaretur. Poſteriorem intelligentiam veram fuiſſe, damno experientium eventus probavit.

Pro ἐμπειρικῇ bonorum ac malorum ſcientia hujus loci ſtat Telemachi apud Homerum Od. XX. 309. phraſeologia Moſaicae germana planeque gemella: quam olim diligenter a me ad hunc locum illuſtrandum notatam, vidi poſtea jam etiam ab aliis (1) animadverſam. Sic enim Cteſippum increpans Telemachus ait:

. . . Ἤδη γὰρ νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα,
Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια· πάρος δ᾽ ἔτι νήπιος ἦα.
. . . *Etenim jam calleo ſingula gnarus*
Tum bona tum mala, qui fueram modo parvulus infans.

Ac praeter Homericam phraſeologiam ſimillimum quoque illud eſt inſigne

LXX

(1) Attulerat jam ante Grotius, & alii poſtea. In oculos quippe incurrit.

LXX Senum additamentum (2) Num. XIV. 23. Vbi Deus cum praedixiſſet, eos, qui viſis tot prodigiis, tamen ſeſe in deſerto tentaſſent, ſeſe a promiſſa terra excluſurum; ſubdit: ἀλλ' ἢ τὰ τέκνα αὐτῶν ἅ ἐςι μετ' ἐμοῦ ὧδε, ὅσοι οὐκ οἴδασιν ἀγαθὸν οὐδὲ κακὸν, πᾶς νεώτερος ἄπειρος, τούτοις δώσω τὴν γῆν. *Sed filii eorum, qui ſunt mecum hîc, quicunque NON NOVERVNT BONVM NEQVE MALVM, omnis junior inexpertus, his dabo terram*. Vbi vides *non noſſe bonum neque malum* mox exponi per νεώτερος ἄπειρος: ut non ſit dubitandum quin ſcientia boni & mali non ſit aliud quam collecta experimentis ſcientia, qua parvuli carent, quouſque eam uſu adipiſcantur.

AD GEN. III. 16.

Mulieri quoque dixit . . . in dolore paries filios, & ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.

Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui] Priora illa verba (*ſub viri poteſtate eris*) aliter Hebraice concipiuntur his verbis, *Ad virum tuum* (תשוקתך *theshukatheeh*) *converſio* (3) *tua erit*. Hîc ergo quibus legibus uxor cum marito jungatur, exprimitur, nim. ut imperium ſit penes virum, penes uxorem ſit ſubjectionis officium, quod pulchre Moſes *Converſionem* vocat; quia qui alteri ſubjicitur ac totus ab eo pendet, ad hunc ſe convertat ad juſſa accipienda neceſſe eſt, ne ſi parumper aliorſum avertatur, dicto minus audiens reperiatur. Idem in pari negotio *Theshukah* i. e. *Converſionis* vocabulum Moſes uſurpat ſeq. cap. ver. 7. ubi Hebraea idem αὐτολεξεὶ ſonant. Cainum igitur ibi Deus ita alloquitur: *Et ad te* (i. e. ad mentis tuae rationem) *erit converſio ejus* (h. e. facultatis appetitricis) *& tu dominaberis illius*. Vides quam paſſibus aequis procedant haec duo conjugia, nim. tum mulieris cum viro ſuo, tum etiam facultatis appetitricis cum mente ſive ratione. Vide ad cap. IV. 7. Sed ut ad locum, qui nunc prae manibus eſt, redeam; exemplar alterum maritalis conjunctionis longe divinius proponit Apoſtolus ad Epheſ. V. a ver. 22. ad fin. cap. in Chriſto & Eccleſia. *Vir*, inquit, *caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus . . . Eccleſiae . . . ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, ita & mulieres viris ſuis in omnibus*. Et in fine. *Sacramentum hoc magnum eſt . . . in Chriſto & in Eccleſia . . . Vnuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat: uxor autem TIMEAT virum ſuum*. Timeat, inquit, virum ſuum, & ad eum ſit *converſio ejus* (ut hîc legitur apud Moſem) ad excipienda ſcil. juſſa imperata mariti.

AD

(2) Additamentum jure appellavi, cum abſit ab hodierno Hebraico codice: at in eo ex quo Interpretes illi ſuam translationem derivarunt, illa eadem Hebraice lecta fuiſſe, res ipſa clamat.

(3) Non eſt dubitandum, quin Heb. תשוקה *theshukah* tum hîc, tum etiam infra cap. IV. 7. vertendum ſit *converſio*, etſi utrobiq. LXX reddiderint ἀποστροφὴ, quaſi ſit *Averſio*. Nam (ut omittam, quod eadem haec *Meshukah* Cant. VII. 10. ἐπιστροφὴ i. e. *Converſio* traducitur) vox ἀποστροφὴ tam *averſionem*, quam etiam *converſionem* notat; quia *averſio* ab uno neceſſario ſit per *converſionem* ad alterum. Hinc ſchema illud, quo aliquem alloquimur, Graeci vocant ἀποστροφὴν, h. e. (uti Quintilianus IV. 1. & IX. 2. verti jubet) *ſermonem a perſona judicis averſum*: at alii, quia nec averſio ſine converſione ſtare poteſt, nec contra; non dubitant ἀποστροφὴ interpretari *Converſionem*. Harpocration Ἀποστροφὴν apud Demoſthenem interpretatur καταφυγὴν (*perfugium* ad aliquem) quod huc non pertinet: at Suidas reddit καταστροφὴν i. e. *converſionem*. Poſtremo Budaeus in Com. ubi dixiſſet: Ἀποστρέφομαι πρὸς τοῦτον eſſe *Ad hunc convertor*; addit, figuram Ἀποστροφὴν inde videri dictam. Ne mireris ergo, ſi Seniores ἀποστροφὴν hîc pro *converſione* uſurparint his verbis: Πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀποστροφή σου, *Ad virum tuum converſio tua*. Sicuti & cap. IV. 7.

AD GEN. III. 19.

Donec revertaris in terram, de qua ſumptus es; quia pulvis es, & in pulverem reverteris] Heroicis temporibus mors ita circumſcribebatur, ut *aquam & terram evadere* tantumdem eſſet quod mori; nimirum quia primus homo ex pulvere aqua ſubacto fictus fuit. Menelaus apud Hom. Il. H. 99.

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.
Fiatis vos unda & humus, per me licet, omnes.

AD GEN. III. 21.

Fecit quoque Dominus Deus Adae & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.

Fecit] Fecit ut ſibi facerent, monſtrando illis rationem δερματουργικῆς τέχνης.

Tunicas pelliceas] LXX χιτῶνας δερματίνους. Veteres Graeci Patres, cum putarent, animalia bina creata fuiſſe, nec ante lapſum hominem ea gignere fetus potuiſſe; abſurdiſſimum putaverunt χιτῶνας iſtos δερματίνους vere ſcorteas fuiſſe tunicas. Itaque vel carnem, qua tum primum indutus homo fuerit, non appoſite interpretabantur, vel tunicas illas ex foliis aut corticibus arborum fuiſſe contextas. Vide Patrum illorum locos a Suicero collectos in voce χιτών, atque in primis Diodorum ajentem: ὅτι δέρματα οὐ μόνον τὰ ἐκ τῶν ζώων ἀφαιρούμενα λέγεται, ἀλλὰ καὶ τὰ ἐκ τῶν δένδρων, ἃ καὶ φλοιοὺς ὀνομάζειν ἔθος τοῖς πολλοῖς, h. e. Δερμάτα *non ſolum illa ſunt quae ex animalibus detrahuntur, ſed & quae ex arboribus, quos* φλοιοὺς *vulgo appellant*. Verum (ut omittam quod haec δέρματος notio ſola Diodori auctoritate nititur) עור *or*, quod hic in Hebr. legitur, non poteſt aliud quam *corium* ſignificare: nuſquam certe ſtirpium corticem notat. Ceterum animalia initio plura gregatim procreata fuiſſe, ex his ipſis loci hujus *tunicis pelliceis* ad Cap. I. 24. collegimus.

Et quidem non incredibile eſt, mortalium incultiſſimos aliquando ex foliis arborum temere, uti fit, contextis texiſſe pudorem. At ſimul certiſſimum eſt, tunicas haſce pelliceas non tantum a Deo primo parenti, ſed & a natura ipſa (4) monſtratas; deinde ceteris imitationi fuiſſe. Lucretius lib. V.

Pellibus & ſpoliis corpus veſtire ferarum.

Heroes pellibus tegebantur, veluti leonina Hercules, aprina Tydeus. Apud Homerum Agamemnon

Ἀμφὶ δ' ἔπειτα δάφοινον ἑέσσατο δέρμα λέοντος.

Et de Menelao:

Παρδαλέῃ μὲν πρῶτα μετάφρενον εὐρὺ κάλυψε Ποικίλῃ.

Peliae quoque regi παρδαλέαν aſſignat Pindarus Pyth. Od. IV. Apud Orpheum Ancaeus Ἄρκτου λάσιον στέρνοις ἀμπέσχετο δέρμα. Apud Apollonium lib. I. Argus

Δέρμα δ' ὁ μὲν ταύροιο ποδηνεκὲς ἀμπέχετ' ὤμους.

Vbi Scholiaſtes: σύνηθες γὰρ τοῖς ἥρωσι τὸ δερματοφορεῖν. In nummis Macedonum reges, nonnulliq. alii leoninis exuviis conteguntur, aliis alii. Vide Spanhemium de praeſt. & uſu num. diſſ. V. Pelliti olim Patres conſcripti. Mauri Germani

(4) Si nummos, ſi ſtatuas, ceteraque antiquitatis monumenta cernimus, ferae corium praebebat integrum corpori tegumentum. Viventis caput tegmine capitis mactatae beſtiae defendebatur, terga tergoribus, armis brachia, pectus venterque paribus belluae ſpoliis tegebantur. Hodie dum gregum cuſtodes non aliter veſtiuntur.

mani, aliaeque gentes ferarum ſpoliis induebantur, Strabone & aliis teſtantibus. Poſteriore aetate qui ad priſcam ſimplicitatem ſe componere voluiſſent, ſimiliter veſtiebantur, uti Elias, Iſaias, Zacharias, Jo: Baptiſta. Etiam Chriſtianorum aſcetae, aut ex palmarum foliis, aut pellibus ſibi indumenta conſuebant. Dio Chryſoſtomus nonnunquam leonis exuviis tectus prodibat in publicum, auctoribus Photio & Suida. Legeſis Pollucis lib. II. caput V. quod eſt περὶ σκυτίνων ἐσθήτων, *de ſcorteis veſtibus*:

AD GENESIS CAP. IV.

AD VERS. I.

Quae concepit, & peperit Cain, dicens: Poſſedi hominem per Deum] Ex Hebraeo horum verborum, *Poſſedi* &c. apparet nominis impoſiti alluſio. Non temere autem indita apud Hebraeos fuiſſe nomina, ſed aliquo ſemper eſſe ſpectatum, ex univerſa ſacra hiſtoria cognoſcitur; veluti *Iſaac* ob matris riſum ita dictus, ita Jacob & Eſau, ita & Jacobi ferme omnes filii, & paſſim alii alluſiva adepti ſunt nomina. Atqui & apud gentiles eadem heroicis temporibus obſervata eſt ratio. Od. XIX. 407. Autolycus Vlyſſis avus maternus, quia ὀδυσσάμενος h. e. *inviſus* omnibus eſſet, infantem Ὀδυσσέα appellari jubet.

Γαμβρὸς ἐμὸς θυγάτηρ τε τίθεσθ' ὄνομ' ὅττι κεν εἴπω.
Πολλοῖσιν γὰρ ἔγω γε ὀδυσσάμενος τόδ' ἱκάνω
Ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶν ἀνὰ χθόνα πουλυβότειραν·
Τῷ δ' Ὀδυσεὺς ὄνομ' ἔστω ἐπώνυμον.

Nata generque meus, nomen date, quod mihi cumque
Viſum erit. Huc quoniam maribus venio atque puellis
Inviſus multis per humi fata frugiferai;
Nomine quaeſito ex rebus dicatur Odyſſeus.

Ex quorum verſuum primo intelligitur, ad parentes proprie pertinuiſſe imponere nomina, non ſecus atque apud Hebraeos.

AD GEN. IV. 2.

Fuit autem Abel paſtor ovium, & Cain agricola] Jam tum νομαδικὴ & γεωργικὴ diſcretae ab ſe invicem artes, diverſos ſui cultores habuere. Qui poſtea populi Caini inſtitutum ſunt imitati, Georgi; qui Abelis, Nomades audierunt. In Sarmatia Europea Georgi & Nomades finitimas lateque diffuſas habuere ſedes: Georgi quidem a Boryſthene ad Panticapen, at a Panticape amni ad Gerrum Νομάδες Σκύθαι, ait Herodot. IV. 19. οὔτε σπείροντες οὐδεν, οὔτε ἀροῦντες. Mela II. 1. *Vagi Nomades pecorum pabula ſequuntur, atque ut illa durant, ita diu ſtatam ſedem agunt. Colunt Georgi, exercentque agros.*

AD GEN. IV. 7.

Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? Sed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.

Nonne ſi bene egeris, recipies (ſupple *praemium*) *ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit*] *Peccatum* in Scripturis diverſa notat, prout ſententia poſtulat. Hîc autem eſt *poena peccati*. Poeta Venuſinus quaſi ſi huc reſpexiſſet, cecinit, *Culpam poena premit comes*.

Sed

Sed ſub te erit appetitus ejus (peccati) *& tu dominaberis illius*] Opportuna παραίνεσις, qua adhortatur Cainum ad reſipiſcentiam, & ad continendam in officio facultatem appetitricem. Prius inciſum iisdem plane verbis concipitur cap. ſuperiore ver. 16. Ibi uxor marito ſubjicitur his verbis, prout Hebraice ſonant: *Ad virum tuum* (תשוקתך *theshukathech*) *erit converſio tua, & ipſe dominabitur tui.* Hîc vero eâdem prorſus Hebraica phraſi Cainum alloquitur: *Et ad te* (תשוקתו *theshukatho*) *converſio* (h. e. obſequium) *ejus* (appetitûs ſit) *& tu dominaberis illius*. Ergo תשוקה *theshukah* tum hîc, tum etiam ſupra capite III. 16. eſt *converſio*, & quidem talis, qualis eorum eſſe ſolet, qui alteri ſubjiciuntur, a cujus proinde ore pendent; ita ut *Theshukah* ſit meo judicio *Subjectio*. Sane cum paribus verbis utatur Deus tum ſupra III. 16. ubi uxorem viro, tum hîc etiam, ubi facultatem appetitricem rationi ſubjicit; eo plane docemur non uno modo maris & feminae conjunctionem (ex Apoſtolo ad Eph. V. 32.) *Sacramentum* dici; nim. quia ea conjunctio ſymbolum eſt tum mirae prorſus in homine ſenſuum cum ratione copulationis (ſed ita ut imperium ſit penes rationem, tanquam maritum, obſequium vero ab appetitu tanquam uxore menti debeatur) tum vero potiſſimum CHRISTI cum Eccleſia conjunctionis.

Atque hoc totum comma ſeptimum capitis hujus videtur Moſes ex vetere aliquo cantico acceptum, ſuae hiſtoriae intexuiſſe. Argumento eſt mira hoc loco poëtici ſtyli, cujuſmodi in divinis canticis ſeſe prodit, effigies. Nec inuſitatum eſt Moſi Canticorum de iisdem, quas tractat, hiſtoriis olim compoſitorum fragmenta ſuis commentariis innectere. Ad cap. IV. 23. ſimile exemplum notabimus, nec non in illo Joſuae loco, *Sol contra Gabaon* &c. & alibi pluries.

AD GEN. IV. 10.

Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra] Hebraicum קול *Kol*, i. e. *vox*, nec genere nec numero convenit cum צועקים *tsoakim*, i. e. *clamantes*. Pagninus ob eam cauſam verterat, *Vox ſanguinum fratris tui clamantium ad me de terra:* ſed iſto modo ſententia imperfecta manet. Verti aptius ad verbum poteſt, *Voce ſanguines fratris tui clamantes* (ſive *clamant*, ut ſit participium loco verbi more Hebraeorum) *ad me de terra*. *Voce* (i. e. *quaſi emiſſa voce*) *ſanguis fratris tui clamat ad me de terra*. Ita proſopopoeia erit ἐμφατικωτέρα. Nec clamandi verbo inuſitatum eſt addi caſum obliquum *vocis* tamquam inſtrumenti; cujuſmodi eſt illud Pſalmi III. 5. *Voce mea ad Dominum clamavi*. Sic etiam Pſ. LXXXVI. 2. & CXLI. 2. & alibi. Quod attinet ad hanc loci hujus proſopopoeiam, non abſimilia ſunt illa in Demoſthenis prima Olynthiaca ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρὸς . . . μόνον οὐχὶ ΛΕΓΕΙ, ΦΩΝΗΝ ΑΦΙΕΙΣ, ὅτι . . . *Itaque praeſens tempus* . . . *tantum non ELATA VOCE clamitat*, arripiendam ſcil. occaſionem.

AD GEN. IV. 11. 12. 14.

Nunc igitur maledictus eris ſuper terram, quae aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua] Sicuti nos bibulam terram dicimus, ſic Moſes bibendi actum ſignificantius notat, *Quae aperuit os ſuum* &c. Supra cap. III. 17. terra obnoxia maledicto fuerat: *maledicta terra in opere tuo*. Nunc diſerte Cain ipſe diris devovetur: *Maledictus eris ſuper terram*. Ibi dictum fuit: *In laboribus comedes ex ea*: hic autem negat fore, ut quamlibet exculta tellus Caini laboribus ulla ex parte reſpondeat. Sic enim ſequitur: Ver. 12.

Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos] Haec poena ad Cainum

num pertinet, illa Gen. III. 17. ad reliquum mortalium genus labore ſuo fructus e tellure eliciturum. Hinc autem ſuſpicio oritur, Cainum deſtitiſſe ab agricultura. Quo enim, nullo prorſus cum foenore fruſtra ſe fatigaret? Agricultura ergo a Caino exorta, in eodem deſiiſſe videtur, ac non niſi poſt diluvium a Noacho revocata, de quo cap. IX. dicitur: *Coepitque Noe vir agricola exercere terram* &c. Quamquam haec alii aliter ex Hebraeo interpretantur; & quod Noe *coeperit* primus, in eo primus, ſed *poſt diluvium coepiſſe* poteſt intelligi.

Vagus & profugus eris ſuper terram] Quo pacto iſtuc verum, cum infra ver. 16. habitaſſe dicatur ad orientalem plagam Eden; ibique ſtruxiſſe civitatem, h. e. ſedem fixam? Ex notatis ſupra ad Ver. 2. intelligis, hoc differre Nomades a Georgis, quod hi uni eidemque ſubigendo agro inſtarent, illi nulla certa ſede huc atque illuc pro ratione pabulorum aliarumque opportunitatum crebras excurſationes facerent: quorum inſtitutorum hoc alterum Abelis, prius autem Caini fuit. Hic autem in poenam fraternae caedis, tellurem ſuis laboribus nil reſpondentem habuit, unde & ab eo munere deſtitit: cui vale dicto, quid aliud reſtabat, niſi ut paſtoritiam artem excoleret, & ex γεωργῶ νομὰς evaſerit, hoc eſt fixam cum vaga ſede commutarit? Voces quae in Hebr. leguntur, non tam profugum quam huc atque illuc ſe aſſidue jactantem ſignificant, ritu Nomadum, de quibus Horatius: *Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos*.

Ecce ejicis me hodie a facie terrae] h. e. agricultura me abdicas.

Omnis igitur qui invenerit me, occidet me] Nondum ſatis propagato hominum genere, ab hominibus vix erat quod timeret. An videtur potius a noxiis beſtiis timuiſſe ſibi, in quas, pabulis commutandis intentus, facile incurreret?

AD GEN. IV. 15.

Poſuitque Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum] Judaei aliiq. pro ſuo ingenio alii aliud ſignum comminiſcuntur ſive fronti impreſſum, ſive brachio litteram in ſignum inuſtam. Sed omiſſis aliorum interpretamentis, videtur אות *oth* hic & alibi non ſignum ὁρατὸν fuiſſe, ſed ἀκυστὸν (h. e. non viſu ſed *auditu* percipiendum) ſive, ut antique loquar, non *monſtrum*, ſed *omen*, quod ſcil. Divini effati fidelitatem ac firmitudinem notaret. De *Ominis* propria notione & veriloquio vide in ora (1) pagellae.

Atque ea conſuetudo loquendi ab Hebraeis ad gentiles Heroicorum temporum propagata fuit. Apud Homerum Od. XX. 98.

Ζεῦ πάτερ, εἴ μ' ἐθέλοντες ἐπὶ τραφερὴν τε καὶ ὑγρὴν
Ἤγετ' ἐμὴν ἐς γαῖαν, ἐπεί μ' ἐκακώσατε λίην,
Φήμην τίς μοι φάσθω ἐγειρομένων ἀνθρώπων
Ἔνδοθεν, ἔκτοσθεν δὲ Διὸς τέρας ἄλλο φανήτω.

Jupiter

(1) Omen quid ſit, explicat Cicero I. de Div. cap. 45. *Neque ſolum Deorum VOCES Pythagorei obſervaverunt, ſed etiam hominum, quae vocant OMINA: quae quia valere cenſebant majores noſtri, iccirco omnibus rebus agendis, QVOD BONVM FAVSTVM FELIX FORTVNATVMQVE eſſet, praefabantur*. Cum autem latius omen ſumi ſoleat, hic tamen non pro humana, ſed pro Divina voce ſive praecepto accipimus. Ominum diſciplina cum Etruſcos (qui ἀνέκαθεν Chananaei h. e. Hebraeorum finitimi fuerant, ac ſua pleraque ab iis didicerant, etſi interdum corruperant) auctores habeat; non mirabimur ſi vox ipſa ſit ex aſſe Hebraica. Nam *Omen* eſt purum putum Hebraicum אמן: quae vox interdum legitur *Amen*, interdum *Omen*. Hoc alterum cum O exſtat Iſaiae XXV. 1. Vbique vero veritatem, fidelitatem, firmitudinem dicti promiſſive ſignificat.

Digitized by Google

Jupiter Pater; *quando me volentes* (*volentes* refertur εἰς τὸ σημαινόμενον; eſt enim ſermo ad Deorum concilium; ſicuti & illud Virgilii, *Vos o Calliope*) *per ſiccam & humidam Duxiſtis meam ad terram*, *poſtquam me malis affeciſtis nimium*, *Omen aliquis mihi dicat incitatorum hominum Intus*, *foris autem Jovis monſtrum aliud appareat*. Nempe duo precatur Jovem, & omine & monſtro aliquo divino confirmari ſe de nece inferenda procis. Haec ubi precatus eſſet, & Jupiter intonuit, & aliunde mulier molitrix omen effata fuit ver. 111.

Ἦ ῥα μύλην ςήσασα, ἔπος φάτο, ΣΗΜΑ ἄνακτι.

Atque molam ſiſtens, *regem certo omine firmat*.

Ζεῦ πάτερ, & quae ſequuntur in eam ſententiam, qua Jovem comprecatur mulier, uti ſupplicium ultimum de procis ſumatur. Accepit omen Vlyſſes, & tum Jovis tonitru h. e. monſtro, tum mulieris loquentis omine confirmatus, de procis ulciſcendis conſilium iniit. Atque haec, quae dixi, eo pertinent, ut intelligamus, σῆμα (*ſignum*) de quo Homerus loquitur, non aliquod monſtrum fuiſſe, ſed φήμην h. e. ipſum omen, quod Vlyſſes expetierat. Ergo, niſi vehementiſſime fallor, non aliud *ſignum* illud fuit, quod *Dominus Caino poſuit*, quam hoc quod ſequitur omen ſive effatum juſſumque divinum, *ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum*. Atque hinc non paucis Scripturae ſanctae locis lux accedit, ubi de ſignis non ὁρατοῖς, ſed ἀκυςοῖς, h. e. de ominibus non monſtris agitur. Exodi III. 12. hoc ſigno Deus Moſem animi pendentem confirmat: *Hoc habebis ſignum*, *quod miſerim te*. *Cum eduxeris populum meum de Aegypto*, *immolabis Deo ſuper montem iſtum*. Eventus enim ipſe pro ſigno rei eventurae traditur. Nec aliter res expediri poteſt, quam ſi ſignum ὀμφηικῶς pro *omine*, ſive fauſto effato acceperis. Germanus planeque gemellus eſt locus illuſtris I. Samuelis II. 34. eâdem interpretatione donandus: *Hoc autem erit tibi ſignum*, *quod venturum eſt duobus filiis tuis Ophni & Phinees*: *In die uno morientur ambo*. Et hîc *ſignum* malum omen interpretare. Item 4. Reg. XIX. 29. *Tibi autem*, *Ezechia*, *hoc erit ſignum*: *Comede hoc anno quae repereris*; *in ſecundo autem anno quae ſponte naſcuntur*: *porro in tertio anno ſeminate & metite* &c. Hoc bonum omen: at malum Jerem. XLIV. 29. *Et hoc vobis ſignum* . . . *Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Aegypti in manu inimicorum ejus* &c. Eodem & illud pertinet vexatiſſimae interpretationis ſignum Iſaiae VII. 14. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum*: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium* &c. De quo in loco, uti ſpero, dicam.

AD GEN. IV. 16.

Habitavit profugus in terra ad orientalem plagam Eden] Pro *profugus* Hebr. eſt נוד *Nod*: quod etſi appellative ſumptum *vagum* & *profugum* notat; at Joſephus pro loci nomine proprio accepit, qui vult Cainum habitaſſe *in terra* (Ναΐδι) *Naide*. Idque ſequor. Cain dixerat ſupra ver. 14. ſe fore *vagum* & *profugum* in homicidii poenam: id quod & apud antiquos Graecos temporum heroicorum ſervatum fuit, quando homicidas exſulare & vertere ſolum neceſſe erat. Ergo ab eo Caini *exſilio* terra, ubi exſulavit, nomen accepit, ac terra *Nod*, ſive (ut Joſephus legit) *Naid* vocata fuit. Confer infra ver. ſeq.

AD GEN. IV. 17.

Et peperit Henoch: *& aedificavit civitatem*, *vocavitque nomen ejus ex nomine filii ſui*, *Henoch*] Nominum iſtorum (tum viri, tum urbis) ratio ſic ſe habet. Cain cum exſtructam ab ſe urbem jam dedicaturus eſſet (h. e. *encaeniaturus*, uti

 S. Au-

Digitized by Google

S. Auguſtini faeculum loquebatur) ſuſcepit ex uxore filium ; cui ab urbis dedicatione *Henochi* nomen impoſuit. Nam verbum חנך *hanach* Hebraeis *dedicare* & *initiare* eſt ; ſicuti & חנכה *hanuccah* eſt *dedicatio*. Viciſſim ergo & urbem ab infantis nomine, qui in ejus dedicatione natus erat, appellatam voluit. Joſephus in Vrbis filiique nomine primorem vocalem A poſuit, ſicuti & Maſorethae in Bibliis hodie uſurpant. Καὶ τὴν πόλιν δὲ ταύτην ἀπὸ Ἀνώχου, τοῦ πρεσβυτάτου παιδὸς, Ἀνώχαν ἐκάλεσεν. *Hanc autem civitatem ab Anocho, natu maximo filio, Anocham vocavit.*

AD GEN. IV. 22.

Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera aeris & ferri.

Tubalkain] Hebr. eſt תובל קין *Thubal Kain*. Id vero ſignificat *ferrarium artificem*; nam תובאל *tubal* Arabice deſignat *ſquamam ferri* aut *aeris*. קין *Kain* vero ipſum *malleatorem* aut *fabrum* notat tum Arabice, tum etiam Syriace. Etenim Arabicum verbum קאן *Kana* eſt *cudere*; at vero Syriacum קינא *Kainojo* eſt *malleator*, ſive quisquis metalla tractat, puta artifex, argentarius, vaſcularius, faber aerarius aut ferrarius; ſicuti & Syrum קינותא *Kainojuto* eſt harum rerum ars. Si in Arabica ac Syra dialecto ea vocabula, id quod dixi ſignificant; etiam Hebraice iis vocabulis par notio fuerit neceſſe eſt. Ex his vides *Tubalcaini* nomen fuiſſe arti ab eo exercitae conſentaneum; ac proinde non ei fuiſſe ſtatim a nativitate impoſitum, ſed poſtea ab eventu id ei quaeſitum apud poſteros nomen: id quod & in aliorum impoſitione nominum non raro accidiſſe reor. *Tubalcaini* nomen apud Tyrrhenos, & hinc apud Latinos in *Vulcanum* degeneraſſe, nemo non ductu ſuopte perſpicit.

Jam vero ſimile id nomen eſt *Idaeis Dactylis*: quod etiam ex binis ejuſdem notionis voculis conſtat. Nam ſicuti Tubal Kain *fabrum aerarium* aut *ferrarium* notat ita ידעי דקולא *idee dakkula* (unde ſunt *Idaei Dactyli*) ſignificat *ſcientes ebullitionis* ſeu artis aerariae. Dixi plura de *Idaeis Dactylis* in meo *Phaleg* affecto, ubi de *Dodanim* agitur:

Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera aeris & ferri] Falſum eſt ergo, quod Heſiodus ἔργοις dixit:

Χαλκῷ δ' ἐργάζοντο· *μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.*

Ex quo Lucretius lib. V.

Sed prius aeris erat, quam ferri cognitus uſus.

Vel, ſi id verum, de Graecis intelligendum; apud quos temporibus Heroicis arma aerea in uſu fuere, uti multis confirmat Feithius in IV. Antiq. Homer. 10. Etſi idem non negat, quin apud Homerum ſit & ferreorum armorum mentio; ubi & eo tandem labitur, ut arma ad defenſionem comparata ex ferro, ad offenſionem aerea Heroibus aſſignet. Contra apud Hebraeos I. Sam. XVII. ſ. 6. caſſis aerea & aereus clypeus occurrunt, & in Pſalmis aereus arcus: at vero Job XX. 24. cum aereo arcu jungitur ferreum נשק *neſchek* ſive proprie telum.

AD GEN. IV. 23. 24.

Audite vocem meam, uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum: ſeptuplum ultio dabitur de Cain; de Lamech vero ſeptuagies ſepties.

Audite vocem meam . . . auſcultate ſermonem meum &c.] Merae hîc interpretibus

Digitized by Google

tibus tenebrae, ſeſe vix continentibus, quin cum Moſe expoſtulent, quod non explicatius iſta tradiderit. Nam ſcire operae pretium fuerat, quem virum quemve adoleſcentulum Lamech occiderit. Qui ſi animadvertiſſent, eſſe hoc celeberrimi atque Hebraeorum ore triti cantici ſive initium, ſive partem; de Moſis obſcuritate mirari deſiiſſent. Nihil enim aliud hic ſibi Moſes propoſuit, quam admonere populares ſuos, huc eſſe referendum canticum illud, quod erat apud eos decantatiſſimum. Sic etiam in libro Joſuae fruſtum carminis producitur, de Sole ac Luna non progredientibus, pugnante Joſua: quod canticum ex libro Juſtorum Scriptor Divinus allegavit. Stylus ibi quoque poëticus eſt, non niſi in canticis uſitatus. Ac mihi perſuadeo non raro in ſacris hiſtoriis ad hymnos gentis Hebraicae digitum intendi: quae alluſiones ſi commonſtrentur, lux non modica iis locis acceſſuram reor. Certum enim eſt fuiſſe apud Hebraeos canticorum genus hiſtoricorum, eo inſtitutum ut praecipuas ſuae gentis hiſtorias memoriae facilius commendarent: cujuſmodi in Pſalterio non pauca occurrunt, quibus a Deo per Moſem patrata miracula celebrantur, totaque eductionis Iſraëlitarum hiſtoria pertexitur. Id quod & Germanis, quamdiu illitterati fuere, tribuit Tacitus, & Britannis aliiſque barbaris nationibus ſollemne fuit. Adhaec Paulus non raro palam laudatis veterum gentilium poëtarum verſibus, ita demum argumentum, quo de agitur, promovet. At ſiquando id tacito auctore facit, obſcuritatem pariat neceſſe eſt: quae tum demum detergitur, ubi alterius ſcriptoris ea verba eſſe ſuboluit. Sicuti in Paulina epiſtola quadam locus eſt, qui tenebras Cimmerias huc uſque offuderat interpretibus: ſed viſo, ibi latere veteris poetae locum, ſtatim omnis caligo diſpellitur. Epiſtolae locique a me hac induſtria illuſtrati non memini, nec rimari vacat, ſed Deo dante in N. T. tota illa animadverſio deprometur.

Verum quo, inquies, indicio latere hoc loco fruſtum poëmatis conſtat? Nolo hîc repetere, quae alibi in meis affectis lucubrationibus de Hebraicae poëſeos natura & characteribus diſputavi. Nam miſsâ illa graviſſima quaeſtione, utrum ne ἔμμετρος illa poëſeos ratio fuerit, an certo tantum ſyllabarum numero ad ῥύθμον compoſito proceſſerit: ii certe immaniter errare mihi videbantur, qui ſtylo tantum proſam orationem a carminibus differre contenderent. Nam profecto ſi ita res haberet, continuo ſolidi prophetarum libri inter poëticos eſſent referendi (etſi in his quoque multa inſeruntur ἀποσπασμάτια poetica) tanta eſt enim eorum librorum elegantia, magnificentia, troporum ac figurarum apparatus, nihil ut ποιητικώτερον fingi poſſit. Nunc unus eſt meo judicio certiſſimus, Hebraicae poëſeos character, quem ἐπεξήγησιν appellare licet. Eſt autem ἐπεξήγησις, cùm una eademque ſententia bis inculcatur. Vix ullam reperies librorum ſacri codicis poëticorum partem, per quam non perpetua illa ἐπεξήγησις (quam & παραμονὴν alii appellant) vagetur. Vt hîc: *Audite vocem meam, auſcultate ſermonem meum*. Mox: *Virum in vulnus meum . . . adoleſcentulum in livorem meum*. Deinde: *Septuplum . . . ſeptuagies ſepties*.

Hinc Judaicae fabellae futilitas detegitur de Caino ſene & Tubalcaino adoleſcente a Lamecho occiſis: quam fabulam viris graviſſimis placuiſſe miror. Scio tamen Philoni, Joſepho, Onkeloſo & antiquis ignotam fuiſſe; nec niſi ex ἐπεξηγήσεως hujus ignoratione profectam, ſatis habeo perſuaſum. Atqui Theodoretum iſthaec figura non videtur hîc latuiſſe. *Non duos* (inquit *Interr.* 44. *in Gen.*) *ut quidam*

Digitized by Google

quidam putaverunt, neque ipſum Cain, ut alii fabulati ſunt, ſed unum & hunc juvenem. Virum enim, inquit, occidi in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum, hoc eſt, virum agentem juvenilem aetatem.

Age vero ad ſententiam hujus loci quod attinet: cum interrogatione haec legentibus facile accedo; ac ſuſpicor, illud כי pro הכי *bachi* eſſe poſitum. Fortaſſis magnam Lamecho digamia tunc temporis inſolens conflarat invidiam, ita ut uxores ab ejusdem conſuetudine abhorrerent. Quibus ille, *Numquid*, inquit, *occidi virum* &c. quaſi diceret: numquid ſacer & inteſtabilis ſum? Profecto ſi in Caini fratricidae interfectores Deus poenam ſeptuplo graviorem ſtatuit (ſup. ver. 15.) quanto magis ulciſcetur eos, qui tantum ob digamiam intulerint mihi manus? Ac ſatis ſcio Arabem interpretem & Rabbinos nonnullos haec cum interrogatione legiſſe: Onkeloſum autem negationem addidiſſe, quae tantumdem atque interrogatio valet. Poſtremo illa, *In vulnus meum*, & *In livorem meum*, idem valent, quod *crimen in caput meum recidens*. Πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται, uti dicitur Matth. XXVI. 52. *Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.*

AD GENESIS CAP. V.

AD VERS. 6. 9.

Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos] Mox ver. 9. *Vixit vero Enos nonaginta annis, & genuit Cainan* &c. Si tota haec deductio generis, cum ſequentibus poſtdiluvianis genealogiis comparetur; apertum erit, quo hominibus longior vitae curſus fuit, eo annos παιδογονίας provectiori aetati aſſignari. Nego enim tam longaevos patriarchas quartodecimo aetatis anno pubertatem attigiſſe, aut tam mature, quam vulgo hodie fit, iniviſſe conjugia. Et vero etiam poſteaquam humana aetas finibus eſt anguſtioribus definita, ita ut centeſimum annum aut modice, aut certe non plurimum excederent; hoc tamen diu manſit, ut non niſi inter grandaevos connubia jungerentur: quod ex vetere Patriarcharum inſtituto manaſſe, non eſt incredibile. Hinc Spartiatis (quibuſcum Hebraeis non pauca fuiſſe communia, ſaepe oſtendemus) non licuiſſe uxores ducere, priuſquam aetatis robur attigiſſent, teſtatur Xenophon *de rep. Lacedaem.* Athenienſibus haud diſpar conſuetudo fuit; quibus lege interdictum, ne ante trigeſimum quintum annum connubia contraherent. Quae lex a Solonis inſtituto deſcenderat, partientis humanam vitam in decem annorum hebdomadas, *in harum autem quinta maturitatem ad ſtirpem relinquendam homini ineſſe* dicentis; uti ex Solonis elegiis refert Cenſorinus de die Natali cap. 14. Jam vero Ariſtoteli VII. Polit. 16. ſeptimus ac triceſimus annus ad liberis operam dandam opportuna aetas viſa fuit: at Platoni trigeſimus, ut & Heſiodo in altero *oper. & dier.* ver. 313.

Ὡραῖος δὲ γυναῖκα τεὸν ποτὶ οἶκον ἄγεσθαι,
Μήτε τριηκόντων ἐτέων μάλα πολλ' ἀπολείπων,
Μήτ' ἐπιθεὶς μάλα πολλά· γάμος δέ τοι ὥριος οὗτος.
Maturato opus eſt ducenda in conjuge: ſic ut
Ter decimo haud procul abſiſtas maturior anno,
Nec multum ſuperes: haec opportunior aetas.

Feminae

Feminae nulli dubium quin pubeſcant citius : & tamen priſcis Athenienſium legibus ſextum & vigeſimum annum exſpectare cogebantur, etſi poſtea ex Ariſtotele duodevigeſimum.

AD GEN. V. 24.

Ambulavitque (Henoch) *cum Deo*, *& non apparuit*, *quia tulit eum Deus*] In Hebraeo pro *Non apparuit*, res uno verbo abſolvitur, ואיננו *Veenennu* (*& non ipſe*) quod pulchre LXX expreſſerunt, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, *Et non inveniebatur*. Quî vero inveniri poſſet, quem Deus tuliſſet ? Itaque τὸ *Non inveniebatur*, tantumdem eſt, quod *Non exſtabat*. Ac demum iſtud *Non exſtabat* pulchre Vulgata expreſſit, vertens, *Non apparuit*. Nam quae non amplius exſtant, ſive perſonae, ſive res, eae *non apparere* aut *non comparere* Latinis dicuntur, ac pro amiſſis habentur. Varro de Didymaei oraculi origine, deque Brancho diſſerens : *Hic* (Branchus) *cum in ſylvis Apollinem oſculatus eſſet*, *comprehenſus eſt ab eo*, *& acceptâ corona virgaque*, *vaticinari coepit*, *& ſubito non COMPARVIT*. De Romulo Livius & Florus non idem verbum, ſed aequipollens uſurparunt : at plane idem adhibuit Lampridius in Commodo cap. 2. *Die*, *quo in terris Romulus non apparuit*. Idem cap. 3. *Eosdemque ita*, *ut non apparerent*, *ſubito deportavit*. Frequens locutio praecipue in pacibus componendis. Livius XXXII. 10. *Redderet res*, *quae comparerent* (i. e. exſtarent) *ceterorum* (ſupple *non comparentium*) *aequo arbitrio aeſtimatio fieret*. Eadem apud hunc nuſquam non in pacificationibus, & extra pacis conditiones reperias : veluti XXV. 4. *Quorum* (ornamentorum) *nunc exigua pars comparet*, i. e. exſtat. Idem VI. 1. *Foedera ac leges* . . . *conquiri*, *quae comparerent*, *juſſerunt*. Ac millies alibi.

AD GENESIS CAP. VI.

AD VERS. VI. 2.

Videntes filii Dei filias hominum] *Filii Dei* imitatione dicuntur, ut apud Homerum fortiſſimus quiſque non aliter quam ὄζος Ἄρηος *proles Martis* nuncupatur. Similiter poëtarum antiquiſſimi heroas quos extollebant, διογενεῖς aut διογνήτους h. e. *Jove ſatos* appellabant, ut qui virtutibus Jove quem imitarentur, ſeſe dignos praeſtarent. At ea epitheta, ubi poſtea vulgus craſſius accepit, millenos tot filios Jovi tribuit. Nec quemquam heroum apud poëtas inveneris, quin ſe Jovis filium aut nepotem jactitet. Tritum eſt quod Homerus reges Jovis filios vocet.

AD GEN. VI. 3.

Eruntque dies illius centum viginti annorum] Communis Chriſtianorum interpretatio numerum CXX. annorum ad terminum a Deo ad reſipiſcendum hominibus praeſtitutum ad exitium effugiendum refert. At Joſephus de hominum aetate in ſcelerum poenam ad CXX. annos contractâ interpretatur : id quod etiam in Philone & Lactantio reperitur. Nam de profanis ſcriptoribus minus mirandum. Ac notus in primis Trebellii Pollionis locus eſt in Claudio cap. 2. quem tametſi ſatis celebrem, proderit huc tamen afferre, ut ſimul illuſtrior fiat. *Doctiſſimi* inquit, *mathematicorum centum & viginti annos homini ad vivendum datos judicant*, *neque amplius cuiquam jactitant eſſe conceſſum*, *etiam illud addentes* ;

Moſen

Digitized by Google

Moſen ſolum Dei (*ut Judaeorum libri loquuntur*) *familiarem*, *CXXV. annos vixiſſe* (non tamen CXXV. ſed tantum CXX. Moſes implevit) *qui cum quereretur quod juvenis interiret*, *reſponſum ei ab INCERTO ferunt numine*, *neminem plus eſſe victurum*. Ecquem vero *Numen incertum* vocet, quave de cauſa, dixi ad Act. XVII. 23. ad inſcriptionem illam Areopagiticam IGNOTO DEO. Judaeorum Deus (hoc eſt *Jehovah* ſive potius *Javoh*) *Ignotus Deus* a Graecis apud Apoſtolum dicebatur, ac (quod eodem recidit) Pollioni *Incertus Deus*. Cur ita nuncuparetur, ad Act. XVII. 23. explicabitur.

AD GEN. VI. 4.

Gigantes autem erant ſuper terram] Dabitur in fine Geneſeos integra de Gigantibus Diſſertatio.

AD GEN. VI. 14.

Fac tibi arcam de lignis levigatis: manſiunculas in arca facies, *& bitumine linies intrinſecus & extrinſecus*.

Fac tibi Arcam] De *Arcae* h. e. navigii Noachici nomine videbis in fine harum ad Geneſim obſervationum juſtam Diſſertationem.

Fac tibi Arcam de lignis levigatis] Hebr. eſt, *De lignis* (גפר) *gopher*: quae vox quia hoc capite tantum, ac ſemel occurrit, neſcias utrum ad ligni genus, an ad artificium elaborandae materiae referas. Prius utrique Chaldaeo Paraphraſtae, pluribus Rabbinis, aliiſque qui *ex lignis cedrinis* conſtruxere arcam, placuit; nec non Syro, qui ex flexilibus, puta viminibus, aut id genus aliis nexuerunt; Graeco cuidam interpreti, qui ἐκ ξύλων ἀσήπτων, *ex lignis incorruptibilibus* maluit: ut alios omittam. Inter quos non praetereundus Hieronymus, qui in Quaeſt. Hebr. pro *lignis Gopher*, *ligna bituminata* reddidit, quorum ambitu haud dubie reſinoſas complectitur arbores. Atque ex eorum claſſe qui genus materiae ſpectarunt, nemo probabiliora Bocharto attulit, qui ex *cupreſſu* Noae navigium fabricavit. Hac ſententiâ veriſimilior nulla: quam & primores tres *Cupreſſi* litterae conſonantes oſtendunt, quae totum *Gopher* Hebraicum nomen abſolvunt. Adde cetera, quibus vir ſagaciſſimus confirmat ſententiam ſuam pag. 23. & 245. Idem τὸ *Gopher* proprium τοῦ κυπαρισσῶνος (*cupreſſeti*) nomen, quem in Aſſyria Strabo deſcripſit fuiſſe, ſuſpicatur. Sed conjectura hac omiſſâ, materies certe nulla antiquitus ad naves conſtruendas cupreſſui antelata fuit.

At quia antiquorum alii genus artificii a Deo praeſcripti ſpectarunt; ea quoque ſententia declaranda eſt. Celebratur prae ceteris LXXviralis interpretatio, ἐκ ξύλων τετραγώνων: quod vetus Vulgata (apud Ambroſium in Hexaëm. pluries, itemque apud Auguſtinum) fideliter verterat, *Ex lignis quadratis*. At Vulgata hodierna *Ex lignis levigatis* reddidit: id quod etiam ad ſtructurae accurationem refertur. Tametſi iſtud *Levigatis* videtur ſane difficile ſive ad Hebraicum *Gopher*, ſive ad Seniorum τὸ τετραγώνων reduci poſſe.

Et tamen non arbitror dubitandum quin τὸ *Levigatis* cum LXX faciat. Nam τετράγωνα Seniorum ita ϛρογγύλοις (h. e. *rotundis*, qualia tunc primum exciduntur ex arbore) opponuntur, ut aliunde etiam ἀπελεκήτοις (h. e. inconcinniter quadratis, utpote aſcia aliiſq. ad levigandum aptis non adhibitis) adverſentur. De vocibus hiſce vide quae olim in *de Dedicatione ſub Aſcia* pag. 164. col. 2. ex Theophraſto adnotavi. Omnino ligna rotunda ex Arcae fabrica arcentur, ut quae non apte committi queant, ne rimas relinquant. Oportuit igitur ante ita parari,

ut

ut ex rotundis τετράγωνα (*quadrata*) fierent. At ne hoc quidem ad arcendam per minores rimulas aquam ſatis, niſi plane exaſciarentur. Hinc Latino Interpreti placuit iſtud *De lignis levigatis*.

Manſiunculas in arca facies] Hebr. קנים *Kinnim* i. e. *nidos* : id quod & LXX & Symmachus ſunt ἀυτολεξεὶ ſecuti. Νοσσίας ποιήσεις τὴν κιβωτόν : aliter κατὰ τὴν κιβωτόν. Sane ne ab Latina quidem proprietate nidi iſtiuſmodi abhorrent. Martialis lib. VII. de libellis ſuis bibliothecae inferendis loquens, pro manſiunculis ſeu loculamentis librorum *Nidos* uſurpavit:

Hos nido licet inſeras vel imo,
Septem quos tibi miſimus libellos.

Poſtremo in Apameae nummo Severi Imp. & ſignificantius in altero Philippi Arca cum columbis, & tota Deucalionei diluvii hiſtoria ita exprimitur, ut Noachicum non alio modo inſculpi potuerit. Adeat, qui volet, praeclaram Falconerii de poſteriore nummo diſſertationem. Ac facile de his nummis aliquid in Diſſert. de Arca in fine Geneſis reperies illitum.

AD GEN. VI. 16.

Deorſum, (interpunctio hîc adhibenda; male in editis omiſſa) *cenacula*, & *triſtega facies in ea*] *Cenacula* Varro a *cenando* deducit, facili quidem lapſu (quis enim aliter unquam putavit?) ſed tamen nuſquam apud ullum idoneum ſcriptorem legi, in cenaculo fuiſſe cenatum, ſed in triclinio. Nec omnino aliud ſunt *cenacula*, quam ſuperior domus pars, ad quam *ſcalis aſcenditur*, uti definit Feſtus: *Caenacula*, inquit, *dicuntur, ad quae ſcalis aſcenditur*: cui notioni & *ſcalis* favet Mart. *Et ſcalis habito tribus, ſed altis*. Fortaſſe autem Feſtus putavit *cenacula* dicta, quaſi *ſcenſacula*. Nam & idem in *Scenſas* dixit, *Scenſas* Sabinis *Cenas* fuiſſe dictas. Ennius *Cenacula maxima caeli* uſurpavit. Ac videndum an non *cenacula* (quaſi *ſcenacula*) ſint ab Hebr. שנים *ſcenim*, quod hîc voci *cenacula* reſpondet. De hoc vocabulo vide Briſſon. in *De Verb. ſign.* & mihi dicta ad Act. XXVIII. itemque in etymologiis ex Oriente petitis, quae nunc in hoc Regio typographeo cum Voſſianis eduntur.

AD GENESIS CAP. VII.

AD VERS. 4.

Adhuc enim & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

Quadraginta diebus & quadraginta noctibus] h. e. quadraginta ἡμερονυκτίοις (uti vocat Baſilius) aut, ſicuti ceteri appellant, νυχθημέροις i. e. *noctiduis*. Sic ſaepe apud veteres dies & nox jungitur, ut intelligatur XXIV. horarum curriculum, quod non *Die*, ſed *Noctiduo* contineri credebant. Nec aliter Homerus plurimis locis, ut hymno in Apoll. ver. 91.

Λητὼ δ' ἐννῆμάρ τε καὶ ἐννέα νύκτας ἀέλπτοις
Ὠδίνεσσι πέπαρτο.
Jamque dies Latona novem noctesque novenas
Fixa erat a partûs cruciatibus inſperatis.

Ibidem ver. 349.

Α'λλ' ὅτε δὴ νύκτες τε, καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο.

Item Solonis lex apud Demoſthenem in Timocratea de fure talis occurrit: Δεδέσθαι δ' ἐν τῇ ποδοκάκῃ τὸν πόδα πένθ' ἡμέρας καὶ νύκτας ἴσας. *In nervo quoque habetor dies ipſos quinque totidemque noctes*. Ephorus Iſocratis auditor & hiſtoricus nobilis apud Strabonem lib. VII. pag. 266. Siciliam *diebus & noctibus quinque circumnavigari* (τόν γε περίπλουν ἡμερῶν καὶ νυκτῶν ε') docuit. Pluribus ejusdem modi exemplis abſtineo. Ex his vides primariam ac naturalem *Diei* notionem non aliud, quam ſolis ſupra finitorem praeſentiam, deſignare natam; ſicuti & *Nox* abſentiam tantum notat. Hanc vero nominum proprietatem ex Divina inſtitutione manaſſe, jam ſupra innuimus ad illa Gen. I. 4. 5. *Et diviſit lucem a tenebris, Appellavitque lucem Diem, & tenebras Noctem*. Ex hac, inquam, Divina inſtitutione fluxit, ut antiqui quoties horarum XXIV. ſpatia numerare vellent, tot dies totque noctes ſeorſum recenſerent. Ac videri poterat, ſaltem *bidui*, *tridui*, *quatridui* voces fuiſſe totidem noctidua complexas. Tamen his quoq. vocibus vix aliter quam cum ſedula noctium adjectione utebantur. Livius XXII. 2. *Vigiliae conficiebant per quatriduum jam & tres noctes toleratae*. Ammianus Marcellinus XIV. 2. dixit: *Circumſtetere igitur hoc munimentum per triduum & trinoctium*. Feſtus Avienus in deſcriptione orae maritimae: *Curſus carinae biduo & binoctio eſt*. Itaque tametſi videbantur *bidui* aut *tridui* ambitu abuſive ſaltem noctes etiam contineri; tamen quibus exacte & priſco more res eloqui cordi fuit, dies noctesque ſeorſum ſupputabant, quia a Moſis uſque temporibus nationes didicerant, diem naturalem ab exortu ad occaſum ſideris eſſe putandum, ſicuti noctem ex ejusd. planetae abſentiâ aeſtimari.

Nunc autem quid aſtronomis, quid chronologis noſtrae aetatis fiet, qui rem totam, longe a praeſcripto naturae, longe ab inſtitutione Divina, a Moſe, & ab omni antiquitate aberrantes, prorſus aliter ſtabiliunt? Sic enim ſanciunt: *diem naturalem* eum eſſe qui ex XXIV. horis partim diurnis partim nocturnis conficitur: tempus vero diurnum *Diem* quidem vocari ſinunt, ſed tamen cum additamento *Artificialem*. Atqui haec eorum ſanctio tum novitate, tum pugnâ cum antiquis laborat. Novitas in eo eſt, quod diei *Artificialis* novum intruſere vocabulum antiquis prorſus ignotum: qui quidem diem alium *naturalem*, alium vero *civilem* (de quibus mox Cenſorinum docentem producam) norunt; *Artificialis* vero vocabulum ignorarunt. Deinde & aperte cum antiquis pugnant, quibus a Moſe uſque, divinorum inſtitutorum interprete, numquam alius dies naturalis fuit, quam cujus intervalla ſolare ſidus ſupra finitorem gradiens dimetitur.

Verum quid moror ultra? Cenſorinus lib. *de die natali* litem finiet. Is cap. XXIII. jure ſuo, tamquam ſcil. hujus diſciplinae magiſter, ita pronuntiat: *NATVRALIS DIES eſt, tempus ab oriente ſole ad ſolis occaſum: cujus contrarium tempus eſt nox, ab occaſu ſolis uſque ad exortum. CIVILIS autem DIES vocatur tempus, quod fit uno caeli circumactu, quo DIES VERVS & NOX continetur. Vt cum dicimus aliquem dies triginta tantum vixiſſe: relinquitur enim etiam noctes intelligere*. Similia his Geminus Rhodius, Ciceronis aequalis pag. 79. docet. Iſidorus V. Orig. 30. *DIES eſt praeſentia Solis, ſive Sol ſuper terras: ſicut NOX, Sol ſub terris*. Ac quantum video, in id veteribus convenit, *Diem* naturalem eum eſſe dicendum, qui ab ortu ſolis incipiens, ejusdem occaſu terminatur, *civilem* vero eum, qui integra ſideris converſione perficitur: niſi quod in civilis diei initio magna inter populos diſcordia fuit, dum alii cum univerſo Orbe Romano

a media

Digitized by Google

a media nocte (quod & Eccleſia Catholica in ſuis ritibus adhuc ſervat) alii ab occaſu , alii ab exortu ſolis , nonnulli a meridie diem civilem (ex horis ſcil. XXIV. conſtantem) inchoarent.

Longius quam voluiſſem, in his ediſſerendis me provectum ſentio, aegre ferentem, chronologos aetatis noſtrae, relicta diei notione Moſaica mundo coaevâ, totaque ſimul antiquitate, alia omnia in definiendo diei ſignificatu ſecutos. Interea nolo quemquam Joſephi Scaligeri (viri magni, & magnorum in temporum doctrinam meritorum). auctoritate abuti : qui operis ejus, quod *De Emend. temporum* inſcripſit, pag. 6. ita de diebus incipit. Τὸ νυχθήμερον . . . *quatenus XXIV. horarum eſt, naturale eſt : quatenus aliud atque aliud initium habet, dicitur civile*. Nec enim vir ſummus ad vulgarem opinionem deflectit, quaſi horae XXIV. diem naturalem conſtituant; ſed longe eſt aliud, quod circa νυχθήμερον ipſe inculcat. Vult enim τῶν νυχθημέρων initia (quae aliis nationibus alia fuiſſe dixi) ab ſuarum civitatum voluntate pendere, eâque de cauſa illud dierum genus, ab ſua quodque civitate diverſimode inchoatum, vocari poſſe civile.

AD GEN. VII. 11.

Menſe ſecundo &c.] Hebraeorum morem in menſibus appellandis videntur imitati Graeci. Certe Cic. cum VI. ad Att. 5. quaedam ἀπόρρητα Graece ſcriberet, ita tempus ſcriptae epiſtolae conſignavit : τῶ δευτέρω μηνὸς τῇ νουμηνίᾳ quod pro *Kalendis Februariis* poſuit.

AD GEN. VII. 18. 19.

Et omnia repleverunt (aquae) *in ſuperficie terrae . . . Et aquae praevaluerunt nimis ſuper terram : opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo caelo.*

Jampridem ad adſtruendum univerſale diluvium viri docti hoc retulerunt, quod in mediterraneis regionibus, imo & in montibus ipſis, non raro piſces, & conchylia lapideſcentia effodiuntur : id vero tum certe evenit, cum, ut poëta canit, *Piſcium & ſumma genus haeſit ulmo*. Vidit hoc Philo, qui in argumentum diluvii univerſalis affert conchas, quae in montium jugis effoderentur, lib. de mundi immortalitate. Atque id Φαινόμενον ne profanis quidem latuit, quamvis aliis id cauſſis aſſignaverint. Strabo lib. I. pag. 49. ex Eratoſthene quaeſtionem injicit, quid cauſae ſit, cur in mediterraneis locis, a mari ad duo vel tria ſtadiorum millia remotis, inveniatur paſſim concharum, oſtreorumque & cheramydum multitudo. Hanc autem aſſignat ex eodem cauſam (etſi, ut ait Philoſophus, παρὰ τὸ μὴ αἴτιον, ὡς αἴτιον, h. e. *non cauſam ut cauſam*) verum ut coepi referre, hoc fuiſſe in cauſa cenſet, quod identidem ſuas ſedes mare mutaverit. In eamdemque cauſam confert hoc quoque, quod circa Ammonis templum non oſtrea tantum, ſed & ſalis multum, ut & alibi, inveniatur, itemque fractarum navium fruſta oſtendantur, a mari uſque, uti putat, per internos telluris meatus in ſubitum aliquem hiatum eructatarum. Tum & Xanthi Lydi narrationem ſubjicit ſcribentis, vidiſſe ſe longiſſime a mari lapides conchyliorum formam referentes, aut pectinum aut cheramydum effigies : itaque ſibi eſſe perſuaſum, fuiſſe tempus, cum campi iſti mare fuerint. Sed & mox pag. 50. ex Stratone affert, detegi conſueviſſe in Aegypto foſſas arenoſas refertas conchyliis. Herodotus quoque lib. II. cap. 12. vidiſſe ſe ait in Aegypto κογχύλια in montibus, & efflorescentem in ſuperficie terrae ſalſuginem. Videatur & Plutarchus de Iſide & Oſiride. Horum Φαινομένων cauſam veteres non aſſecuti, eam in mare ſuas ex

 intervallo

intervallo mutans ſedes contulerunt . At Philo, uti ſupra innuebam, ex Moſaica diluvii hiſtoria veram horum *φαινομένων* cauſam aſſecutus, merito non uno loco diluvium Noachicum, *οἰκουμενικὸν* fuiſſe docuit. Et quidem ne profani quidem Deucalioneum diluvium fuiſſe *οἰκουμενικὸν* (*orbi univerſo commune*), denegarunt: id quod & ex antiquorum locis, & ex nummis iis, in quibus Deucalionea alluvio cum iisdem prorſus omnibus Moſaicis adjunctis exhibetur, planiſſimum fit. Hos nummos ab Oct. Falconerio illuſtratos eruditi habent: quos fruſtra ab Harduino (in Nummis populorum pag. 25.) aliorſum traductos, lector, ſi conferre voluerit, facile de tota re judicabit. Vide ſupr. Ad Gen. VI. 14. in fine. Ceterum Deucalionem ab exteris memoratum, prorſus eumdem fuiſſe ac Noachum Moſaicum, Philo diſerte ſcripſit lib. *de praemiis & poenis* (pag. apud me 913. E) ubi de viro illo juſto, qui damnati generis finis, & initium innoxii fuit, differens, ita ſcriptum reliquit: Τοῦτον Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπονομάζουσιν, ἐφ᾽ οὗ τὸν μέγαν κατακλυσμὸν συνέβη γενέσθαι. *Hunc Graeci Deucalionem, Chaldaei Noë nuncupant, cujus aetate magnum illud diluvium accidit.* *Magnum* vocat, uti diſtinguat ab aliis uni alterive regioni peculiaribus, quae narrat hiſtoria.

Et aquae praevaluerunt nimis ſuper terram] Eadem locutio reperitur in vetere de diluvio Deucalioneo narratione, quae reperitur apud Lucianum lib. *de Dea Syria*: Καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἔπλευσαν, ἐς τε τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε. *Unaque in arca navigarunt omnes, quamdiu aqua praevaluit*. Nam idem verbum ἐπικρατέω apud LXX. hîc. Τὸ δὲ ὕδωρ ἐπεκράτει (*praevalebat*) σφόδρα ἐπὶ τῆς γῆς.

AD GENESIS CAP. VIII.

AD VERS. XXI.

Odoratuſque eſt Deus in odorem ſuavitatis. Et ait: Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines: ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.

Et ait: Nequaquam &c.] Pro eo quod Vulgata habet *Et ait*, fons Hebraeus ſic refert, אמר אל לבו *Amar el libbo*, quod vulgo vertunt, *dixit in corde ſuo*, vel *ad cor ſuum*. Atqui libentius verterim, *ad cor ejus*, Noachi ſcilicet, de quo proxime antea. Ex pluribus Scripturae locis ſcitum eſt, quid ſit Hebraice, *Loqui ad cor alicujus*, vel *alicui*. Haud dubie *ſolari* id ſignificat. Et certe quae ſequuntur, ad ſolandum valent. Sic enim ſequitur.

Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines] Plena ſuavitate pollicitatio: ſed promiſſi ratio minime cum promiſſo cohaeret. Sic enim ſubdit.

Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua] Atqui ſupra VI. 5. pari ratione motus, & eisdem prope verbis diluvium minitatur. Vide locum. Quamquam ſi modo ad Vulgatae verba attendimus, aliquid utrimque intereſt. Hîc enim vulnera noxae originalis depinguntur, in malum uſque impellentis: illic autem non propenſio in malum, ſed profeſſum malitiae ſtudium accuſatur, quod diluvio puniri Deo viſum. Fateor tamen, in Hebraeo non ita perſpicue diſcrimen iſtud ſentiri. Textus ipſe Hebraicus, aut Pagnini verſio conſulatur. Interim etiamſi utrobique ſit eadem αἰτιολογία,

planeque

planeque ratio eadem afferatur ; tamen cap. VI. ſermone directo ratio illa exponitur, hîc obliquo. Cur illic directe cauſam proponi dixerim, nemo ex loci illius cap. VI. lectione non animadvertit. Nam cap. VI. videns Deus homines caeco impetu ad ſcelus ruere, *Delebo*, inquit, *hominem :* certe quia tunc ſeveris exemplis homines retrahendi videbantur a malo. At poſtea mitibus clementiae fomentis utendum ratus, ita ſecum reputat : *Nequaquam ultra maledicam terrae propter homines* (illa nim. ratione ductus, propter quam olim Gen. VI. 5. tellurem conſepelivi diluvio, nempe quia) *ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua*. Haec quidem olim (cap. VI.) cauſa placuit, cur hominem delerem : eadem nunc non placet cur deleam, quia nunc parci neceſſe arbitror. In pluribus Scripturae locis ἐν αἰτιολογίαις (*in cauſis exponendis*) quaedam ſuppleri neceſſe eſt : quae facile ſermo Orientalis ex populari loquendi conſuetudine pro re ac loco ſubaudiebat. Id genus locutiones αἰτιολογίας τῆ σιωπωμένης vocare licet : ubi ſcil. quod in cauſa eſt, in totum aut ex parte ſupprimitur. Arduum de genere hoc locum illuſtravimus ad Joh. XX. 17. *Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum*.

AD GENESIS CAP. IX.

AD VERS. II.

Et terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terrae, & ſuper omnes volucres caeli cum univerſis, quae moventur ſuper terram. Omnes piſces maris manui veſtrae traditi ſunt.

Et terror veſter . . ſit ſuper cuncta animalia] Supra Gen. I. 30. homini innocenti imperium ſuper omnia animantia dederat, ita ut ferae quaelibet, quas nunc noxias, indociles, indomitaſque experimur, tunc hominem veluti legitimum dominum agnoſcerent, ac dicto parerent. At ubi homo a Factore ſuo rebellavit ; ſtatim illud in animalia imperium magna ex parte, etſi non penitus, amiſit. Adhuc enim neſcio quis, veluti ſervilis timor feris quamlibet trucibus inſidet, ita ut viſo homine expalleſcant, & occurſum devitent. Hic eſt *terror ac tremor* loci hujus, quem Deus animantibus incuſſit, iiſque adhuc in ſignum humani dominii ineſſe juſſit. Atque homo interim in ea imperium adhuc exercet, dum ex animantibus dociles addicit ſervituti ſuae, indociles cicurat, & condocefactas freno & habenis ſibi ſervire cogit, noxias autem & indomabiles mactat dominico jure ſuo.

Omnes piſces maris manui veſtrae traditi ſunt] Cui in piſces imperium, eidem & in mare univerſum, cujus incolae piſces, dominium traditur. Simul etiam ἰχθυοφαγία (a qua futurum erat ut quaedam nationes aut ſectae hominum prava religione abſtinerent) in anteceſſum verbis diſertis permittitur. Nam quia nullus piſcium uſus, praeterquam in alimentum futurus erat ; dum eos humanis manibus tradit, in cibum certe porrigit, ſimulque ad ἁλιευτικὴν artem (tunc homini oſtenſam) digitum intendit.

AD

Digitized by Google

AD GEN. IX. 3.

Et omne quod movetur & vivit , erit vobis in cibum : quaſi olera virentia tradidi vobis omnia .

Et omne quod movetur & vivit , erit vobis in cibum] Illud *Et vivit* non fruſtra additum puto , ſed dedita opera ut morticina (1) excipiantur : de quo mox ad ver. ſequentem dicemus . At prius illud Vulgatae (*Quod movetur*) in LXX eſt Ἑρπετὸν , quod Latinis *Reptile* verti ſolet . Sic enim horum verborum uſus ſeſe habet: tam רמש quam שרץ (quae ſunt plane ſynonyma) a LXX per ἕρπω (*repo*) aut , ſi ſit nomen , per ἑρπετὸν (*reptile*) reddi ſolent . At Vulgatus tum hîc , tum non raro alibi , verbo laxiſſimae notionis MOVEOR utitur . Quod non improbo , maxime cum & Seniores ſic quoque non raro per verbum κινοῦμαι interpretati fuerint . Re enim vera cum tam Hebraicae ſupradictae voces , quam iis reſpondentes Graecae (puta ἕρπω & ἑρπετὸν) aliquot in locis tam de quadrupedibus , quam de ſerpentibus , adhaec autem etiam de piſcibus deque alitibus in commune uſurpentur ; quis dubitaverit , quin vocibus illis inſit vis βαδιστικὴ quaedam , quae ad omnium ex aequo animalium proceſſus pertineat , quocumque ii modo peragantur , ſive cruribus alternantibus , ſive pertracto corpore , ſive poſtremo alarum pinnarumve remigio , ſimulque caudae gubernaculo ad liquida intervalla findenda . Quocirca non immerito laxiſſimo illo *Movendi* verbo hîc & alibi pluries Vulgatus utitur , cum nulla ſit vox late patentior , & ad omnes progreſſionis modos pertinens . Pari ratione nec LXXviralem per ἕρπω & ἑρπετὸν tranſlationem improbare debemus , cum haec quoque omnem incedendi rationem complectatur . Ac ne Latinum quidem *Repo* minus late apud antiquiores , ni fallor , patuit . Quocirca ſiquid adhuc in his omnibus peccatum fuit , ea culpa non in veteribus interpretibus , ſed magis in lexicographis , qui vocum harum reſtrinxere notiones , reſidet . Harum , quas tetigi , tricarum grammaticalium documenta , ne hîc moroſior videar , in cupidorum uſum (2) inferne afferentur .

(1) Quia nim. verſu ſeq. caro cum ſanguine guſtari vetatur, ideo non tantum ſuffocatorum , ſed & morticinorum uſu Noachidis hic interdicitur .

(2) *De duabus verborum bigis ad intellectum ſacrae paginae neceſſariis .*

Haud mens mihi fuit minutas vocum obſervationes iſtas conſulto excudere , uti lectorem torquerem . Tenuiora iſthaec rimari neceſſe fuit , uti de ſenſu Scripturae occurrentis decernerem . Id ubi ſemel factum , nolui uti deperirent , committere : verum in hunc ea locum conjeci , ſi quando eorum ſive mihi ſive aliis uſus eſſet . Interim haec nunc qui volent , tranſilient .

§. I. *De* שרץ *&* רמש .

Ajo Hebraica רמש & שרץ , Graeca ἕρπω & ἑρπετὸν , notione animalibus univerſis communi fuiſſe praedita , quaſi ſint verba βαδιστικὰ , nec aliud notent quam τὸ κινούμενον , quo LXX interdum utuntur , & *Quod movetur* , quod hîc & ſaepe alibi Vulgatus poſuit . Ac primum vox רמש *Remes* etſi in lexicis *Reptile* vertitur , ſicuti & verbum *Ramas* ita exponitur , ut ſit *repere* aut *ſerpere* ; tamen in Scripturis latiſſime patet . Saepe quidem a volatilibus ſejungitur (ut Gen. VI. 7. VII. 23.) ita ut de terreſtribus intelligatur . Alibi quia *Remes* a piſcibus ſeparatur ; pari de cauſa terreſtres omnes animantes notat . Sic I. Reg. IV. 33. *Super* (הרמש *haremes*) *reptili* (terreſtribus ſcil. animalibus) *& ſuper piſcibus* .

Alibi tamen verbum רמש *Ramas* de repentibus in aqua uſurpatur : quibus locis Vulgatus τὸ *Moveri* uſurpat . Pſ. 69. 35. *Mare & omne* (רמש) *repens in eis* : piſces utique intelligens . Sic etiam Lev. XI. 46. Beſtiae (*romeſeth*) *repentis* in aquis meminit . His , inquam , locis & alibi *Moveri* Vulgatus uſurpat ; non ſecus atque hoc Geneſeos loco , qui prae manibus eſt .

Venio ad שרץ (h.e. verbum *sharats* , & *sherets* nomen) quod nihilo minus late patente

rentur. Recte igitur hîc & verſu ſuperiore & alibi *Movendi* verbo Latinus noſter utitur. Ad ſententiam vero loci quod attinet, tum terreſtria animantia, tum aquatilia, tum poſtremo & volatilia (de avibus autem verſu ſuperiore diſerte dixerat) hi omnes, inquam, trium elementorum cives, homini in dominatum & in alimentum hîc permittuntur.

Quaſi

te ſignificatu pollet. Vniverſe de omnium terreſtrium progreſſione uſurpatur Gen. VII. 21. Lev. XI. 29. 41. 42. & alibi pluries. De volucribus exempla habes Lev. XI. 23. Deut. XIV. 19. De aquatilibus Geneſ. I. 20. 21. Ex. VIII. 3. Lev. XI. 10. Atque haec de Hebraicis ſacri Codicis thematibus, quae etſi ſerpendi notione donentur in lexicis, eorum tamen vis ad quoslibet progreſſus pertinet.

§. II. *De laxiſſimo ſignificatu tam τοῦ Ἕρπω quam τῶν Ἑρπετῶν.*

Venio jam ad Ἕρπω & ἑρπετὸν, quae plerumque LXX ſenes in hiſce Hebraeis reddendis uſurpant. Atque haec quidem Graeci poſteriores ita accipiunt, quaſi ſint iis animalibus peculiaria, quae ſupra pectus progrediuntur: at apud antiquos generali ſeſe provehendi ſignificatu pollebant. Ab Homeri loco illo ordiar, qui exſtat Il. XVII. 447. qui videtur quaſi ex compacto in id ſcriptus, uti Geneſeos locum qui nunc prae manibus eſt, imitaretur; utrumque enim Moſaicum verbum per ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει expreſſit feliciter.

Οὐ μὲν γάρ τί πού ἐστιν ὀϊζυρώτερον ἀνδρὸς,
Πάντων ὅσσα τε γαῖαν ἐπιπνείει τε καὶ ἕρπει.
Nil Homine eſt inter viventia plus miſerandum,
In terris quodcumque MOVETVR, CARPIT ET AVRAS.

Qui locus etiam Od. Σ occurrit, variante tantum priore verſu in hunc modum: Οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνθρώποιο, Πάντων ὅσσα &c.

Nil Homine omniparens tellus infirmius edit,
Omnibus ex aptis ſpirare & repere greſſu.

Quare nihil fuit cauſſae cur Euſtathius illud Odyſſ. P. de Vlyſſe Ἥμενος, ἢ ἕρπων (*ſedens ſive ambulans*) exponeret κρύφα καὶ οὐ κατ' ὀρθὸν βαδίζων. Nam id tum apud eumdem poetam, uti vidimus, ſimpliciter pro βαδίζω ponitur, tum apud Theocritum Idyl. I. Ἕρπε ποτ' Ἴδαν, Ἕρπε ποτ' Ἀγχίσαν. *Vadito ad Idam: Vadito ad Anchiſen.* Itemque initio Idyll. VII. εἰς τὸν Ἅλεντα Εἵρπομες ἐκ πόλιος. *In Alenta ibamus ab urbe.* Vide ibi ſcholia. Atq. id frequens Theocrito eſſe pro more Syracuſiorum & Tarentinorum, teſtatur Joan. Juvenis in Lexico Tarentino. Conferatur & Aemil. Portus in Lex. Dor. Nec minus Atticis id uſui fuiſſe, colligo ex Euripidis in Iphig. ſenario, quem affert Etymologus in Ζῶε:

Ἀλλ' ἕρπε καὶ ζῆ, καὶ δόμους οἴκει πατρός.
Sed vade, vive, & incolito patris domum.

Forſitan dixeris, poëtis quidem ita loqui pro permiſſae ſibi jure licentiae licuiſſe, non item proſae ſcriptoribus caſtioribus. Atqui ubinam, rogo, ἰδιόλεκτα uſurpare majori curae fuit, quam in marmoribus antiquiſſimis? Nunc vero ἰδιωτικῶς apud Cretenſes Ἕρπω pro *Vado* fuiſſe uſurpatum, fidem facere poſſit vetuſtiſſimum inter Hierapytnenſes & Prianſios foedus (apud Prideaux in Marm. Oxon. pag. 116.) inſolenti Doriſmo (qualis apud vulgus ejus inſulae uſurpabatur) ſcatens. In eo foedere quinquies Ἕρπω pro βαδίζω repeti, ut ΕΡΠΕΤΩ ΕΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ, *In curiam intrandi jus habeto.* Ibidem, ΚΑΤΑ ΤΟΣ ΑΝΔΡΑΣ ΤΟΣ ΕΡΠΟΝΤΑΣ, *Pro numero ad bellum exeuntium.* Mitto cetera.

Nec alia ratio eſſe debet vocis derivativae Ἑρπετὸν, quod *Reptile* verti ſolet. At quia ea generalis vox eſt, recte hîc & pluries in Vulgata vertitur, *Quod movetur*, τὸ κινούμενον. Nulla enim apud JCtos vox generalior ſimulque tritior eſt quam illa *Se moventium*. Athenaeus lib. I. cap. 22. ineunte, canem Lacaenam vocat ἑρπετόν. Ad illud Homeri Od. Δ. ver. 417. (ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν Ἑρπετὰ γίγνονται, *Per terram quaecumque ſuperne animalia ſerpunt*) Scholiaſtes ita notat: Ἑρπετὰ κυρίως μὲν οἱ ὄφεις· καταχρηστικῶς δὲ νῦν πάντα θηρία. Ait ſcil. ἑρπετὰ *proprie ſerpentes eſſe: nunc vero abuſive beſtias omnes intelligi.* Atqui peccat in illo νῦν (*nunc*) cum haec latior acceptio ſit antiquiſſima, ut oſtendi.

Verum Heſychius litem finiet: quem ſi principio conſuluiſſem, commentario ſuperiore abſtinere potuiſſem. Apud hunc ita legitur: Ἕρπε· βάδιζε. Nec aliud addit, ut ſatis intelligas *progrediendi* notionem complecti totam verbi vim. Adhaec idem Ἕρπει· βαδίζει· item τῇ κοιλίᾳ περιπατεῖ. Superiori ſignificatui addit alium *ſupra ventrem ambulandi*: Ab ἕρπω factum ἑρπύζω, de quo idem Heſychius: Ἑρπύζει· βαδίζει, ἢ πορεύεται. Itemque Ἑρπύσῃ· βαδίσῃ. At in Ἑρπετὰ paullo longior eſt. Ita incipit: Ἑρπετὰ· τὰ ἄποδα: deinde addit, ſic videri dicta, παρὰ τὸ εἰς τὴν ἔραν πεπτωκέναι, *quod humi proſtrata ſint*: poſtremo & illud adjungit: καταχρηστικῶς δὲ καὶ τὰ λοιπὰ τῶν ἀλόγων ζώων, καὶ ἄνθρωποι: *per abuſionem vero & cetera animalia ratione carentia, ipſique homines*

Digitized by Google

Quaſi olera virentia tradidi vobis omnia] Miror quid viris eruditis nonnullis venerit in mentem dubitare, utrum κρεωφαγία re vera vetita fuerit ante diluvium. Gen. I. 29. olerum, inquiunt, pomorumq. eſus permittitur: at animantium non vetatur. Eſto. Sed quis ignorat optimam legis interpretem eſſe legis ejuſdem obſervationem? Ergo ſi evicero, ante diluvium piis (nam impios & exleges nihil moror) religionem injectam quin carnes guſtarent; ſimul legem carnes interdicentem illo Gen. I. 29. loco contineri conſtabit. Atqui hic locus, qui prae manibus eſt, aperte clamat, olim a piis carnes non deguſtatas. Quid ita? quia nunc primum Deus σαρκοφαγίαν indulget mortalibus. Quaecumque, inquit, moventur & vivunt, *quaſi olera virentia, trado vobis omnia*. Quid apertius? Olim quidem (quamdiu terrae vis ad producendum fecundior, & homo validior ac robuſtior) olerum, leguminum, fructuumque uſu contentos vos eſſe volui. Age poſthac (cum ſcil. tellus ex diluvio diluta, & humanae ſimul vires elanguerunt) & animalia deguſtetis licebit: quae jam nunc vobis in eſcam trado *quaſi olera virentia*, h. e. in eum modum, quo olim virentia tradideram. Niſi iſta ſit ſententia verborum; quorſum illa comparatio, *Quaſi olera virentia*, injecta fuiſſet?

Scio Bochartum & alios tunicas pelliceas quibus Deus primos parentes induit (quod & exemplo fuit, uti poſtea ea veſtis in mores induceretur) in argumentum κρεαφαγίας antediluvianae trahere. At veteres Graeci Patres, quidvis (3) ſibi admittendum

mines ſignificantur. Si quaeras, cum haec latiſſima ἑρπετῶν notio ſcriptorum omnium uſu antiquiſſimo muniatur, cur eam *abuſioni* tribuerit, haud dubie reſpondebit, huic latae notioni pſeudetymon ſuum, illud τὸ εἰς τὴν ἔραν πεπτωκέναι non congruere. Eâque cauſa Heſychium conjeci, uſum illum latiorem, utpote a ſuo veriloquio recedentem, *abuſui* tribuiſſe. Atq. hoc ita eſſe, poſtea cognovi ex Etymologi verbis hiſce in Ἑρπετόν. Κυρίως δὲ τὰ ἄποδα εἴρηται ἑρπετὰ ἀπὸ τοῦ πίπτειν ἐν τῇ ἔρᾳ· καταχρηστικῶς δὲ καὶ τὰ τετράποδα. Habes igitur ἕρπω & ἑρπετὰ quam late pateant: nec aliter in Scripturis Graecis uſurpantur, in quibus creberrima eſt ἑρπετῶν τῶν ἑρπόντων (in terra, ſive etiam in aquis aut aëre) mentio: niſi quod modo laxior, modo artior iis ſignificatus tribuitur. Interdum enim ἑρπετὰ ſeorſum ab avib. nominantur, quaſi quae ἑρπετοῖς non contineantur (uti Gen. VI. 7. VIII. 19. Pſ. 148. 10.) alibi autem ἑρπετὰ τῶν πετεινῶν (uti Lev. XI. 20. 21. Deut. XIV. 19.) ſcribitur, ita ut volucres ſint in τῶν ἑρπετῶν cenſu. Sic etiam piſces ſeorſum ab ἑρπετοῖς memorantur 3. Reg. IV. 33. at vero omnes aquarum fetus (i. e. piſces volucreſque ſimul) inter ἑρπετὰ habentur Gen. I. 20. ubi ſcribitur, *Producant aquae* (ἑρπετὰ ψυχῶν ζωσῶν) *reptilia animarum viventium*. Ac de ἕρπω & ἑρπετὸν ſatis.

§. III. *De Latinis Serpo & Repo*.

In ſuperiorib. quidem plerisq. locis Vulgatus laxiſſimo *movendi* verbo (ita ut *quae moventur*, ſit JCtorum τὸ *ſe moventia*) uti ſolet. Interdum tamen & *Repo* & *Reptile* uſurpat. Etiamſi vero detur Latinorum *Repo* & *Serpo* proprie eſſe ſupra pectus progredi; tamen haec ſaepe licentia ſacris interpretibus datur, ut verba ab iis uſurpata vim imbibant verborum fontis. Ac fatendum eſt, haec duo Latina verba non raro eſſe ſimpliciter *progredi*: interdum vero illam habere vim quam Euſtathius de Ἕρπω docuit, quam & ſup. adſcripſi, ut ſit *ſenſim* infantium aut teſtudinum more, ſive (quod idem eſt) *latenter* inſtar arborum progredi, de quibus Colum. in de Arbor. cap. 16. de vite: *Ne . . . in altitudinem repat*. Ac *Repere* in plantis eſt quod Horatius ait, *Creſcit occulto velut arbor aevo*. Omnino in vetere Latio *Repo* & *Serpo* tam generale fuiſſe, quam Ἕρπω in vetere Graecia perſuaſum habeo. Ἕρπω autem non tantum in Homero, Theocrito &c. & apud Cretenſes (uti ſupr. in inſcriptione) ſed etiam apud Syracuſanos & Tarentinos erat tantumdem quod βαδίζω, *Incedo*, uti ſupra copioſe oſtendimus.

Poſtremo ad originationes verborum *Serpo* & *Repo* quod attinet: *Serpo* eſt ipſiſſimum ἕρπω ſpiritu in ſibilum commutato: ab eodem vero ἕρπω tranſpoſitis duabus primoribus litteris ortum videtur *Repo*. Hactenus Bibliorum gratia indultum ſcrutandis proprietatibus voculartum,

(3) Diodorus Tarſenſis tunicas pelliceas, quas Deus poſt peccatum tradidit protoplaſtis, voluit

admittendum maluerunt, quam caeſas ob id animantes fuiſſe, ut tunicae primis parentibus conſuerentur: uſque adeo nimirum ab eo abfuerunt, ut κρεωφαγίαν antediluvianis hominibus indulgerent. Sed inane Bocharti argumentum eſſe quis non videt? Quid enim ex edulibus pecoribus pelles detrahi neceſſe fuit, ac non potius ex feris, homini ſuapte naturâ inſidiantibus, ad veſcendum vero ineptis? Ex his certe heroas amiciebat antiquitas.

Julianus ὁ παραβάτης, ut alia multa ſacrorum librorum, ſic iſtius loci λάχανα χόρτυ, quod hîc habent LXX, riſui exponit; ſic enim Or. VI. Cynico cuidam Aegyptio, obgannit, quem fuiſſe, ait, (ὐ τῶν ἱερέων, ἀλλὰ τῶν παμφάγων, οἷς παντὰ ἐσθίειν νόμος, ὡς λάχανα χόρτυ· γνωρίζεις, οἶμαι, τῶν Γαλιλαίων ῥήματα) *non unum e ſacerdotibus, verum ex omnivoris illis, quos omnibus veſci, tamquam oleribus virentibus, lex jubet. Agnoſcis, opinor, Galilaeorum verba.* In id unum ſcil. impius ille Scripturas divinas legebat, ut iis irrideret. Quas ſane legebat; nam illud λάχανα χόρτυ ſunt ipſiſſima Senum LXX verba. In Hebr. eſt כירק עשב, *chejerek eſeb*, *ſicuti virorem oleris*.

AD GEN. IX. 4.

Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis] Hoc idem praeceptum, quod nunc Noae filiis & poſteris datur; tanto poſtea Hebraeis repetitum, & ampliore circuitu verborum expoſitum fuit Lev. XVII. a ver. 10. ad finem capitis, & quidem ut omnino tam a ſanguine mero (ſive ſcil. ſeorſum epoto, ſive in farciminibus aliterve comeſto) quam ab animalibus, quorum ſanguis fuſus non fuerit (quo poſteriore capite continentur ſuffocata, de quibus Act. XV. 20.) abſtinendum ſit. Hoc totum quatenus in Levitico proponitur, tantum Judaeos tenuit, & inſuper advenas cum Judaeis degentes: quorum nomine veniunt, qui *proſelyti portae* dicti, & Noachidarum praeceptis adſtringebantur. Quatenus vero hoc idem hîc ſancitur (ſancitur autem paucioribus verbis, ſed ita ut illa omnia (4) quae ſunt in Levitico, complectatur) omnes Noachi poſteros (h. e. genus omne mortalium) obligavit. Hoc vero ita eſſe, multa ſuadent: I. hujus legis apud gentiles (5) veſtigia. II. Suadet & Actorum cap. XV. 28. 29. ubi ex Moſaicis

omnibus

voluit fuiſſe δερματίνας (*ex corticibus arborum conſutas*) idque videntur & alii olim cenſuiſſe, ne qua rima ſcil. pateret ad κρεωφαγίαν antediluvianam. Id nos in loco refutavimus. Nec id neceſſe fuit ad antediluvianam carnium abſtinentiam.

(4) Paucis hiſce verbis omnia, inquam, eadem, quae in Levitici cap. XVII. prohibentur. Nam qui a ſanguine prohibet, is non vetat tantum ſanguinis potum (quod ferinum eſt, & tamen efferatiſſimis nationibus imputatum) ſed etiam ſuffocata, unoque verbo omnia non jugulata interdicit; quia in his omnibus cum ſanguis e jugulo non effluxerit, *caro cum ſanguine* mandi intelligitur. Huc pertinent & Phocylidae in νυθετικῷ carmine quaedam huc ſpectantia: de quibus in Adn. ſeq.

(5) *Phocylides* Νυθετικῦ *auctor non tam Judaeus fuiſſe videtur, quam proſelytus hoſpitii. Ejus vetitum de morticino edendo enodatur. Homeri mors impura, quae non fuſo cruore infertur. Idem apud ſecutas aetates.*

Phocylides auctor Νυθετικῦ carminis, etſi alter ab illo ſeniore Phocylide Mileſio, qui circa Olymp. LX. floruit, vel ſic tamen ſe perantiquum ſtyli contemplatione probat. Non paucis viſus eſt fuiſſe Judaeus: quod ſi verum ſit; inter Judaeorum antiquiores illos, qualium fragmenta in Joſepho, inque Euſebii Praeparatione ſuperſunt, recenſendus erit. Aut vero potius ex eorum genere fuerit, quos proſelytos portae vocabant. Nuſquam enim πολυθεΐας, alteriuſve ethniciſmi in eo veſtigium. Si quando θεὺς nominat, ex more Scripturae eſt capiendus. Cujuſcumque vero ſectae fuerit, in gentilium certe profectum monita ſua direxit. In iis autem a quibus gentiles arcet, pauca quoque ſunt, quae ad hunc Geneſeos locum pertinent. Atque in primis, id eſt Moſaicum, ſed male expoſitum v. 131.

Μὴ

omnibus interdictis, duntaxat a ſanguine, & ſuffocatis gentiles, qui Chriſto nomen darent, arcentur: ab his autem arcentur, non quia lege Moſaica vetitis, ſed quia praecepto ad omnes Noachidas pertinente prohibitis. Actorum locum, utpote huc magnopere facientem, in ima (6) ora ſubjeci.

AD

Μὴ κτήνους θνητοῖο βορὴν κατὰ μέτρον ἕλῃαι.

Atque hoc in meo libro ita vertitur: *Ne pecudis mortalis cibum ad menſuram ceperis.* Ergo, ſi audimus hunc interpretem, ex *morticino* (quod inepte interpretatur *mortale*) manducari ſupra modum jubemur. Atqui Homerica & Heſiodea haec ſunt: *Μέτρον ἥβης* pro *ἥβη*, *μέτρα κελεύθου* pro *κέλευθος*. Nec aliter huic noſtro vati pro *βορὴν* poſuit (id quod tantumdem eſt) *μέτρον βορῆς*. Nam in Phocylide patrio caſu *βορῆς* omnino legendum, non quarto. Illud *κατὰ* vero (quod per *τμῆσιν* ab *ἕλῃαι* poëta ſecreverat) cum eodem jungendum, ita ut extrema verſiculi haec ſint, *βορῆς μέτρον καθέλῃαι*, h. e. *βορὴν καθέλῃαι*· vertendum vero ſit, *Morticini pecoris eſum ne perpetres.* Nam *καθαιρεῖσθαι* antiquis eſt *peragere.* Ex hoc uno hexametro de vetuſtate *νουθετικοῦ* hujus exiſtimare potes: quem verſum ita redde, ſi lubet:

Mortua morte ſuâ ne abdas animalia in alvum.

Poſtremo & hoc quoque in Phocylide noſtro ver. 136. Moſaicum. *Μηδέ τι θηρόβορον δαίσῃ κρέας* hoc eſt:

Nec carnem abſumas temeratam dente ferino.

Atq. haec ex Phocylide huc pertinentia ea de cauſa adſcripſi, ut non tantum huic loco, ſed & Actis XV. 20. lux inferatur: in quibus non temere illa eadem, quae tanto ante Phocylides piis gentilibus (qui ad ſpem vitae alterius una cum Iſraelitis conſequendam inhiarent) vetanda putavit, utpote Noachico loci hujus interdicto vetita.

Sunt autem & in Homero quaedam quae originem ab hac lege, omnibus Noae poſteris data, trahere videantur. Cujuſmodi illud eſt, quod mortem praefocando illatam Od. X. 462. *θάνατον μὴ καθαρὸν* (*mortem non puram*) vocat. Qua enim de cauſa, niſi quia ſanguis in ſuffocatis non funditur? Ibi ergo Telemachus in ancillas impudicas animadverſurus, ita incipit:

Μὴ μὲν δὴ καθαρῷ θανάτῳ ἀπὸ θυμὸν ἑλοίμην
Τάων, αἳ δὴ ἐμῇ κεφαλῇ κατ' ὀνείδεα χεῦαν,
Μητέρι θ' ἡμετέρῃ, παρά τε μνηστῆρσιν ἴαυον.

Haud PVRAE abſtulerim harum animas per compita mortis,
Quae capitique meo, matrique ingentia probra
Effudere, peneſque procos jacuere nefandae.

Ad quem locum ſcite Euſtathius annotat: *Καθαρὸς θάνατος ὁ διὰ ξίφους, μιαρὸς δὲ ὁ ἀγχονιμαῖος.* *Pura mors quae gladio, impura quae laqueo infertur.* Hoc idem Philo dixerat iis verbis, *θάνατον οὐ καθαρὸν δι' ἀγχόνης ὑπομένουσι.* *Mortem ſtrangulatione impuram ſuſtinent.* Plinius lib. II. cap. 63. adeo infamem hanc poenam videri dixit, ut ad eam vitandam venena & quodvis aliud leti genus quaeratur: *Ne*, inquit, *laquei torqueret poena praepoſtera, incluſo ſpiritu, cui quaereretur exitus.* Virgilius XII. 603. *letum informe* appellat, ubi de Regina uxore Latini parante ſibi laqueum canit:

Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

Vbi Servius hanc appellationis affert cauſam: *Cautum fuerat* in Pontificalibus libris, ut qui laqueo vitam finiſſet, inſepultus abjiceretur: unde bene ait INFORMIS LETI, quaſi mortis *infamiſſimae*. Deinde hoc idem ex Caſſio Hemina docet, & ex verbis hiſce Varronis: *Suſpendioſis, quibus juſta fieri jus non ſit, ſuſpenſis oſcillis, veluti per imitationem mortis parentari.* Adhaec Baebius Gemellus in inſcriptione Reineſiana p. 489. cum *municipibus ſingulis incoliſque loca ſepulturae* daret, excipit eos, *quei ſibi laqueo manus attuliſſent* &c. De hac inſcript. vide ad Tabb. Heracl. pag. 443.

Hodie etiam poſt immenſum temporum hiatum, adhuc tamen capitis abſciſſio nobilium eſt virorum, quaecunque vero aliae mortes, per quas ſanguis non funditur, infames habentur. Atque in hoc commune inſtitutum inter gentes omnes convenit, nec aliunde puto, quam quod ex Noachico praecepto impurum leti genus id eſſet, quod ſtrangulatione inferebatur.

(6) Epiſtola ſynodica Concilii Hieroſol. Act. XV. 23. ita inſcribitur: *Apoſtoli & Seniores . . . Fratribus ex gentibus ſalutem.* Deinde ver. 28. eadem epiſtola ita concluditur: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec neceſſaria: Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum* (Gr. *ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων*) *& ſanguine & ſuffocato, & fornicatione: a quibus cuſtodientes vos bene agetis. Valete.* Quorum explicatio dabitur, uti ſpero, ad laudatum Actorum

rum

Digitized by Google

AD GEN. IX. 6.

Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius] Hebraica ſic αὐτολεξεὶ (*verbis totidem*) ſonant: *Quicumque effuderit ſanguinem hominis in homine, ſanguis illius fundetur*. Difficultas eſt in באדם *baadam* (*in homine*) quid heic ſignificet, & ad prius ne an ad poſterius membrum ſit referendum. Mitto ſexcentas interpretationes. Mihi ſic placet, unius gutturalis in affinem alteram mutatione, pro באדם *baadam*, legi poſſe בהדם *bebaddam*, *pro ſanguine*. Nec aliter LXX legiſſe oportet, qui ſic verterunt: ὁ ἐκχέων αἷμα ἀνθρώπυ, ἀντὶ τῦ αἵματος (hoc illud eſt בהדם *bebaddam*) αὐτῦ ἐκχυθήσεται. Ergo ſic vertatur hic locus cenſeo: *Qui fuderit ſanguinem hominis, pro ſanguine* (quem ille fuderit) *ſanguis ejus fundetur*. Scio Grotium alioſque naturale jus talionis heic agnoviſſe: recte, an ſecus, non interpretor. Ad talionem quod ſpectat, Exodi XXI. 23. lex horrendi carminis erat: *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, aduſtionem pro aduſtione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore*. Ergo & hic *ſanguinem pro ſanguine*. Quamquam & Hebraici textus lectione, quae nunc eſt, manente, eodem res recidit: nam illud *baadam* vel decurtatum eſt ex *bdam haadam: pro ſanguine hominis illius*; vel ſine ulla ſuppletione verte ſic: *pro homine illo* (occiſo) *ſanguis illius fundetur*.

AD GEN. IX. 13. 14. 15.

13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum foederis inter me & inter terram*. 14. *Cumque obduxero nubibus caelum, apparebit arcus meus in nubibus*. 15. *Et recordabor foederis mei, quod pepigi vobiſcum . . . & non erunt ultra aquae diluvii ad delendam univerſam carnem*.

13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum foederis* &c.] Non tantum Hebraeis, ſed & Latinis (qui ubi a Graecis abeunt, ad Hebraeos, ſed Tyrrhenorum tamen ductu, deflectunt) hoc commune fuit, ut Iridem a figura *Arcum* (7) appellarent: in quo pleraeq. hodie Europae linguae Latinos, uti fit, imi-

H 2 tantur.

rum locum. Interim in tranſitu ſciendum eſt, hoc Apoſtolis a Spiritu Sancto afflatis fuiſſe propoſitum, uti tirones qui ex ethniciſmo Chriſto nomen darent, ad Noachidarum veterem illam vitam revocarentur, qua ſatis erat ſi a ſanguine, a ſuffocatis, ac praeterea ab immolatitiis (quorum ambitu quaevis idololatriae profeſſio continetur) abſtinerent. Proinde eosdem ad priſtinam illam libertatem reductos, a tota legis Moſaicae ſarcina (Noachidis ſcil. non impoſita) liberarent. Haec illa libertas eſt, de qua ad Gal. IV. 31. *Qua libertate Chriſtus nos liberavit*. Hinc etiam non ſemel Jacobus legem Chriſtianam *Legem libertatis* vocat.

(7) Nonius tamen ſic diſtinguit: *Arcus & Arquus hoc diſtant. Arcus enim ſuſpenſus fornix appellatur. Arquus nonniſi qui in caelo apparet, quem Irim poëtae dixerunt: unde & Arquati dicuntur, quibus color & oculi virent, quaſi in arqui ſimilitudinem. Lucr. lib. VI. Tum color in nigris exſtabat nubibus arqui*. Haec Nonius.

Eadem *Arquati* vox exſtat apud eumdem Lucret. IV. 334. *Lurida praeterea fiunt, quaecumque tuentur Arquati*, h. e. icterici. Nonius in *Arquatus* Varronem ejus diſcriminis teſtem advocat: quod tamen *diſcrimen* in ſcriptis codicibus (diu poſt Nonium ſcil.) non obſervari ajunt.

Ac ne neceſſarium quidem diſcrimen iſtud ſcripturae fuit, quia Iris apud Latinos idcirco *Arcus* audiit, quod inſtar fornicis eſſet: ſicuti & fornix ipſe idcirco *Arcus* vocabatur, quod arcum, quo jaculamur, referret. Ex quo patet, *Arcus* nomen proprium jaculatorii arcus fuiſſe: ab hoc vero tum ad ſtructilem arcum, tum ad caeleſtem id vocabulum tranſiiſſe. Quod *Arcus* Latinis propria vox jaculatorum fuerit, conſtat ex veriſſima etymologia ex Oriente arceſſenda, quam Latini a Tyrrhenis ab Oriente advenis didicerunt. Nec enim dubito quin *Arcus* ſit ipſiſſimum ארכא (*arca*) Chaldaeum, quod *productionem* ſive *tenſionem* notat, ſicuti & radix ארך (*arac*) Hebraeis, Chaldaeis, Syris, eſt *prolongare*,

tantur. Etſi Latini addito ſaepe epitheto id faciunt; nam aut *caeleſtem arcum*, ut Plinius ſolet, vocitant; aut *pluvium*, ut non raro poetae. At Graeci ſemper Ἶριν *Iridem*; numquam, quod ſciam, τόξον nuncupaverunt; exceptis tamen Helleniſtis, quippe Hebraiſmi tenacibus. Itaque Graeci interpretes in hoc Noachico foedere, & in Ezech. I. 28. itemque Auctor Sap. V. 22. & Siracides XLIII. 12. τόξον non Ἶριν uſurparunt. At Joannes (Graeciſmi haud raro ſervantior) Apoc. IV. 3. X. 1. Ἶριν dicere maluit; ſicuti & Joſephus in I. antiq. 3. cujus locum infra illuſtriorem efficiam.

Ex hoc autem loco multa hauſerunt gentiles. Ac primum hoc, ut Iridem pro ſigno haberent. Homerus Il. Λ.

. . . Ἴρισσιν ἐοικότες ἅς τε Κρονίων
Ἐν νέφεϊ στήριξε τέρας μερόπων ἀνθρώπων.
. . . *Iridibus ſimiles, Saturnia proles*
Quas nubi infixit, ſignum mortalibus aegris.

Idem Il. P. 547. procellam aut bellum Iride portendi ait:

Ἠΰτε πορφυρέην Ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο,
Ἢ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος.
Qualem purpuream e caelo mortalibus Irin
Circinat in belli ſignum gelidaeve procellae
Jupiter.

De bello teſtis Servius ad V. Aen. *Ex magna*, inquit, *parte ſervatur, ut Mercurius ad concordiam, Iris ad diſcordiam mittatur, unde & Iris dicta eſt, quaſi* ἔρις. In qua obſervatione, ut vera ſint cetera, etymon certe falſum. Verius Plato ἀπὸ τοῦ εἴρειν derivat (εἴρω autem eſt ἀγγέλλω *nuntio*) ὅτι ἄγγελος ἦν, quia deorum nuntia habebatur (8).

Apud Latinos autem poëtas plerumque pro pluviae ſigno ponebatur, unde & *Arcui pluvio* apud Hor. & alios nomen. Celebre eſt illud Plauti Curculione I. 2. 41. de anu arcuata & bibaciſſima: *Ecce autem arcus bibit: pluet Credo hercle hodie*. Virg. I. Georg. 380. *Et bibit ingens Arcus*. Prop. lib. III.

Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.

Putabant enim arcum demiſſis in terram *capitibus* (ſic Plinius appellat arcus baſes) haurire humorem e fontibus. Vitruvius IX. 4. *Per calorem videmus non minus aquae vapores a fontibus ad nubes per arcus excitari*. Martialis: *Caſuras alte ſic rapit iris aquas*. At ſollertes naturae obſervatores, modo pluviae, modo ſerenitatis nuntium putabant. Seneca I. Nat. quaeſt. 6. *Et bibit ingens arcus, ut ait Virg. noſter, cum adventat imber: ſed non eaſdem, undecumque apparuit, minas affert. A meridie ortus, magnam vim aquarum vehet . . . ſi circa occaſum refulſit, rorabit, & leviter impluet. Si ab ortu circave ſurrexit, ſerena promittit.*

gare, protendere. Ea vero protenſio quia arcus jaculatorii peculiaris eſt; non immerito is ab initio *Arcus* dici proprie coeptus. Mox autem cum hujus arcus figuram ſemicircularem tum fornix, tum Iris imitarentur; idcirco & ad haec *Arcus* vocabulum transfuſum fuit.

(8) Niſi mavis cum aliis a Chaldaico עיר (*ir*) deducere, quod angeli nomen eſt apud Danielem IV. 10. Hi ſunt Angeli Egregori illi, quorum eſt in Pſeudo-Enocho plurima mentio. Certe עיר *Ir* in Daniele IV. 10. Graece Ἄγγελος vertitur. At Aquila & Symmachus preſſius ἐγρήγορος poſuerunt.

mittit. Plinius XVIII. 35. *Arcus cum ſunt duplices, pluvias nuntiant: a pluviis, ſerenitatem non perinde certam*. Hauſit hoc Plinius ab Arato in prognoſticis, cujus interpres Avienus ſic ait: *Si diſcolor Iris*

Demittat gemino ſe fornice . . . . .
Plurimus abruptis fundetur nubibus imber.

Verum haec & ſimilia praeſagia fallacia fuiſſe Plinius ingenue faſſus eſt lib. II. cap. 59. *Arcus vocamus, extra miraculum frequentes, & extra oſtentum. Nam ne pluvios quidem, aut ſerenos dies cum fide portendunt*.

Quibus omnibus penſatis, hoc unum verum comperio, Iridem natura ſua neque imbris neque ſerenitatis eſſe indicem. At ſacramentali ſignificatione, quam indidit illi Deus, tutos nos a diluvio praeſtat. Atque haec Iridi divinitus aſſignata ſignificantia cum ad gentiles manaſſet; illi pro ſuo captu ac modulo multa effutierunt: hi legationis miniſterium illi affinxerunt, alii belli aut procellae, alii pluviae aut ſerenitatis praeſagium eidem attribuerunt.

14. *Cumque obduxero nubibus caelum*] Pro *obduxero*, in Hebr. eſt verbum ענן *Innen*: quod verbum quia ex nomine *Anan*, quod *Nubem* notat, flexum fuerat, propterea LXX per verbum συννεφεῖν, quod eſt ex nomine (9) συννεφὴς, expreſſerant. Id ut imitaretur Vulgata vetus, verbo *Innubilo* uſa fuit, probo (10) ſane & uſitato. Vtramque interpretationem ſubjicio. LXX. Καὶ ἔσται ἐν τῷ συννεφεῖν με νεφέλας ἐπὶ τὴν γῆν, ὀφθήσεται τὸ τόξον (alicubi hic additur μου) ἐν τῇ νεφέλῃ. Vulgata vetus apud Ambroſ. de Noë cap. 27. 269. *Et erit, cum INNVBILAVERO nubes ſuper terram, parebit arcus meus in nube*.

15. *Recordabor foederis mei . . . & non erunt ultra aquae diluvii ad delendam univerſam terram*] Tam ſuperioribus verbis illis, *Arcum meum ponam in nubibus*, quam ſupraſcripto commati 15. operae pretium duco ex Joſepho lucem affundere. Is in I. Antiq. cap. 3. ſect. 8. Noae ſacrificio precibuſque annuentem Deum, ita inter cetera loquentem in fine facit (Hudſono interprete in edit. Havercampi) *Nam ſi unquam tempeſtates ſolito majores excitavero, non eſt ut imbrium vim pertimeſcatis. Orbem enim terrarum aqua deinceps non inundabit*. Ac paucis interjectis (quibus Deus homicidium vetat, animalium vero omnium eſum permittit, modo ne caro cum ſanguine aſſumatur in cibum) haec ſtatim addit: *Vobis ceſſationem fore ab ira, arcus meus indicio erit*: (*Iridem innuens; nam Arcus Dei apud illos Iris eſſe putatur*.) In his ultimis cum interpres, Divini oraculi vim (quam Flavius paucis, ſed tamen eleganter expreſſerat.) non ſit aſſecutus; extrema quae dixi, primum Flavianis verbis afferam, tum quo modo Latine exponenda mihi videantur, exponam. Joſephi Graeca haec ſunt: Σημαίᾳ δὲ ὑμῖν παύλαν ἐσομένην τοξείᾳ τῇ ἐμῇ· τὴν Ἶριν ἀποσημαίνων· τόξον γὰρ εἶναι τοῦ Θεοῦ παρ' αὐτοῖς ἐκεῖνο νενόμισται. Quae antequam Latine reddo, praenotandum aliquid de τοξείᾳ puto, quid hîc ſignificet, praeſertim cum ſit vocabulum inſolens.

Τοξεία

(9) Adjectivum συννεφὴς eſt apud eosdem Seniores Deut. XXXIII. 38. Καὶ ὁ οὐρανὸς αὐτῷ συννεφὴς δρόσῳ. Verſio vetus apud Ambroſ. de bened. patr. cap. 9. *Et caelum tibi cum nebula roris erit*. Eodemque adjectivo uſi ſaepe profani, veluti ubi Polybius συννεφοῦς νυκτὸς & ἀέρα συννεφῆ dixit; & Diodor. Sic. & Plutarchus συννεφοῦς ἡμέρας.

(10) Probo, inquam, vocabulo, quippe quo Solinus utatur cap. 66. *Si purum fuerit, quod acceperint; candeant orbiculi lapillorum: Si turbidum; aut pallore langueſcunt, aut ruſo innubilantur*. Idem quod *obnubilare*: tranſlate vero eſt *infuſcare*.

Τοξεία autem non *arcum* (quod hîc Hudſonus putavit) ſed analogia duce, itemque Ariſtophanis Scholiaſte (11) potius vox eſſe videtur τοξευτικὴν τέχνην h. e. jaculandi artem deſignare primario nata. At vero hîc apud Flavium, niſi vehementer fallor, eſt τοξοποιητικὴ ἐμπειρία, h. e. *arcus fabricandi peritia*. Itaq. ſicuti apud antiquos (12) τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς eſt *arcuata oſtendere ſupercilia*; ita apud Joſephum hîc Deus τοξοποιεῖν τὰς νεφέλας, *arcuare* (ſi ſic licet) aut *circinare nubes* tunc dicitur, cum arcum in nube deſcribit: quod totum verbo uno Noſter τοξείαν vocavit, fortaſſis etiam averſatus non ſatis probum, ſed potius Helleniſticum τόξυ pro *Iride* vocabulum. His intellectis, Joſephi locum vertere in hunc modum licet: *Vobis autem* (calamitatis) *ceſſationem fore, per Arcus mei* (in nubibus) *deſcriptionem ſignificabo*: *Iridem* (his verbis) *deſignans, quae apud Hebraeos ARCVS DEI eſſe putatur*.

Ex his vero licet colligere, Joſephum quaerenti, cur apud Hebraeos Iris קשת *Kesbet* h. e. τόξον, & quidem addito κτητικῷ *Dei* nomine, in Scripturis nuncupetur, non videri aliam repoſiturum fuiſſe cauſam, quam quod in Divina πανοπλίᾳ non aliud quam Iris vicem gereret τόξυ τῦ Θεῦ (*arcus Dei*): ac ſicuti apud Graecos olim τόξον (13) armorum omnium inſtar erat; ita apud Hebraeos Iris τόξον εἶναι τῦ Θεῦ νενόμισται (h. e. *pro Dei* πανοπλίᾳ ſive *integra armatura deputatur*). Haec vis eſt Joſephi, quae ſupra adſcripſi, verborum.

Adde hoc etiam (quo vis major recitatis Flavii verbis ineſſe intelligatur) quanta ſit hujus τόξυ (quod Deus *Arcum ſuum* vocat: *Arcum*, inquit, *meum ponam in nub.*) quanta ſit, inquam, ejus arcus immenſitas. Scimus enim heroicis temporibus, ut quiſque fortiſſimus & immanioris ſtaturae erat, ita arcu (14) immaniore uſum fuiſſe. Adde poſtremo & iſtud, ubi Moſes ait Deum in nubibus arcum ſuum poſuiſſe, ſimul cum arcu totam Dei armaturam intelligendam offerri, ſi quidem humano captu, & ſecundum heroici biblicique ſermonis uſum *Arcus* latiſſime accipiatur. Ac re vera nubes Divini armamentarii vicem

(11) Τοξεία vox eſt, cujus exempla non alibi invenio quam apud Joſephum hic, itemque apud Ariſtophanis Scholiaſten. Apud Joſephum quid ea ſit, mox enarrabitur: at apud Scholiaſten Ariſtoph. ad Acarnan. 710. eſt haud dubie ars jaculandi. Ibi enim redditurus rationem cur apud Comicum quidam per contumeliam τοξότης (*ſagittarius*) appelletur, hanc affert: διεβάλλετο γὰρ ἡ τοξεία ὡς εὐτελής. *Ars quippe ſagittandi traducebatur uti vilis*

(12) Ariſtophanes Lyſiſtr. prope ab initio:

. . . Μὴ σκυθρώπαζ᾽, ὦ τέκνον·
Οὐ γὰρ πρέπει σοι τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς.
Ne tetrico ore, nate, te geras, vide:
Frons arcuata quippe tibi non convenit.

(13) Apud Homerum τὰ τόξα totam τὴν τοξικὴν σκευὴν, *totum jaculatorium apparatum* complectuntur, puta non tantum arcum, ſed & pharetram, & ſagittas. Adnotat id Euſtathius pag. 1248. Crebra ſunt ejus generis apud Homerum loca. Adhaec Heſychius docet Τόξον interdum notare (τὴν τοξικὴν ἐμπειρίαν, καὶ αὐτὰ τὰ βέλη) jaculandi peritiam & ſagittas ipſas.

(14) Lege Homeri Odyſſ. φ. qui totus liber in eo verſatur, Vlyſſis portentoſae magnitudinis arcum a nemine alio, praeterquam ab ipſo Vlyſſe tendi potuiſſe. Sunt & alii id genus apud eumdem poetam arcus heroibus attributi. Adde & Perſarum arcus praegrandes fuiſſe, ut apud Xenophontem in III. Anabaſ. legimus: Aethiopum vero multo majores, ac facile quadricubitales, teſtantibus Herodoto, Diodoro, Strabone & aliis. Itaque apud Herodotum rex Aethiopum Macrobiorum arcum ſuum Cambyſis legatis oſtentans, ipſique Cambyſi dono mittens: *Arcum hunc*, ait, *illi offerentes haec dicite: Rex Aethiopum regi Perſarum auctor eſt, tum demum in Aethiopas Macrobios bellum moveat* (ἐπειδὰν οὕτω εὐπετέως ἕλκωσι τὰ τόξα Πέρσαι ἐόντα μεγάθεϊ τοσαῦτα) *cum Perſae tam facile traxerint arcus tantae magnitudinis*.

Digitized by Google

cem ſuſtinent. In nubibus enim omne genus ſagittae reconditae ſunt, nempe tonitrua, fulgura, πρηστῆρες (*ignei turbines*) ἐκνεφίας (*erumpens ex nube procella*) lapidum inſtar grandines, μετέωρα cetera, ſive quaecumque de nubibus in tellurem impreſſiones fiunt.

Viſo hactenus, Joſepho duce, quam appoſite Iridi Deus *Arcus ſui* indiderit nomen (*Arcum*, inquit, *meum*) illud nunc reſtat videndum, cur dum arcum ponit in nubibus, id fore in ſignum foederis de diluvio non iterando denuntiet. *Ponam*, inquit, *arcum in nubibus*, *& erit ſignum foederis inter me & inter terram . . . Et non erunt ultra aquae diluvii ad delendum univerſam carnem*. Quaenam enim exſiſtit, inquis, in arcu ſignificatio ceſſationis diluvii? Imo potius qui arcum ſuum oſtendit, oſtentat minas, non pacem. Atqui, inquam, pacis praeſagitio non in arcu ineſt, verum in arcu *poſito* h. e. *depoſito*. Nam inquit, *Arcum meum ponam* (i. e. deponam) *in nubibus*. Cur hîc *Ponere* idem ſit, quod *deponere*, praeterquam quod *Pono* & *Depono*, ſicuti τίθημι (quod a LXX hîc uſurpatur) & κατατίθημι alternant, & quod Hebr. נתתי *nathatti* hoc loco eâdem (15) notione pollet: praeter, inquam, modo dictam συνωνυμίαν, ecquis alioqui nexus erit inter Iridem ſuſpenſam in nubibus, interque ceſſationis diluvii ſignificantiam, niſi τὸ *Poſui* exponas *Depoſui*? profecto nullus. At contra poſtquam, Joſepho praeeunte, intelleximus & Arcum eſſe Dei armaturam, & hanc Deum in nubibus poſuiſſe h. e. depoſuiſſe; non aliud diluvii ceſſantis poterit expoſci ſignum convenientius. Itaque hoc ipſo quod bellator fortiſſimus Deus (talis enim in Prophetis & Pſalmis ſaepe (16) deſcribitur.) arcum deponit in nubibus, ſeſe poſthac ab hominum genere delendo ceſſaturum, nec eſſe cauſam cur diluvium pertimeſcatur in poſterum, aperte denuntiat.

AD GENESIS CAP. X.

In hoc Geneſeos caput (quod cum ſit genealogicum, ſimul tamen principia primitivae illius remotiſſimae geographiae docet) ante hos ferme XX. annos, cum corpori vires, vigor menti conſtaret, non parum impendi laboris, veterum ac praecipue Strabonis ductum ſecutus. Id tamen totum cum affectum ſit, nec nunc inſtantibus operis, quod indiget labore multo, perfici poſſit, ac ſit aliunde longe ſpiſſius, quam pro adnotationum harum ſobrietate; inter ea jacebit, quae a me manum obſtetricantem, ſiquando Deus voluerit, opperiuntur. Atque ei Commentario quoddam veluti Anteloquium praeit, praeceptiones quasdam ad hoc Geneſeos cap. X. recte enodandum continens. Quod ſane

(15) De *Pono* pro *depono* & τίθημι pro κατατίθημι exempla ſunt omnibus obvia. At quod נתתי (*nathatti* h. e. *dedi*) quod hic in Hebr. eſt, ſit quoque non raro *deponendi* verbum, id magis intereſt. Id vero non aliunde aptius quam ex Graecorum Scripturae interpretum uſu docetur: apud quos verbum נתן *nathan* ſemel per κρεμάω (*ſuſpendo*) exponitur: quod hic aptiſſimum, quia eorum peculiare eſt, qui non tantum arma deponunt, ſed etiam numquam reſumpturi ſuſpendunt. Semel quoque vertitur ἐγκαταλείπω, *derelinquo*, pari ſignificatu pollens. At saepiſſime cum verbis *deponendi* permutatur, qualia ſunt ἀφίημι, παρατίθημι, & (quibus nihil frequentius) ἀποδίδωμι & παραδίδωμι. Haec, inquam, omnia partim *deponendi* vim (quam modo quaerimus) partim paullo ſignificantiorem habent.

(16) Vide Jer. XX. Pſ. XXXIV. ac paſſim alibi, in Pſalterio potiſſimum.

Digitized by Google

ſane praeloquium cum juſtam Diſſertationem exaequet ; nolui huc , ne filum Adnotationum breviorum abrumperem , infindere : verum conſultius duxi , illud inter Diſſertationes ad Geneſis calcem inſerere : inter quas haec quinta procedet .

AD GENESIS CAP. XI.

AD VERS. 3.

Dixitque alter ad proximum ſuum : Venite faciamus lateres & coquamus eos igni . Habueruntque lateres pro ſaxis , & bitumen pro caemento .

Faciamus lateres & coquamus eos igni] Hebraice eſt : *Et uramus* לשרפה *lisrepha*) *uſtione* . Ea uſtio de inſolatione accipi potuiſſet , cum antiquos crudis lateribus , ac tantum ſole toſtis , uſos ad ſtructuras fuiſſe , ex Strabone aliiſque plurimis diſcamus . Ad majorem autem cretae tenacitatem , paleas , feſtucaſque infarciebant . Verum (praeterquam quod LXX , Onkelos , Syrus cum Vulgata de *igni* conſentiunt) non eſt dubium quin turris , quam Babylone media deſcribit Herodotus , ex coctis lateribus ſtructa fuerit , teſtante id Strabone : ἦν δὲ πυραμὶς τετράγωνος ἐξ ὀπτῆς πλίνθου . . . *Erat autem quadrata pyramis ex cocto latere* , Sic & Beroſus apud Joſephum a Nabonnide (ἐξ ὀπτῆς πλίνθου) *ex cocto latere* , & bitumine muros Babylonis , qui ad flumen pertinent , refectos ait . Sed & Joſephus idem teſtatur de turri Babelica : ᾠκοδόμητο δ᾽ ἐκ πλίνθου ὀπτῆς , ἀσφάλτῳ συνδεδεμένης , ὡς ἂν μὴ περιῤῥέοι . *Ex coctis lateribus bitumine ferruminatis ſtruebatur, ne forte aquâ interfusâ ſolveretur* : nempe hoc modo aedificabant , quia diluvium alterum (ut idem ſupra dixerat) metuebant . Omnino non alia de cauſa videtur hîc Moſes explicate coctos lateres memoraſſe , quam quia vulgo tunc aevo Moſaico ceteri in ignobilioribus fabricis crudos atq. inſolatos tantum lateres adhibebant.

Habueruntque lateres pro ſaxis & bitumen pro caemento] Babel eadem quae Graecis Babylon fuit . Babylone autem coctis lateribus nec aliter , niſi bitumine ferruminatis , fabricae erigebantur , Strabone , Joſepho , Graeciſque aliis , imo & Latinis (1) auctoribus conſentientibus . Cur igitur in hac ejuſdem loci exſtructione haec quaſi inuſitata notantur ? *Lateres* ait *pro ſaxis & bitumen* &c. Atqui a Moſe comparantur Babelica tempora cum ſequentibus , itemque loca cum locis. Ad ſummam notatu dignum fuit , quod in Babylonia non tantum ſecutis temporibus , ſed jam tum ab illa coitione Babelica haec fabricandi ratio uſurpari coeperit : de quo in fine dicam .

Et bitumen pro caemento] In noſtra verſione Latina deperit fontis Heb. paronomaſia inter *chemar* (*bitumen*) & *chomer* , quod eſt *linimentum* , ſive arenatum: hoc enim hîc ſignat apud Vulgatum vox *caementum* . Nove id quidem & ex uſu ejus ſaeculi , quo facta haec translatio , uſurpatum . Nam antiquitus *Caementi* vox

(1) Praeter auctores ſupra laudatos , Vitruvius lib. 1. extremo cap. 5. ita poſuit: *Vbi ſunt ſaxa . . . aut coctus later , ſive crudus , bis erit utundum . Non enim uti Babylone abundantes liquido bitumine , & pro calce & arena , & cocto latere farctum habent murum; ſic item poſſunt omnes regiones . . . , ut ex bis comparationibus ad aeternitatem perfectus habeatur ſine vitio murus* . Juſtinus l. 2. de Semiramide : *Haec Babyloniam condidit , murumque urbi cocto latere circumdedit , arenae vice bitumine interſtrato : quae materia in illis locis paſſim e terra exaeſtuat .*

Digitized by Google

vox alìud (2) ab eo fuit, quod ſignificare coepit circiter aevum Hieronymi. At Vulgata vetus, utpote ante Hieronymum ſcripta, non *caementi*, ſed *luti* vocabulo utitur.

Antequam hinc abeo, notaſſe proderit, Noachidas iſtos, ubi hîc ver. 3. in haec verba prorumpunt, *Venite, faciamus lateres* &c. aliquo certe, dum haec dicerent, ſpectaſſe. Atqui eos conſilium condendae arcis antea concepiſſe, ſequens comma declarat, *Faciamus nobis civitatem & turrim*. Ergo rectus narrationis ordo is eſſe debuerat, ut conſilium iſtud ante panderetur, quam ad fingendos lateres ſeſe invicem incitarent. Et is certe fuiſſet humanus ordo, quem tamen ſaepe Sacri ſcriptores Divino Spiritu concitati negligunt. Plurima paſſim in Scripturis talia ſunt ὕστερα πρότερα. Res ergo ita ſe habuit. Profecti ex Oriente Noachidae, in terra Sennaar conſtiterunt: cujus planitiei opportunitatibus delectati, de urbe & turri ibi condenda cepere conſilium. Verum ſicuti in Armeniae montibus, unde diſceſſerant (quippe lapidum metallis omnique alio ad ſtruendum apparatu ibi ſcatente) id facile fuerat; ita in terra Sennaar, ad Euphratem amnem ſita, omnis circa regio utpote plana & paluſtris, carebat lapicidinis, unde lapides ad aedificia, & ſilices ad coquendam calcem ſuppeterent. Quid facerent? Hunc

(2) *Quid antiquitas, quidve ſequins aevum* Caementa *vocarit. Ex Gloſſis G. L. & loco parum intellecto Eccleſiaſtici oſtenditur, eſſe farturam, ſicuti & vox* Impenſa. *Nec aliud κόσμος ψαμμωτός. Alia quaepiam.*

Quid vetus Latium *Caementum* & *Caementam* vocarit, ex Nonio (qui etiam femininum genus ex Ennio huic vocabulo vindicat) & ex aliis, itemque ex etymo diſces. A *caedo* enim fit, & minores lapides notat, eaſque aſſulas, quae caedendo deciduntur. Vocis hujus uſum Vitruvius, Palladius, JCti docebunt. At aevo poſteriore *caementi* (ex quo maxime inteſtina muri fartura conſtabat, ſuperjecto tamen liquido arenato, ſicuti & hodie fit) vocabulum pro tota illa fartura ſumebatur, pars ſcil. pro toto. Ac ſicuti a Juſtino (cujus locum vide Adnot. 1.) *Arena* pro arenato uſurpatur (nec enim Salmaſium audio reponentem ibi *Arenati* pro *Arenae*, refragantibus libris) ita hoc noſtrae Vulgatae loco *Caementum*, quod cum arenato interſternebatur, pro ipſo linimento accipitur, aut vero potius pro tota interiore muri fartura. Loca ſcriptorum ita uſurpantium, cum plurima ſint, non fuit neceſſe congerere. Sed tamen praeſto eſt Graeco-Latinum Onomaſticum vetus, in quo ita ſcribitur: *Caementum*. γύψος, κονία. Quae duo Graeca nomina calcem notant, ſive ſolam, ſive cum arena, itemque cum minutiſſimis caementis (ſic enim in muris farciendis factitabatur) ſubactam. Atque hoc illud eſt, quod ſero a Martinio ex Vocabulario vetuſto allatum reperi. *CAEMENTVM, calx & minutorum lapidum congregatio*. Quid clarius? Cur vero tamdiu Siracidae locum huc mire facientem differo? Is eſt cap. XXII. ver. 21. *Pali in excelſis, & caementa ſine impenſa, poſita contra faciem venti non permanebunt*. Scio hunc locum inter difficiles habitum, Graeco textu perturbatiſſimo nihil juvante. Sed ex his quae dixi, facile expeditur. Vult enim, muri farturam inutilem fore, ſi ſuâ impenſa fraudetur. *Impenſa* farturam notat tam in re culinaria (vide Apicium, ubi de farciendis avibus & eduliis ceteris) quam in re ſtructili (de quibus v. Palladium) ac praecipue in parietibus. Muri ſic puto ſtruebantur. Ejus externae veluti cruſtae artificis manu erigebantur: at interior cavus injectis prius caementis inſternebatur, quibus liquidum arenatum infundebatur. Ita plura hujuſmodi ſtrata fiebant. Atque hoc illud eſt ſtructurae genus, de quo Plinius XXXVI. 22. *Tertium genus eſt Emplecton, tantummodo frontibus politis: reliqua fortuito collocant*. Mox: *Medios parietes farcire fractis caementis, Diamicton vocant*. Sed jam ad Siracidem venio. Caementis ad farciendum injectis, ſi nihil aut parum arenati liquidi infuſum fuerit, quo pacto murus contra vim ventorum reſiſtet? In Graeco ver. 17. (in meo accuratiſſimo cod.) duabus voculis illis *Sine impenſa* reſpondet meo judicio iſtud κόσμος ψαμμωτός. Atque ea eſt *Impenſa arenati*. Mox additur τοίχου ξυστοῦ i. e. *muri perpoliti*. Vult omnino, quamvis muro interius caementa infarcias, extrinſecus vero tectorium polias; murum tamen, ſi arenati impensâ fraudetur, non diu ſtaturum.

Digitized by Google

in modum conſilia explicant. Agri Babylonii terra cum tota argillacea eſſet, ac ſicuti ad vaſa figlina, ita & ad quaevis alia opera terrea, quae poſſent coquendo durari, & ad fabricas idonea fieri, videretur aptiſſima; ſtatuerunt pro lapidibus, quibus carebant, aliquid vicarium ex argilla fingere, ac percoquere, atq. ita lapidum ſupplere inopiam. At quia ingens cretae maſſa fornacibus cocta non facile fabrilibus inſtrumentis ſindebatur, ut inde moduli apti ad ſtruendum conformarentur; poſtremo adacti neceſſitate, totam ex aſſe πλινθουργίαν (*artem lateritiam*) extuderunt, ita ut ad modulos quoſdam ea, quae ex argilla fingerent, redigerentur. Eos intelligo modulos, qui apud Graecos poſtea in uſu fuerunt, nim. ut aliud eſſet laterum genus *didoron* (longum ſeſquipede, latum pede) aliud *tetradoron*, aut *pentadoron*. Et credo alios fuiſſe modulos, prout quaeque ſtructura exquireret. Ergo circiter annum Mundi MDCCLXX. (quo turris Babelica conſtrui coepta) πλινθεία (*ars lateritia*) invecta fuit; ſimulque לבן (*leben*) lateris nomen (3) inventum: cujus artis qui apud Graecos inventores fuiſſe traduntur, ejus imitatores potius fuiſſe neceſſe eſt.

At excogitatis lateribus, quos inſtar lapidum uſurparent, adhuc tamen deerat linimentum: quod non poterat niſi ex calce, quae cum arena & aliis id genus ſubigeretur, parari. Ad calcem autem comparandam opus erat ſilicibus, qui in calcariis excoquerentur. In agro vero Babylonio nullae in vicino fodinae ſilicum. Atqui in his quoque anguſtiis conſilii vis praeſto fuit. Nam in Babylonia ἄσφαλτον (*bitumen*) e venis telluris exaeſtuare, repertum fuit: id vero optimum ad liniendos lateres eſſe, uſus edocuit. Hinc *Bitumini* nomen novum, ſed aptiſſimum impoſuerunt. Nam quia id τοῦ חמר (*chomer*) i. e. *linimenti* uſum ſupplebat; idcirco (eiſdem litteris, ſed vocalibus variantibus) *chemar* nuncupaverunt bitumen illud. En quidquid ad conſtruendum praeparari oporteret, conſilio duce, ad manus fuit. Nam ceteroqui materiam ad trabes ceteraque id genus ager Babylonius, utpote irriguus, abunde ſuppeditabat.

Ac nunc demum poſt haſce animadverſiones verba commatis hujus percipere mihi videor. Sic incipit: *Venite*. In Hebr. הבה *habah*: quae interjectio eorum eſt, qui poſt expedita conſilia, ſeſe invicem adhortantur ad opus. Sequitur: *Faciamus lateres & coquamus eos igni*. Nihil hactenus difficultatis: at plurimum in eo quod ſequitur: *Habueruntque lateres pro ſaxis & bitumen pro caemento* h. e. arenato (4). Nam cur quaeſo explicate a Moſe notatur, hos homines habuiſſe lateres pro ſaxis, & bitumen pro arenato? Diſerte id notatur, quia antehac Noachidae in Armenia lapides & calcem adhibuerant ad ſtruendum. Nunc his deficientibus, excogitavere πλινθουργίαν (*artem lateritiam*) & bituminis uſum ad ferruminandum. Id quia novum excogitatum fuit; propterea id Moſes digito intento monſtravit.

(3) Πλινθουργίαν quidem tunc a Noachidis fuiſſe repertam, non eſſe dubium puto: at nomen לבן (*leben*, *later*) fuiſſe paris antiquitatis, non neceſſe arbitror. Satis eſt enim ſi dum Moſes haec ſcriberet, in uſu fuerit.

(4) Verſio vetus ita hunc locum apud Auguſtinum concipiebat: *Et facti ſunt illis lateres in lapidem, & bitumen illis erat lutum*. In Graeco Seniorum eſt: Καὶ ἐγένετο αὐτοῖς ἡ πλίνθος εἰς λίθον, καὶ ἄσφαλτος ἦν αὐτοῖς ὁ πηλός. Apud antiquos ex πηλῷ ſive *Luto* cum paleis miſto parietum temere ſtructorum linimentum conſtabat. Paleis & feſtucis opus fuit ad continendum lutum ne rimas ageret. Hinc illa Ezechielis increpatio XIII. 10. *Illi autem liniebant eum* (parietem) *luto abſque paleis*. Vide ſequentia uſque ad ver. 15. quibus muri ruinam deſcribit.

Digitized by Google

monſtravit. Plauſit autem huic invento poſteritas. Nam ſecutis temporibus in Babylonia non alia fabricandi ratio in uſu fuit: quantum quidem ex Strabone, Joſephò totque aliis poteſt intelligi.

AD GEN. XI. 4.

Faciamus nobis civitatem & turrim, cujus culmen pertingat ad Caelum: & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras] Poſterior hujus commatis pars ſic Hebraice concipitur: *Et faciamus nobis* (שם *shem* i. e. *nomen*) *nomen*, *ne forte* (Hebr. פן *pen*, quod reſpondet noſtro *Ne* aut *ne forte*) *diſpergamur ſuper faciem univerſae terrae*. Hîc equidem non intelligo cur *faciendo nomen*, i. e. parando ſibi nominis celebritatem, putaverint ſe impedituros, quominus a ſeſe invicem divellerentur. Nec plane video, quid huic loco convenire poſſit, niſi illud eſt, quod ſup. ad Gen. VI. 4. notavimus, τὸ שם *shem* non tantum *nomen*, ſed & *celſitudinem* ſignificare. Itaque ut illic *viri nominis* ſunt viri altitudinis h. e. gigantes: ita hîc *faciamus nomen*, eſt, *exſtruamus nobis excelſum locum*. Eſt enim ἐπεξήγησις & inculcatio ejus, quod praeceſſit, *faciamus turrim* &c. Et quidem τὸ שם *shem* habere eam, quam dico, ſignificationem, abunde probatum fuit ſupr. ad Gen. VI. 4. Quo loco innuimus, antiquos heroici aevi mortales, quando nondum primigeniam linguam penitus dedidicerant, hoc, quod hîc שם *shem* vocatur, nuncupaſſe Σάμυς i. e. ut Strabo (5) interpretatur, τὰ ὕψη, unde & Samo Thraciae & Samo Elidis nomen quaeſitum fuit. Quocirca poſſis hunc locum ita reddere, ut τὸ שם *shem* integrum maneat, *Faciamus nobis* (Σάμον) *Samum* h. e. celſiſſimam ſpeculam.

Necdum tamen mihi videor totam loci hujus vim expreſſiſſe. Proderit Jonathanis & Hieroſolymitani paraphraſes huc afferre; ſiquid forte inde lucis affulgeat. Jonathan: *Venite, aedificemus nobis civitatem & turrim, cujus caput perveniat uſque ad ſummitatem caelorum; & faciamus nobis* (סגדו *ſigdu*, i. e. *adorationem*: atque hîc *adoratio* ſumitur pro *idolo*, quod adoratur; quia ſequitur de gladio ei in manus tradendo) *idolum in ejus faſtigio, & ponamus gladium in manu ejus, ut conferat contra acies praelium* &c. Hieroſolymitanus in eamdem ſententiam: *Aedificemus nobis civitatem & turrim, & caput ejus pertingat uſque ad ſummitatem caelorum, & faciamus nobis in medio ejus templum* (סגדו *ſegidu* i. e. *idoli*, ut ante notavi) *idoli in cacumine ejus, & ponamus gladium in medio manus ejus; ne forte contrà eum ordinetur acies praelii* &c. Ex quo vides, hoc apud Hebraeos ἀνέκαθεν memoriae fuiſſe proditum, nim. illam turrim in hunc finem exſtructam fuiſſe, ut in ejus vertice templum idoli conſtitueretur. Taceo quod haec traditio confirmatur deſcriptione Templi Jovis Beli apud Herodotum I. 181. quod in turris Babylonicae ſummo vertice erat. Ergo hinc apparet, Chaldaeos שם *shem* pro *Idoli templo* poſitum exiſtimaſſe. Id autem tum ipſum per ſe ex-

celſum

(5) Strabo lib. X. pag. 457. de Samo Thraciae: Πιθανώτεροι δ' εἰσὶν οἱ ἀπὸ τῦ Σάμυς καλεῖσθαι τὰ ὕψη, φάσκοντες εὑρῆσθαι τῦτο τῦνομα τὴν νῆσον· Ἐντεῦθεν γὰρ ἐφαίνετο πᾶσα μὲν Ἴδη, φαίνετο δὲ Πριάμοιο πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν. *Probabilius inſulae nomen alii factum ajunt a ſublimitatibus, quas Samos vocabant* (Il. N. 13.)

Totam nam poſſes hinc contemplarier Idam,
Atque urbem pariter Priami, Danaumque carinas.

Indidem & Samum Elidis idem Geographus dictam vult lib. VIII. pag. 346. ἐπειδὰν Σάμυς ἐκάλυν τὰ ὕψη. Idem reperies notatum ab Euſtathio ad Il. N. 12. & ad Dionyſium v. 533.

celſum & ſublime erat, tum quia tantae ſublimitati turris impoſitum. Quo mihi videntur voluiſſe turris architecti Dei ſummi domicilium imitari. Nam ſicuti in Scripturis Dei domicilium eſt *caelum caelorum*, ſive *ſublimitas ſublimitatis* h. e. ſublimitate caeli ſublimior alter locus, quem Deus incolit (vide omnino de his dicta ad Gen. I. 1. & VI. 4.) haud ſecus & idolorum *excelſa* conformabantur: nim. ut monti alterive ſublimi loco alter ſublimior inſiſteret, ubi idolum ſuum habebat domicilium. Quare videtur hic locus ſic poſſe παραφρασθῆναι. *Venite aedificemus nobis civitatem & turrim, cujus vertex ſit* (בשמים *baſshamaim*, h. e. *in caelum* ſive *pro caelo*, ac *loco caeli*) *inſtar altitudinis caeli, & faciamus ibi* (שם *ſhem* i. e.) *ſublimitatem alteram pro domicilio idoli, ne forte* &c. Sperabant enim numen illud impediturum, ne hoſtium impreſſione adacti diſpergerentur & a ſe invicem diſtraherentur.

Apparet autem ſuboluiſſe tunc temporis mortalibus (ex Dei utique revelatione Noacho alterive viro pio facta) ſeſe huc atque illuc fore diſtrahendos ad frequentandam incolis terram. Id ne eveniret, ad ἀντίδικον aliud numen impii Chamidae (qui hujus conjurationis auctores) confugerunt. Iſque primus ad idololatriam gradus fuit, ut opinor, nim. turris, huicque impoſiti templi aedificatio. Itaque, ſi a me quaeras, quodnam genus peccati fuerit, quo ſe polluerunt turris aedificatores; non tam id ſuperbiae (tametſi ne iſta quidem abfuit, quippe dux omnium ſcelerum) non tam ſuperbiae, inquam, crimen fuiſſe reor, quam idololatriae, ac defectionis a Deo ad numen ἀντίδικον alterum, cujus patrocinio tecti putarunt, ſe Dei voluntati ac juſſis obluctaturos. Hinc is, qui primus pravi conſilii auctor & operis architectus fuit, *Nemrod* eſt appellatus, quod *rebellem* ſignificat: quod vocabulum idololatricam defectionem ex conſuetudine Scripturarum notat.

Quae hactenus de notione τῦ שם *ſhem* loci hujus dixi, eo redeunt, ut τὸ *Shem* (ſicuti apud Strabonem Σάμοι linguâ Phoenicia) celſitudinem notet, de quo & in Diſſert. ad Gen. VI. 4. ad finem Geneſis plura. Itaque dum dicunt *Faciamus Shem*, hoc dicunt, *Faciamus altitudinem*, & hanc inſiſtentem turri illi, de qua initio commatis, quae ad caelum uſque pertingeret. Itaque haec ultima ſpecula imitabatur veri Dei domicilium: quod paſſim שמי השמים *Sheme haſshamaim* h. e. *caelum caelorum* (ſive potius *altitudo altitudinum*, ut. ad Gen. I. 1. dixi) in Scripturis vocatur. Cur hoc? quia idolo veri Dei aemulatori in ſedem ea ſpecula deſtinabatur. Atq. haec, quae mihi plana videntur, ſi quis tamquam operoſiora traduxerit, en explanationem alteram multo ſimpliciorem. Ad Levit. XXIV. 11. liquido demonſtravi, ibi שם *ſhem* (quod in Vulgata *Nomen* ita, ut Hebraice ſonat, redditur) non eſſe appellativum vocabulum, ſed unum ex propriis Dei nominibus. Id eo fit, quia *Shem* ſynonymon eſt τῦ עליון *Eljon* (h. e. *Excelſus*) alterius Dei nominis. Vtrumque ergo ſicuti Dei veri, ita & ἀντιδίκυ numinis h. e. idoli vocabulum fuiſſe videtur. Ac de שם *ſhem* quidem, quod interdum *idolum* notet, vel ſi alia documenta deſint, uterque Paraphraſtes hoc loco teſtantur, qui non aliud quam *Idolum* τὸ שם *ſhem* loci hujus interpretati fuerunt, uti ſupra verbis utriuſque Targum allatis oſtendimus. At etiam nomen עליון *Eljon*, *Excelſus* (quod eſt τῦ *Shem*, de quo tamdiu dixi, ſynonymon) (6) diis

(6) Nihil magis oſtendit, *Eljon* veri Dei nomen, ab idololatris ad falſa numina fuiſſe traductum

diis falſis tributum ex pluribus non dubiis argumentis intelligo. Ergo dubium non eſt, quin *Faciamus nobis nomen* hujus loci, non ſit aliud quam ſeditioſa ſimulque blaſphema Chamidarum hujuſmodi vox, nim. *Faciamus nobis idolum, quo tuente* *a* διασπορᾶ *tuti ſimus*.

Antequam dividamur in univerſas terras] Illud *Antequam* expreſſum ex LXX fuit: πρὸ τȣ̃ διασπαρῆναι ἡμᾶς. Cur autem Seniores τὸ פֶּן *pen* (quod non aliud eſt quam *Ne forte*) verterint πρὸ τȣ̃ *Antequam*, ea reddi ratio poteſt, quod in ſuo codice duas amplius litteras invenerint, nim. לִפְנֵי, *liphne* pro פֶּן *pen*; aut ſaltem quod iſtud פֶּן *pen* (quod conſtanter in Hebr. legitur) non a פּוּן *pun* (quod eſt ἀπορεῖν, *haeſitare*) verum ab eâdem radice, ex qua לִפְנֵי *liphne* gignitur, derivaſſe, eaque de cauſa hoc loco uſos particula πρὸ τȣ̃. Ad ſententiam quod attinet, ſi Seniores ſequimur, ſenſus hic erit: Antequam a nobis invicem divellamur (nam ad ſibi & pecoribus quaerenda pabula, ſeſe paullatim quaquaverſum prorepturos praeſentiſcebant) relinquamus hîc turrim in communis Noachidarum patriae monumentum. Fateor tamen, etſi interdum *Antequam* & *Ne forte* eodem (7) recidunt; hîc tamen Hebraico פֶּן (*pen*) ſignificatio *ne forte* unice convenit. In hoc enim facto peccatum fuit tum ſuperbiae tum defectionis a Deo ad idola, quod Deus deſcenſu ſuo puniendum putavit. Atqui ſi non aliud hîc moliri tentaſſent, quam communis originis monumentum (cujuſmodi monumentorum plura in Scripturis exempla) ecquod in eo crimen fuiſſet? Ergo ad Hebraicum textum videntur haec preſſius eſſe reſtituenda: *Ne forte diſpergamur in faciem univerſae terrae*. Nolo hîc anxie quaerere, ecquodnam indicium ſuae (διασπορᾶς) diſperſionis praeviderent. Niſi forte diluvium alterum a Deo immittendum conjecerint: ad quod averruncandum opem ſibi ab Idolo, cui templum erigebant, quaeſiverunt, & arcem altiſſimam ad Euphratis alluviones devitandas. Ac ſunt quaedam quae ex profana (8) hiſtoria huc adſciſci queant.

AD

traductum, quam Plauti Poenulus V. ſc. 1. ver. 1. ubi quae Punico ſermone (qui ſermo ab Hebraico minimum diſſidebat) Hanno ſic orditur, *Tshalonim uvalonuth* &c. eadem Comicus ver. 17. ita Latine reddit *Deos deaſque* &c. Atqui iſtud *Deos deaſque* non aliter τῷ *Tshalonim uvalonuth* reſpondebit, quam ſi Punica ſic Hebraice ſcripſeris את-עליונים ועליונות [*eth-eljonim veeljonoth*] h. e. *Excelſos Excelſaſque*, ſive *deos deaſque*. Apparet igitur a Poenis h. e. Phoenicibus *Alonim* & *Alonut*. ſive (cum hodiernis vocalibus) *Eljonim* & *Eljonoth* (quod unius veri Dei nomen antea fuerat, eſtque τȣ̃ *Shem*, uti dixi, ſynonymon) ad quoslibet deos falſos fuiſſe traductum. Ac ejusdem Hebraici *Eljon* interpretatio a Graecis profanis expreſſa fuit. Nam Ὑψίςου *Jovis* appellatio eſt apud Pauſaniam; nec ἥλιος (quemadmodum *ſol* Graece dicitur) aliunde, opinor, eſt quam ab Hebraeo *Eljon*. Ab ea etiam eſt cauſa, ut deos non alia ſolerent antiqui, quam coloſſea ſtatura fingere (de quo videbis quae ad Cantica Salomonis adnotavimus); eorumque ſimulacra in excelſis locis ſtatuerent, nim. ut & ſtatura proceri, & eminenti loco poſiti, utroque modo *excelſi* viderentur. Sane Beli Jovis Statua, quam Herodotus in Babylonicae turris faſtigio deſcribit, coloſſea erat. Ergo *Faciamus nobis* (שֵׁם *shem*) *Excelſum* idem eſt ac *faciamus idolum* ab excelſa ſtatura excelſoque loco ſic appellatum. Hinc quoties *excelſa* in Regum hiſtoria legis (legis autem paginis omnibus) ea non ſunt alia quam *idola*, quae & coloſſea, & ſublimi loco poſita erant.

(7) Veluti Deut. IV. 9. τὸ פֶּן *pen* ibi occurrens, perinde eſt, utrum vertas, *Ne forte obliviſcaris* . . . an *Antequam obliviſcaris*.

(8) Euſtathius ad Il. Δ. pag. 384. tradit, primos urbium conditores rupium cacuminibus delectatos, metu diluviei, cujus damna tum ſub Ogyge, tum ſub Deucalione experti fuerant. In campo autem Sennaar, utpote παραποταμίῳ, cum tumuli nulli exſtarent, de turri altiſſima exſtruenda conſilium inierunt.

AD GEN. XI. 5.

Deſcendit autem Dominus, ut videret civitatem & turrim, quam aedificabant filii Adam] Quoties nodus vindice dignus in dramatis exſiſtebat, deus aliquis e machina demittebatur ad eum ſolvendum : quocirca, *Deus e machina*, proverbiale fuit. Eâ de causâ καταιβάτης (*deſcendens*) eſt unum ex Jovis cognomentis. Nota haec ſatis ex veterum lectione: vide Pollucem IV. 128. 129. Ariſtotelem, alios. Simile quidpiam Moſes ante omnes dramaticos ſcriptores fecit, apud quem Dei κατάβασις (*deſcenſus*) hîc aliud plane non deſignat, quam divinae potentiae ἐνέργειαν (*efficaciam*) ex cujus admiranda virtute σύγχυσις (linguarum *confuſio*) accidit. Noli ergo de locali deſcenſu hîc cogitare, qualis Deo convenire non poteſt; ſed κατάβασιν, non aliud quam praeſentem Dei actionem non ſine miraculo ſeſe exſerentem, interpretare.

Ut videret civitatem & turrim] Simile quidpiam occurrit apud Hom. Il. H. ubi Achivis turres & murum circumducentibus, Neptunus indignatur, Jupiter autem ſigna infauſta futurorum oſtendit. Vide Iliad. H. (9) a verſu 443.

Quam aedificabant filii Adam] Verſio vetus apud Auguſtinum, *Filii hominum*; quia *Adam* hîc eſt generis nomen, ad omnes pertinens ex illo profectos, qui quia ex luto formatus, eâ gratia id nomen ſibi peperit. Iſtud *Filii hominum* perfrequens in V. T. ita imitatus eſt Chriſtus, ut ſe *Filium hominis* diceret, demiſſione ſua celans formam Dei, qua par erat Patri. Ceterum Vulgatae hodiernae τὸ *Filii Adam* ſignificantius eſt, quia notantur uti γηγενεῖς h. e. *terrae filii*, qui tamen tam ſuperbum auſi ſunt ſcelus, ut in Deum inſurgerent. Atq. hinc hauſit Abydenus apud Euſebium IX. Praep. 14. eamdem originem iſtis aedificatoribus exprobrans. *Sunt*, inquit, *qui dicant* (τοὺς πρώτους ἐκ γῆς ἀνασχόντας) *primos illos, qui de terra eruperunt homines . . . vertiſſe ſe ad turrim aedificandam, quò loco nunc Babylon eſt*.

AD GEN. XI. 6.

Coeperuntque hoc facere, nec deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec opere eas compleant] Hebraea ſic vertunt: *Et hoc coeperunt facere: nunc autem non prohibebitur ab eis omne quod meditati ſunt facere*. Idque per ironiam dictum volunt. Verum non video cur ad ironicum ſenſum ſit recurrendum, quum ſi יבצר *ibbatſer* vertatur, *munietur*, *ſtruetur* (quae notio in hoc verbo & in derivatis tritiſſima) planiſſimus inde ſenſus eruetur: *Nunc autem non ſtruetur ab eis quod facere meditantur*. At ajunt ſcil. verbum hoc in forma Niphal τοῦ *cohiberi* ſignificatione pollere. Verum in ea forma non alibi quam hîc & Jobi XLII. 2. reperitur. Neuter autem locus veram habet cohibendi notionem. Imo Jobi locus ſiquam habet talem ſignificantiam, hanc a primaria *muniendi* notione haurit; quia quae munita ſunt, vim hoſtilem a ſe arcent, ut Kimchius monuit. *Scio* (ait ibi Job) *quod omnia potes*; *& non prohibebitur a te* (Hebr. *ibbatſer* i. e. *munietur*, ſive ſatis munita erit adverſus te) *cogitatio*, *machinatio*. Ergo & hîc *ibbatſer* idem quod *munietur*, *ſtruetur*. *Coeperunt*, ait, *hoc facere*; *at non ſtruetur ab eis quodcumque cogitaverunt facere*.

(9) Οἱ δὲ θεοὶ παρ' Ζηνὶ καθήμενοι ἀστεροπητῇ
Θηεῦντο μέγα ἔργον Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων.
Τοῖσι δὲ μύθων ἦρχε Ποσειδάων ἐνοσίχθων.
Ζεῦ πάτερ ἦ ῥά τίς ἐστι βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν,
Ὅστις ἔτ' ἀθανάτοισι νόον καὶ μῆτιν ἐνίψει;
Οὐχ ὁράας δ' ὅτι αὖτε καρηκομόωντες Ἀχαιοὶ
Τεῖχος ἐτειχίσαντο νεῶν ὕπερ, ἀμφὶ δὲ τάφρον
Ἤλασαν, &c.

facere . Cur ? quia labium unum in plura diffindam . Hoc plane intereſt inter hunc Geneſeos locum , & illum Jobi , quod hîc *mehem* cauſſam efficientem deſignat (ut Pſal. XVII. 9. *carbones ſuccenſi ſunt* ממנו , *minmennu* i. e. *ab eo*); at apud Jobum illud ממך *mimmecha* ſic vertitur *a te* , ut tamen proprie vim habeat τῦ מפניך *mippanecha*, *adverſum te* . Nunquam ſatis munita erit adverſum te humana machinatio .

Ex hactenus dictis vides, fruſtra eos eſſe , qui turris Babelicae rudera adhuc poſt quater milleſimum annum in terra Babylonia quaerunt : cum ea turris ab initio ſtatim per linguarum confuſionem turbata fuerit . Nec illi melius agunt , qui in turri Babylonica , temploque illi impoſito Jovis Beli (quae duo deſcribit Herodotus I. 181.) ſperant ſe turrim illam Babelicam reperiſſe . Niſi quod non invitus admiſerim , audacia iſtorum incepta nec poſteros Babylonios ignoraſſe , nec ab aemulandis deſtitiſſe , ut ex Herodoto & ex omni conſtat hiſtoria.

AD GEN. XI. 7.

Venite igitur : Deſcendamus & confundamus ibi linguam eorum] Apud gentiles etiam ſcriptores nihil frequentius , quam deorum κατάβασις (*deſcenſus*) ſive ad opem ferendam ſive ad retundendas impiorum impreſſiones, ut modo dixi ad Gen. XI. 5. Homerus Il. XVI. 93.

Μήτις ἀπ' Ὀυλύμποιο θεῶν ἀειγενετάων
Ἐμβήη· μάλα τέσγε Φιλεῖ ἑκάεργος Ἀπόλλων.
Auxilio Troum nequis deſcendat Olympo
Caelicolum : fovet hos certe jaculator Apollo .

In ſcaena quoque, uti ſupra innui, nihil uſitatius , quam ut ex machina dii demittantur , actibus hominum interventuri : unde & τὸ , *E machina Deus* , de repentino & inſperato remedio uſurpatum .

Deſcendamus , *& confundamus ibi linguam eorum*] Cauſas defectionis hujus , duce Nemrode Chami pronepote , nec non & Dei ad eam comprimendam conſilium Joſephus I. Antiq. 4. uti gnarus hiſtoricus, accurate aperit . Sed alii aliter ea tradunt , quae Moſes non attigit . Etiam de ſuo peculio narrat Sibylla (apud Joſephum in I. antiq. 4.) ventorum miniſterio uſum Deum (*deos* Sibylla dixit , οἱ δὲ θεοὶ , non intellecta ſcil. Moſaica locutione , qua hîc plurativo numero Deum loquentem facit) his maxime verbis : *Cum omnes homines una lingua uterentur , altiſſimam turrim aedificare quidam coeperunt , velut per eam in caelum ſcanſuri* . οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμυς ἐπιπέμψαντες , ἀνέτρεψαν τὸν πύργον , καὶ ἰδίαν ἑκάςῳ φωνὴν ἔδωκαν . *At dii ventis immiſſis , turrim everterunt , & ſuam cuique linguam attribuerunt : unde urbi Babyloni factum eſt nomen* . Vnde hos ventos Sibylla hauſit ? An , ut Hebraice רוח *ruah* i. e. *ventus* ſive *ſpiritus* ad multa transfertur , ſic in hac hiſtoria narranda hanc poſtea Hebraei φρασεολογίαν ſortaſſe uſurparint , nim. *ſpiritus* linguarum immiſiſſe Deum ? An vero ſubeſt aliud divinius & ἱςορικώτερον ? Nempe ſicut in die Pentecoſtes Spiritus Sancti κατάβασις *deſcenſus* vehementis venti inſtar habuit , ibique linguas Apoſtolis multiplices infudit ; ſic in pari re , quando unum labium in plura partiendum fuit , non alio modo quam comite impetuoſiſſimo vento Dei deſcenſus atque ἐπιφάνεια ſe ſenſibus obtulit ? Nihil puto verius . Sic Jobum (XXXVIII. 1. & XL. 1.) Deus de turbine compellat ; nec ferme aliter ſe prophetis manifeſtum objiciebat, quam procella comitante . Vide Ex. XIX. 18. Num. IX. 15. 16. & III. Reg. XIX. 11. Ezech. I. 4.

At

At Sibylla, harum Scripturarum rudis, turrim everſam (quo enim niſi ad turrim evertendam procellam immiſſam crederet ?) non juſſo divino, ſed turbini divinae praeſentiae comiti, tribuit.

AD GEN. XI. 9.

Et idcirco vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſae terrae] De πολυφωνίᾳ iſta concinit Sibylla, cujus verba protuli proxime ad v. 7. Fruſtra autem ſe fatigant interpretes ut Babelis etymon Hebraicum aſſignent, cum nullum in ea lingua ſit. Nec audiendus eſt Grotius hîc qui id nomen ex lingua primigenia ſervaſſe nobis Moſem putat. An vero ante confuſionem, quando adhuc primigenius ſermo uſurpabatur, id nomen fuiſſe inditum ad notandum id quod poſtea eventurum eſſet, exiſtimabimus ? Nam niſi ſic ſe res habuit; nihil cauſae erit, cur ex primitiva illa lingua urbi huic nomen quaeſitum fuerit, quae princeps lingua, ſi Grotio credimus, in illa συγχύσει periit. Atqui res ſic ſe habet. Cum Divinus Scriptor locum appellatum *Babel* affirmat, non illo ipſo temporis articulo, nec ab omnibus Noachidis in eam appellationem convenientibus id factum ait: imo contra procedente tempore ab iis qui ei loco haeſerunt, nomen illud inditum, in veteris ſcil. facti memoriam, omnino crediderim. Ergo non in alia dialecto quam Babylonica ejus nominis etymon quaerendum eſt. Chaldaice autem בלבל *balbel* eſt *confundere* (ut patet ex Targum hîc & alibi) unde extrito priore ל venit *Babel* : quod nomen Graeci ſic emolliverunt, ut ex Chaldaico *Babel* (nam ſic quoque apud Danielem, ubi is Chaldaice loquitur, ſcribitur) Βαβυλῶν facerent. Praeter autem LXX (apud quos ſemper pro *Babel* Βαβυλῶν ponitur) etiam vetus Aſſyriacorum ſcriptor Abydenus apud Euſeb. IX. Praep. 14. diſerte ait, *primos illos homines* (Noachidas ſcil.) *vertiſſe ſe ad celſam turrim ſtruendam, ubi nunc Babylon eſt* (ἵνα νῦν Βαβυλών ἐςι) *id poſtea Divina vi opus disjectum, ruinis autem BABYLONIS NOMEN impoſitum* (ἐρείπια λέγεσθαι Βαβυλῶνα).

AD GENESIS CAP. XII.

AD VERS. 6.

Chananaeus autem tunc erat in terra] Hebraicum אז *az* non raro ſumitur pro מאז *meaz*, quaſi dicas, *ex tunc*, ſive potius (uſu Latino) *jam tunc*. Si quaeris ergo quid miri hîc afferat Moſes (ubi ſcil. in terra Chanaan h. e. Chananaeorum tunc *Chananaeum* fuiſſe docet) reſpondebo nullam hîc eſſe περιεργίας, neq. hunc eſſe pannum poſteriorem aſſutum. Rem enim ita ſe habere puto. Supra capite X. a verſu 15. ad 20. inter undecim Chanaanis filios nulla Chananaei mentio facta erat: nec immerito, cum illi undecim omnes Chananaei eſſent, quippe ex Chanaane orti. At ſequentib. temporibus fuiſſe unum ex Chanaanitidis populis, qui peculiariter Chananaeus diceretur, tum hinc conſtat, tum etiam ex cap. ſeq. ver. 7. ubi poſt memoratam paſtorum rixam, ait ſcriptor: *Eo autem tempore* (quo Abram ex Aegypto redierat) *Chananaeus & Pherezaeus habitabant in terra illa*. Vide ad eum Gen. locum. Cum autem ex cap. X. peculiaris aliquis Chananaeus ἀνέκαθεν non fuiſſet; quaeri haud immerito a Moſe poterat, quando *Chananaeus* proprie dictus eſſe coeperit, & ubi conſiſteret. Vtrumq. hîc Propheta docet, nim. peculiaris Chananaei appellationem paullo ante Abrami in Chanaanitidem adventum

tum ortam, loca vero Chananaei fuiſſe circa Sichem circaque Convallem illuſtrem, quae Abram primo adventu tenuit. *Chananaeus*, ait, *tunc erat in terra:* ſupple *illa* ex uſu Scripturae. Ac tanti ſane haec Moſi adnotatio viſa (ſicuti re vera fuit) ut abſque illa miraculo eſſe potuerit, unde poſtea peculiaris neſcio quis Chananaeus exortus eſſet, cujus nulla in Moſaica Chanaanitidis deſcriptione chorographica cap. X. a ver. 15. ad 19. vola neque veſtigium fuerat.

Quod ſi quaeras, cur Chananaeus peculiaris populus eſſe coeperit: poſſum conjicere, id eſſe factum, ut tribuum numerus duodenarius [qui numerus in tribubus conſtituendis apud Orientales [1] uſitatiſſimus erat] ſibi conſtaret. Etenim ex Gen. X. a ver. 15. ad 18. apparet Chanaanem undecim habuiſſe filios, per quos *diſſeminati ſunt populi Chananaeorum*. Pro *Populi*, in LXX eſt φυλαὶ i. e. *tribus*. Has autem non duodecim [pro more Orientis] fuiſſe oporteret, ſed undecim, ſi quidem ab undecim illis capitibus propagatae fuerint. Quare videtur ex iis capitibus undecim fuiſſe unus, ex quo duo orti [*Chananaeus* nim. & alter incognitus] numerum duodenarium abſolverint tribuum. Ac ſuſpicor, Chananaei Pherezaeum loco fratris habitum, quia hi duo juxta metati fuerunt, uti conſtat ex Gen. XIII. 7. quem locum conferas cenſeo. Chananaeus ergo cum Pherezaeo videntur duodenarium tribuum numerum explevisse.

AD GENESIS CAP. XIII.

AD VERS. 7. 8.

8. *Vnde & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot. Eo autem tempore Chananaeus & Pherezaeus habitabant in terra illa*] *Chananaeos* hîc ἰδιολέκτως & ſtricte dictos, intellige, non qua nomen eſt populis pluribus ex Chanaane ortis, ac Pherezaeis etiam commune: de quo ad XII. 6. dixi. Ceterum haec προπαρασκευῆς loco Moſes inſeruit ad id quod poſtea ſequitur, nim. Lothum inter Pherezaeos in Sodomitide, Abramum vero inter Chananaeos habitaſſe. De Abramo non eſt dubium ex verſu 12. ubi dicitur, *Abram habitavit in terra Chanaan* ſive *Chananaei*. Ex quo ſequitur, Lothum inter Pherezaeos conſtitiſſe, & Σοδομίτῃ eo tempore fuiſſe a Pherezaeis tentam. Et ſane ſi *Pherezaei* nomen, ut Hebraice ſcribitur, appellative ſumas, *paganum* ſignificat, ſeu eum populum qui vicatim habitaret: nam פרזי *pherazi* eſt *vicanus* ſeu *paganus*. Vide in noſtris Tyrrhenicis, ubi de PERVSIA. Talis erat populus Pherezaeus, qui quod regionem Sodomiticam vicis frequentiſſimam incoleret, ab eo id nomen ſibi quaeſivit. Ezechiel XVI. 46. 48. 53. 55. *filiarum* [i. e. vicorum] *Sodomae* meminit. Stephanus in Ἐγγαδα, hanc fuiſſe ait vicum prope Sodomam. Idem τὰ

(1) Memini me alicubi collegiſſe aliquot Orientis populos ex tribubus XII. collectos (exemplo nim. Iſraëlitici populi) quos nunc fruſtra quaero. Arabas in tribus XII. fuiſſe diſcretos; idq. ab Iſmaële inductum conſtat: de quo dicam ad Gen. XXV. 16. Tyrrhenos etiam notiſſimum eſt ex totidem tribubus conſtitiſſe. Atqui Tyrrhenos non aliunde quam a Chananaeis (quorum Tuſci ἀπόγονοι fuere) id inſtitutum didiciſſe neceſſe eſt. Chanaanitas autem, de quibus quaerimus, in tribus fuiſſe diſtinctos, LXX ſenes Gen. X. 18. docuerunt: *καὶ μετὰ τῦτο διεσπάρησαν αἱ φυλαὶ τῶν Χαναναίων*; *Ac poſt id tempus diſperſae ſunt tribus Chananaeorum*. Numerus non exprimitur, quia moris erat, ut eſſent XII.

Digitized by Google

Ζόαρα [quae eſt *Segor*] appellat *vicum magnum* &c. *quo Lot a Sodomitica clade receptum habuit* : quae ethnicographus ille ex Joſepho habuit . Porro ſi *Segor* (una ex quinque civitatibus) vicus Stephano dicitur ; non dubito , quin & ceterae urbeculae , quae in illo incendio conflagrarunt , item פרזות *pherazoth* i. e. *vici* vocari potuerint , ac Sodomae *filiae* , uti Ezechiel appellat . Ac Moſes quidem praecipuos magnos pagos enumerat , qui cum Sodoma matre arſerunt . Haud tamen abſurdum erit ſuſpicari , fuiſſe & alios minores vicos Sodomae attributos . Stephanus in Σόδομα hanc fuiſſe ait metropolim τῶν δέκα πόλεων τῶν ἐν τῇ Ἀσφαλτίτιδι λίμνῃ καταστραφεισῶν , *decem urbium* (ſed vicos decet intelligere) *in Aſphaltitide palude ſubverſarum* . At Strabo urbes illas tredecim fuiſſe prodidit . Equidem ſcriptores iſtos ſic cum noſtro Legislatore compoſuerim . Ex mente Moſis praeter Sodomam tres alii vici magni [qui & urbes vocantur] arſerunt ; nam Segor evaſit calamitatem . At arſere & alii minores (quos utpote exiguos Legislator praetermiſit , cui propoſitum erat eos pagos dumtaxat recenſere , qui *urbes* dici potuiſſent) arſere ergo & minores ; ita ut ſimul omnes ſive decem ſive tredecim fuerint . Nam ſcriptores alii contrahunt locorum numerum , dum magis ἀξιολόγους recenſent , alii plus minuſque augent , prout minores villas addunt aut detrahunt . Haec eo pluribus dixi , ut appareat , cum omnis haec Sodomitica regio vicatim incoleretur ; merito incolas *Pherezaeos* i. e. *vicanos* fuiſſe appellatos . Sic Athenienſes vicatim prius habitaſſe , quam Theſeus eos in urbem ſimul unam cogeret , Plutarchus & alii prodiderunt . Ex hactenus dictis intelligis , *Pherezaeum* (qui Latinis *Vicanum* ſonat) re vera in Sodomitide vicatim ac ſparſim habitaſſe : ex quo facile eſt intelligere, Pherezaeos non ex parente id nomen conſecutos (nec enim cap. X. 15. & ſeq. inter Chanaanis filios proditur *Pherezaeus*) ſed ex eo quod diſperſi per pagos incolerent .

Eo autem tempore Chananaeus & Phaerezaeus habitabant in terra illa] Qui verba praecedentis capitis verſu 6. [*Chananaeus autem tunc erat in terra*] ad Eſdrae aut alterius additamenta referunt , videant quid ſibi de his verbis ſtatuendum putent , quae certum eſt Moſem auctorem habere . Atqui ſic ſe res habet . Chananaeus ſic circa Sichem ſubſtiterat , ut ad Bethel & Hai uſque h. e. ad Pherezaei limitem pertineret . In his ergo locis, ubi primum Abram & Lot metati fuerant , ibi utriuſque illius populi (Chananaei & Pherezaei) limes fuit . Si quaeras unde Pherezaeorum haec nova tribus exorta fuerit ; praeter ea quae in ſuperioribus dicta, reſponderi & illud poteſt, ſicuti duo Joſephi filii, Ephraim & Manaſſes , totidem tribuum anctores exſtiterunt ; ſic forte unum ex illis undecim liberis Chanaanis cap. X. deſcriptis ſuſcepiſſe duos aut plures filios novarum tribuum auctores . Quo minus mirabimur , ſi aliis tribuum Chanaanitidis abolitis nominibus , alia ſuccreverint ; veluti Gen. XV. 19. *Cinaeorum* & *Cenezaeorum* & aliorum non ante memoratorum fit mentio . Et hi ergo , & Chananaei proprie dicti non ἀμέσως Chanaanis filiis , ſed nepotibus ortum debent .

Ver. 7. *Vnde & facta eſt rixa inter paſtores gregum Abram & Lot* . . . . , Ver. 8. *Dixit ergo Abram ad Lot* : *Ne quaeſo ſit jurgium inter me & te* , *& inter paſtores meos & paſtores tuos*] Pro *Rixa* in Hebr. eſt ריב *Riv*. Deinde pro *Jurgium* eſt derivatum a *Riv* , nempe מריבה *Merivah* . Hinc vides , non aliunde quam a Tyrrhenis in Italia ortum fuiſſe nomen *RIValium* , h. e. proprie eorum

qui

qui propter viciniam aſſidue jurgarentur, ſive aquandi cauſa, ſive paſcuorum & ſimilium. Imo cum aquatio praecipuus fomes rixarum eſſet, inde fluentis, quia contentionum fomenta eſſent, Tyrrhenicum ex Hebraeo *RIVerum* nomen impoſitum. Verum de his infra ad Gen. XXVI. 20. longe plura.

AD GEN. XIII. 9.

Si ad ſiniſtram ieris, ego dexteram tenebo: ſi tu dexteram elegeris, ego ad ſiniſtram pergam] Cum Hebraice תימן *theman* (quod a ימין *jamin*, i. e. *dextera* derivatur) *meridiem* ſignificet; non eſt dubium, quin *dextera* hîc *meridiem* notet. Ac revera ad orientem ſolem obverſis (quem cardinem Hebraei in religionis actibus praecipue ſpectabant) dextrum latus meridies tenebat. Data ſibi hac optione, Lothus dexteram ſibi elegit, Abram ſiniſtram; quia Sodomitica regio erat νοτιωτέρα (*magis auſtralis*) quam Chananaei terra, in quam ſe Abram recepit.

AD GEN. XIII. 10.

Vidit omnem circa regionem Jordanis, quae univerſa irrigabatur, antequam ſubverteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut paradiſus Domini, & ſicut Aegyptus venientibus in Segor] Longe alius hujus regionis habitus erat ante Sodomiticam conflagrationem, & antequam Jordanes in altiſſimam foſſam (tunc ſcil. ex diutina bituminoſae terrae conſumptione depreſſam) incidens, ibique reſtagnans, ut *mare mortuum*, ex ſua foeditate notiſſimum, ibi coiret, effecit. Ac de ſqualore quidem, qui Moſaicis temporibus Sodomitidem infuſcabat, utpote omnium oculis tum expoſito, ne verbum quidem Moſes hîc allinit, totam hiſtoriam cap. XIX. 24. narraturus: ſed tantum ſtatum temporis ſui cum priſtino ſtatu confert. Solent hoc facere melioris notae (1) hiſtorici in ſimilibus locorum calamitatibus, ut cum poſteriore foeditate priores regionis delicias comparent: id quod Moſes hîc graphice praeſtitit. Nam Jordanicam regionem *paradiſo Domini* parem facit (h. e. ſive horto Edenico, ſive delicioſiſſimo cuique alteri, qui praeſtantiae ſuae cauſa more Hebraico a *Deo* ſibi nomen adſciſceret) deinde eamdem Jordanicam cum Aegypti parte Segori proxima confert. Si quaeras igitur, in quonam vetus praeſtantia illius agri conſiſteret, quae poſtea deperiit; cum Moſe reſpondeo, praecipue in irrigatione camporum [*univerſa*, inquit, *irrigabatur*] fuiſſe poſitam, ſine qua cultus inutilis evaſiſſet. Sicuti in Aegypti parte illa, quae *Segori* (2) h. e. Jordanicae regioni, contigua erat, paſſim ductus canalium in interiora camporum deducebantur, quae vetuſtas vocabat *Incilia*, de quibus JCti veteres te plura docebunt. Ab his porro rivulis ſiphones congruis locis diſpoſiti exſuctas aquas in deſtinata conceptacula jaculabantur; quibus aquis ſata quaevis ſitibunda madefierent. Canales iſtos circa Nilum maximo in uſu fuiſſe, nemo ignorat: eamque puto fuiſſe cauſam ut *Nili* vocarentur. De ſiphonibus autem alibi

(1) Locorum ſimilium affatim fore non dubito. Interim non abſimile eſt illud Taciti in IV. Ann. 67. Ibi Caprearum, quo ſeceſſit Tiberius, amoenitatem deſcripturus, ſic incipit: *Caeli temperies hyeme mitis, objectu montis* (h. e. promontorii Surrentini) *quo ſaeva ventorum arcentur: aeſtas in Favonium obverſa, & aperto circum pelago peramoena; proſpectabatque pulcherrimum ſinum* (Tiberii tempore pulcherrimum, non vero ſcriptoris) *ANTEQVAM VESVVIVS MONS ARDESCENS FACIEM LOCI VERTERET*.

(2) Ex tota Pentapolitana ſive Jordanica regione ſola Segor, Lothi gratia, non arſit. Quocirca quia Moſis aetate ea una ſupererat; ejus unius nomine Pentapolitana regio deſignatur.

plura adnotaſſe memini : de quibus praeter dicta ad Tabulas Tyrrhenicas Iguinas [nam Tuſcis maximo in uſu fuere] nonnulla in ima (3) ora ſubjeci . Spectavit igitur hîc Moſes ad Jordanem olim humectantem rigantemque campos, ejuſque ad pabula pecorum, & ad ſata laetiora efficienda opportunitatem : quae diu antequam Moſes haec ſcriberet , deperierat , tum ſcil. cum regio illa flagravit . Ac poſtea deſidente, conſumpti bituminis causâ, ſolo, Jordanes nactus depreſſiores terras , metam ibi curſus ſui ſtatuit , ibique *mari mortuo* peperit nomen .

AD GENESIS CAP. XIV.

AD VERS. 1. 2. 4.

1. *Factum eſt autem in illo tempore ut Amraphel rex Sennaar , & Arioch rex Ponti , & Chodorlahomor rex Elamitarum , & Thadal rex Gentium* , 2. *Inirent bellum contra Bara regem Sodomorum , & contra Berſa regem Gomorrhae , & contra Sennaab regem Adamae , & contra Semeber regem Seboim , contraque regem Balae , ipſa eſt Segor* . . . . 4. *Duodecim enim annis* &c.

Ordior a v. 4. ubi cauſa belli exponitur: *Duodecim enim annis* [hi Pentapolitani reges quinq.] *ſervierant Chodorlahomor*, & *tertiodecimo anno receſſerunt ab eo*. Quocirca anno XIV. ſubacti armis quatuor foederatorum fuerunt. Singulae, uti vides, Pentapoleos civitates ſuos habuere reges. Et hoc Heroicorum temporum conſuetudo tulit , uti ex Homero conſtat , qui ſingularum urbium Βασιλεῖς & ἄνακτας paſſim commemorat . Confirmat hoc auctoritas Dionyſii Halic. lib. V. antiq. Roman. Κατ' ἀρχὰς μὲν γὰρ ἅπασα πόλις Ἑλλὰς ἐβασιλεύετο . *Principio ſingulae Graecorum urbes ſuis regibus ſubjiciebantur* . Et Pauſanias in Boeoticis Plataeenſes olim ſuos habuiſſe reges inde colligit , quod ſingulae olim Graeciae civitates ſuos reges haberent , nondum democratica forma reip. conſtituta . Poſtremo & Ariſtoteles urbes antiquitus ſingulas totidem regna fuiſſe ait ; poſtea vero , ubi plures civitates ſub uno principe coiviſſent , regna fuiſſe non tam urbium ſingularum , quam totarum nationum . Ea mens eſt horum Stagiritae verborum . Διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις , καὶ νῦν ἔθνη· ἐκ βασιλευομένων γὰρ συνῆλθον . Tale fuit & Thebanum ſeptem regum bellum , quo Hypothebas everſas Homeri Scholiaſtes tradidit ad Catalogi ver. 12.

At ſi quinque Pentapoleos urbes ſingulae ſingulos habuere peculiares reges ; non poſſumus tantumdem de regibus quatuor prioribus praeſtare , ut eos oppidis ſingulis praeponamus. Et ceteroqui illi quatuor non ex vicina Pentapoli coiverunt, ſed de longinquo profecti , arma victricia longe lateque circumtulerunt . Primi quidem

(3) Iſidorus XX. 6. *Siphonis* uſum Orientalibus tribuit . *Vtuntur hoc* , inquit , *Orientales* . Quocirca non mirum ſi etymologia ſit mere Hebraica a צוף *ſuph* , quod eſt *exundare* ; nam emboli compreſſione efficitur , ut aqua , quâ ſibi data porta , exundet & in ſublime effundatur . Ob eam cauſam non tantum in incendiis extinguendis valet (quod ibidem Iſidorus , Plinius jun. Heſychius & alii antiqui notarunt) ſed & ubicumque aquas in ſuperiora ictu oculi deportari oporteat . Nec dubito quin totus Oriens uſus opportunitate Siphonum , in hortorum & ſatorum cultura impenſe profecerit . De Siphonis uſu videndus & Plinius II. 65. ubi loquitur de aqua in ſummis montium jugis erumpente . *Siphonum* , inquit , *modo emicat* .

Digitized by Google

quidem regnum notiſſimum eſt : *Amraphel*, inquit, *rex Sennaar*, illius ſcil. in qua Noachidae civitatem & turrim aedificare coeperunt, hoc eſt Babyloniae: de quo ſup. ad cap. XI. 2. Errant enim qui *Sennaar* iſtud confundunt cum *Singara* Meſopotamiae Tigri appoſita; quia ex Dan. I. 2. vaſa Templi *in terram Sennaar* deportata dicuntur, quae aliunde conſtat in Babyloniam avecta. Sed & Hiſtiaeus apud Joſephum I. Ant. 5. & Euſebium Σεναὰρ τῆς Βαβυλωνίας (*Senaar Babyloniae*) aperte vocavit. Abſtineo pluribus. Amraphel ergo iſte in Babyloniae regno videtur Nemrodo illi gentium domitori dandus ſucceſſor. Anni paullo plus trecenti a Nemrodi initiis ad hanc expeditionem effluxerant.

De Amraphelis ergo dominatu Babylonico, ſicuti & de Elamitico, itemque Pentapolitano Chodorlahomoris, non eſt dubitandum quin fuerint ἀξιόλογα imperia. Ejusdem modi & ceterorum duorum fuiſſe videntur. Sed praeſtat in ea inquirere, utrum conceptae de ſe exſpectationi reſpondeant, an vero fuerint urbium ſingularium ab unoquoque poſſeſſarum, non autem regnorum vocabula.

Ac primum Arioch in Hebraeo, & in LXX. & Onkelo *rex Ellaſar* olim ab initio dicebatur. At poſtquam exortus eſt Symmachus, qui *Ellaſar* in *Ponto* agnovit, & Ariochum regem Ponti ſalutavit, idque etiam Hieronymus in ſuam Vulgatam intulit; ex illo tempore jam pro *Ellaſar* hîc *Pontus* (notius nempe nomen) locum ſibi arrogavit. Atque equidem adeo Symmacho non iraſcor, quod ita verterit, ut gratiam potius habeam; cum ex hoc interpretamento id commodi capiam, nim. *Ellaſar* Ariochi regnum in eadem Babylonia fuiſſe, in qua & *Sennaar* Amraphelis principatus fuit. Vtrumque ergo in Babylonia fuit. Nam *Sennaar* in Babylonia fuiſſe, ex Targumim diſcimus. Cumq. ex iisdem diſcamus idem *Sennaar* etiam (1) פנטוס *Pontos* fuiſſe dictum; jam hoc adipiſcimur, fuiſſe *Pontum* Babylonicum quemdam. Id vero aſſecuti, jam & hoc praeterea ex Symmacho diſcimus (cui aſſentitur Hieronymus) nim. in hoc eodem *Ponto* etiam Ariochi regnum eſſe quaerendum. Non ergo injuria Moſes reges hos duos ſimul junxit, quippe qui ambo in eodem Babylonico Ponto regnarint.

Sequitur, *Et Chodorlahomor rex Elamitarum*] Elamitarum imperium, quod huic obtigit, minus tunc quam poſtea (quando ſcil. Elam Perſidem continebat) patuiſſe non dubito. At quantumcumque ex eo detraxeris, magnum tamen primis etiam temporibus τῷ *Elam* nomen fuit.

Et Thadal rex Gentium] Hebraeum גוים *Goim*, LXX ἐθνῶν, Hieronymus *Gentium* fide ſumma verterunt. Ac mirer equidem ſi *Thadal* (qui tamen in LXX eſt Θαργὰλ) homines pro urbibus loco regni habuerit. An quia *Thadalis* metropolis ex variarum gentium colluvie principio frequentata fuit (nam & hoc ipſum initium Romae clariſque aliis civitatibus fuiſſe traditur) idcirco manſit, ut *Rex gentium* vocaretur? Adhaec nota eſt ex Evang. *Galilaea Gentium*. Quae provincia, ſi queat oſtendere, ſe jam tum ex Abrahamicis temporibus eodem *Gentium* additamento fuiſſe exornatam, non morabor eam Thadalis regiam proclamare. Et tamen viri

(1) Quotieſcumque occurrit in Hebr. שנער *Sinhar* (in Lat. Vulg. *Sennaar*) id nomen in Graecis Bibliis aut retinetur integrum, aut redditur Βαβύλων, aut Βαβυλωνία. At ſi de Paraphraſtis agitur; Onkeloſo quidem *Sinhar* ſemper vertitur בבל *Babel*, h. e. *Babylonia*: at Jonatham & Hieroſolymitanus modo itidem *Babel* interpretantur, modo פונטוס *Pontos*. Verbi cauſa Gen. XI. 2. *Et invenerunt vallem in terra Sinhar*: pro quo Hieroſolymitanus, *In terra* (פונטוס) *Pontos*. Itidem alibi.

viri in hoc ſtudio ſummi eo lapſi fuere, ut *Galilaeam gentium* Thadali huic aſſignarent. Verum quanto Symmachus excuſabilior, qui prope Ciliciam nactus regionem quamdam, cui *Pamphyliae* nomen fecit antiquitas (ex eo credo ſic dictae quod ex gentium colluvie principio coaluiſſet) in hanc Thadalem hunc regnaturum amandavit. Nam Procopius Symmachum hîc ita interpretatum docet, *Βασιλεὺς Παμφυλίας*, *Rex Pamphyliae*. Tamen non excuſatione ſolum, ſed & laude etiam forſan mihi dignus videtur hic noſter interpres. Nec enim Pamphyliam uti nomen proprium Aſiaticae regionis uſurpavit, verum tamquam appellativum loci cujuslibet, cui convenarum univerſi generis concurſus initium nomenque dediſſet. Itaque τὸ Παμφυλίας pari loco habuit, ac ſi dixiſſet *πάντων τῶν φυλῶν*, ſive (qua voce LXX utuntur) ἐθνῶν. Nec ea interpretatio a Symmachi ingenio abhorret. Quantum enim Aquila, quia preſſior litteraeque tenacior, ingenio ſuo ſervili diſplicuit, tantum Symmachi (ſententiae, non voculis adhaereſcentis) libertas reperit amatores ſuos. Sed eo redeo: *Pamphylia* non uti proprium, ſed uti appellativum nomen excogitatum a Symmacho fuit, uti aptius illud גוים *goim* (ἐθνῶν) exprimeret. Excogitatum dixi, quia exemplis vocis *παμφυλία* caremus. At a *πάμφυλος*, quod (2) exſtat, *ἀναλογικῶς* vocem appellativam *παμφυλίας* edi licuit, obſtetricante Symmacho. Poſtremo quod τὸ *παμφυλία* Symmachus non aliud intellexerit, quam τὸ *πάμφυλον πλῆθος* (*collectitiam multitudinem*) Hieronymus ipſe oſtendit, qui Symmachum ſecutus in *Ellaſar* (quod cum illo *Pontum* reddidit) mox in Παμφυλία non eſt ſecutus, ſed illius vocem appellativam ratus, optime vertit *Gentium* cum Hebr.

AD GEN. XIV. 10.

Vallis autem ſylveſtris habebat puteos multos bituminis] Hebraice: *Vallis autem Siddim* erat (בארת בארת חמר, *beerot beerot chemar*) *putei putei bituminis*. Sicuti apud Marcum VI. 40. *πρασιαὶ πρασιαὶ*, *areolae areolae* h. e. *per contubernia* diſcumbunt. Haec enim Hebraice vis eſt geminati nominis; ſicuti *Iſh iſh*, *vir vir* idem quod unuſquiſque. Ad puteos bituminis quod attinet; ſimilis eſt ſignificatio Tuſci nominis *Puteolorum*: nam ut alicubi in meis MSStis auctariis ad Tuſcas origines demonſtratur, *Pute* (שלים) *olim* idem eſt quod *putei ſucconſi*, puta, ſulphure.

Itaque Rex Sodomorum & rex Gomorrhae terga verterunt, cecideruntque ibi] Pro *rex Sodom. & Gomor.* accipe exercitus ab iis ductos. Nam τὸ *ceciderunt* non de ductoribus intelligendum eſt, ſed de copiis quas ambo ductabant. Rex certe Sodomorum adeo non in pugna ceciderat; ut infra ver. 17. in occurſum Abrahae victoris proceſſerit. Vide ver. 17.

AD GEN. XIV. 13.

Nuntiavit Abram Hebraeo] Nunc primum *Hebraei* nomen auditur. Cur porro Abram, & ex eo Abrahamidae, *Hebraei* dicti fuerint, omni tempore diſceptatum fuit. Sed hodie in id ferme inter eruditos convenit, ut credant non eſſe

(2) *Pamphyliae* vox ſicuti in Geographia notiſſima, ita notione appellativa non invenitur, quod ſciam. At quis Symmachum prohiberet, quin a *πάμφυλος* excuderet *ἀναλογικῶς* nomen *παμφυλίας*? Nam *πάμφυλος* iſtud reperio in Machabaico altero VIII. 9. *ὑποτάξας παμφύλων ἔθνη οὐκ ἐλάττους τῶν δισμυρίων*. In Vulgata: *Datis ei de permixtis gentibus, armatis non minus viginti millibus*. Adjectivum iſtud Ariſtophanes non dubitavit de feris uſurpare, *Παμφύλων θηρῶν*, h. e. *omnigeniarum ferarum*.

eſſe hoc ex Heber, uno Abrami majorum, *πατρωνυμικὸν*, ſed ex praepoſitione עבר *heber*, *trans*, derivatum, & eſſe communem appellationem eorum qui de regione trans Euphratem ducebant originem; ut Hebraeus idem ſit quod *tranſamnicus*. Nec tamen defuere nonnulli qui in tanto litterarum lumine in priore ſententia ſe obfirmarint, ut Stephanus Morinus in *De lingua primaeva*. Fruatur opinione ſua. Verum ex iis quae ad finem diſſertationis ejus, quam ad Gen. XLIII. 32. paratam habeo, diſputabimus, quaeſtionem hanc plane jam profligatam cenſeo, nec poſſe adhuc dubitari quin vox Hebraea ita univerſe *Tranſamnicum* deſignet, ut ea vox in Chanaanitide Tranſeuphratenſem, in Aegypto vero Tranſnilanum notet. Vide ibi dicta; non enim dubito, quin priorem opinionem, quae Hebraeorum appellationem a remoto nimis patriarcha *ἀπροσδιονύσως* deducit, faceſſere jubeas; ſimulque late patentiorem, quam hucuſque perſuaſum fuit, ſignificationis ambitum *Hebraei* vocabulo tribuas, ut ad aliorum etiam ἀξιολόγων fluminum *περάτας transſitores* porrigatur.

AD GEN. XIV. 14.

Numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo] Apud Martialem *vernaculus* eſt ſcurrilitatis nomen: ſed in Gloſſis Οἰκογενὴς eſt *Verna*, *vernaculus*, *domi natus*; ex quibus Gloſſis patet recte hic pro *verna* dici *Vernaculus* ſubſtantive; ſicuti etiam in antiquiore Italica verſione apud Hieronymum legebatur. Sed nihil luculentius auctoritate Capitolini Macrino cap. 13. *In vernaculis*, *vel aulicis* &c. quos ſtatim eadem periodo *vernulas* appellat. Scaliger quidem *vernulis* apud Capitolinum legebat pro *vernaculis*. Sed cui bono? nam & vulgata Scripturae interpretatio, in qua ſaepius ea vox reperitur, documento eſſe poterat, quid Scriptori aevi Conſtantiniani Capitolino licuiſſe potuerit. Atque haec mere grammaticalia.

Nunc verbum unum de vernarum Abramicorum numero adlinam. Nec enim eripi mihi hoc poſſe patiar, quin ſtrenuiſſimi propugnatores iſti (quorum numerus CCCXVIII. tam accurate a Moſe notatur, ut res non videatur vacare myſterio) per quos tam opima Abramo parta victoria de hoſtibus fuit, typus extiterint illorum totidem, ne uno minus, fortiſſimorum τῦ ὁμουσίυ (*conſubſtantialitatis* Chriſti) in Synodo Nicena defenſorum: per quos Diaboli ſatellitum quanti maximi in Chriſtum ejuſque Eccleſiam impetus compreſſi fuerunt. Equidem poſt pacem Eccleſiis datam non puto illuſtriorem aliam de Diabolo victoriam fuiſſe relatam. Proinde ſicuti in Chriſti Eccleſia maximo in honore fuere ſemper hi (3) CCCXVIII. duces habiti; congruum Deo viſum fuit ut totum

(3) Maximo ſemper in honore CCCXVIII. Patres Nicenos fuiſſe habitos, ex eo conſtat, I. quod in Eccleſiaſticis Graecorum libris extat horum Epiſcoporum ſive feſtum ſive commemoratio; nec enim memini. II. Adhaec in Ambroſii l. de Fide ad Gratianum c. 9. eo num. Chriſti Crux adumbrata dicitur. *Crux*, inquit, *in trecentis*, *Jeſu nomen in decem & octo eſt ſacerdotibus*. Quod eget interprete. III. Poſtremo quod aevo medio inter Chriſtianas exſecrationes, erat illa maxima, qua ex CCCXVIII. Nicenis Patribus anathema intorquebatur. Atque illud putatur antiquiſſimum generis hujus diploma, quod ab Vghello tom. 2. col. 104. ed. 1. refertur ad ann. 752. pertinens. *Siquis* (ait Stephanus Papa III.) *praeſumpſerit hoc* . . . *conſtitutum in aliquo transſgredi* . . . *ſciat ſe auctoritate beatorum Petri & Pauli* . . . *& CCCXVIII. Patrum anathematis vinculis innodatum*. Sunt & aliae membranae plurimae, in quibus idem hoc legitur; ſed illam non omittam quae inter alias ineditas ipſa quoque inedita adſervatur in archivo Capituli Neap. anno milleſimo centeſimo

tum hoc egregium Nicenae Synodi facinus tanto ante ſimili Abramicorum commilitonum CCCXVIII. victoriâ praemonſtraretur.

AD GENESIS CAP. XV.

AD VERS. 1.

Factus eſt ſermo Domini ad Abram . . . Noli timere Abram, ego protector tuus ſum] Vbi in Latino vox *Protector* eſt, ibi plerumque in Hebr. מגן *magen* i. e. *ſcutum*, in Graeco vero ὑπερασπιστὴς, h. e. *protector lateris* (1) ſive qui ſcuto protegit latus alterius, legitur. In Pſalmis ſupra ceteros libros perfrequens eſt *Protectoris* nomen, cui illae quas dixi voces, Hebraice Graeceque reſpondent. Atque in hoc Moſis loco e regione τῦ מגן *magen* (*ſcuti*) Graece legitur ὑπερασπίζω σου, & in vetere verſione apud Ambroſium: *Protegam te*. At in ceteris locis omnibus Hebraicum *Magen*, Graece ὑπερασπιστὴς, Latine *Protector* vertitur.

De duobus porro hiſce interpretamentis ſcire libet, ecquando ὑπερασπιστὴς in Graeca Biblia, tum ecquando *Protectoris* vox in Latina invaſerit. A Graeco incipio. Non alibi ὑπερασπιστὴς, quam duodecies quidem in Graeco Pſalmorum legitur, bis vero II. Reg. cap. 22. Ergo ejus vocis uſus in ſacra pagina non anteceſſit horum librorum Graecam translationem, quae haud paullo poſterior Pentateucho LXXvirali creditur. Neque eſt dubitandum, quin Graeci Bibliorum interpretes ex Regum (2) Alexandrinorum aula, cui (quippe Alexandrini ipſi) inſueverant, ſuum ὑπερασπιστῦ vocabulum hauſerint. Haec de Graeco nomine. De Latino *Protectore* nunc videamus, qui ubique in Latinis Bibliis e regione τῦ ὑπερασπιστῦ ponitur. Non uſurpata vox ea in Bibliis Latinis fuit ante vulgatam Pſalterii translationem, Hieronymianâ haud paullo antiquiorem. Sed quia in obſcuro eſt Latini hujus Pſalterii aetas; poſſumus hanc ex epocha *Protectorum* in aula Imperiali conjicere. *Protectorum ſchola* (uti vocant) ſub Gordiano (3) juniore primum

mo exaratâ. In fine ita ſcribitur: *Siquis . . . ea in quacumque re irrita vel bacua facere queſierit . . . ſub anathematis binculis ſit obligatus a trigentorum decem & octo Patrum parte, partemque abeat cum Juda traditore*. Ceteras omitto conſuetas diras. Ac memini apud Fabrettum unum aut plura hujus generis monumenta legiſſe.

Verum cum ante hos duos annos *Bonuſae* monumentum, quod antea plures ediderant, quam accuratiſſime in aere incidendum atque illuſtrandum curarit V. Cl. Matth. Jacutius Virginianus, ex eo tantum exſecrationem huc afferam: *Abeat anatema a Juda ſiquis alterum omine ſuper me poſuer anatemu abeas da* (pro *ab*) *treeenti decem & octo patriarche qui canones eſpoſuerun & da* (pro *ab*) *sc̃a X̃pi quattor euguangelia*. Ac ſane apud amicum vidi cum voluptate librum Jacutianum, refertum aevi barbari deliciis haudquaquam ſpernendis. Illud diſplicuit quod Bonuſae monumentum IV. aut V. ſaeculo tribuerit. At mirer ſi VIII. nonove aut decimo ſaeculo, quibus maxima barbaries graſſabatur, tale aliquid prodire potuerit, Romae maxime, ubi ſculpta ea tabula fuit.

Ad rem uti redeam, Patrum Nicenorum numerus memorabilior poſt Chriſtum fuit, quam ne SS. Patriarchis olim praemonſtraretur.

(1) Menander cognomento *Protector*, Mauricio Imp. aequalis, Imperialis aulae *Protectorem* Graece interpretatur τὸν βασιλείου προσπασπιστὴν h. e. *qui principis protegit latus*.

(2) Orientis reges primi omnium ὑπερασπισταῖς muniebant latus. De regibus Alexandri ſucceſſoribus res certa eſt, ac praecipue de Ptolemaeis aulae Alexandrinae principibus. Ariſteus ille, cui hiſtoria translationis LXX inſcribitur, unus ex ὑπερασπισταῖς Ptolemaei Philadelphi erat.

(3) De Gordiano juniore Cedrenus pag. 221. ſcripſit: ὃς πρῶτος ἐποίησε . . προτίκτορας. Qui

Digitized by Google

primum orta mihi videtur, h. e. poſt initia ſaeculi tertii. Quare colligere hinc poſſumus non ante hoc tempus Vulgatam Pſalterii, qua utimur, Latinam tranſlationem fuiſſe factam, ac facile medio ſaeculo III. quia in hac primum traductione *Protectoris* nomen in Biblia Latina invectum animadvertimus. Hieronymus enim, qui in hoc Geneſeos loco *Protectoris* nomen uſurpavit, plus integro ſaeculo poſterior Pſalterio Latino, quo utimur, fuit. Haec de Biblico *Protectore*.

Ceterum ex dictis patet, quam in partem ſit accipiendum, quod Graeci interpretes Deum ὑπερασπιστὴν appellent, Noſter autem *protectorem*. Non tam honorifici id tituli loco habuere interpretes, quam ut oſtenderent, quouſque ſe Deus ad commoda noſtra demiſerit. Ex quo autem vocabulum, mere antea miniſteriale, Deo tribui coepit; exinde & ad principes viros paullatim eſt propagatum. Nam poſteriore aevo ex aſſiduo Scripturae Sacrae uſu factum, ut vulgo crederent, *protectorem* tantumdem valere quod *patronum*, non animadvertentes in fonte Hebraico iis locis omnibus legi מגן *magen*, i. e. *ſcutum*, in Graeco autem ὑπερασπιστὴν i. e. *lateris protectorem*.

AD GEN. XV. 2. 3.

Ver. 2. *Dixitque Abram . . . Ego vadam abſque liberis, & filius procuratoris domus meae iſte Damaſcus Eliezer*. Ver. 3. *Addiditque Abram: Mihi autem non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus, heres erit*] Sermo interciſus & abruptus eſt: bis inceptus, nec unquam completus. Ad ſummam verba ſunt mutientis magis aut ſingultientis ex nimia reverentia, quam liberam vocem edentis. Atqui Deus cordis magis quam labiorum preces attendit: unde ſtatim in ſequentibus prolixae pollicitationes ſequuntur.

Tom. I. L *AD*

Qui primus protectores inſtituit. Ac tamen non defuere, quibus aut Gordiano antiquior, aut recentior viſa *Protectorum* inſtitutio fuerit. Sed neutris aſſentior. Spartianus quidem in Caracalla *Protectorum* meminit: ſed hic videtur ſuae aetatis vocabulum ad ſimilia prioris aetatis tranſtuliſſe. Nam in totis Tertulliani voluminibus nulla *Protectorum* eſt mentio, nec unquam, quod ſciam, Deus *protector* vocatur. At vero medio tertio ſaeculo, poſt Gordianum utique, Cyprianus id loquendi genus uſurpavit: cujus loca ſedulo a me olim collecta dabo. Is epiſt. 8. ait: *Protector fidei*. Sub idem tempus Cornelius (epiſt. inter Cyprianicas 48.) ſic protectores deſcripſit: *Ut ſcias quales duces & protectores iſte ſchiſmaticus & haereticus LATERI SUO ſemper junctos habeat*. Cyprianus vero epiſt. (52.) ad Antonianum ſic eorumdem munus eleganter delineavit: *Ipſe pro cunctis ad diſcrimen accedens, uxorem & liberos & domum totam periculi ſui perfunctione PROTEXIT*. Ergo ſub Decio jam protectores innotuerant. Sed & paullo ante ſub Philippis jam noti erant, quorum principatûs initio epiſtola Cypriani ad Donatum conſcripta fuit; in qua protectorum Principalium munus ſic graphice deſignatur: *Sit licet ſatellitum manu ſeptus, & clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur*. Hinc patet antiquiorem eſſe protectorum ordinem, quam pro Conſtantii Chlori aetate. Hoc eo dico, quia viri eruditi jactant ſe nihil antiquius exemplo Conſtantii Chlori reperiſſe, qui prius *Protector*, poſtea tribunus fuiſſe traditur. At tanto ante Cyprianus in modo cit. epiſt. ad Donatum protectores aperte deſcripſerat (*protectum*, inquit, *latus numeroſo ſtipatore tueatur*). Certe enim a protegendo latere dictos eſſe protectores probat lex 9. C. Theod. de dom. & protect. *Devotiſſimos protectores, qui . . . protegendi lateris noſtri ſollicitudinem patiuntur, unde etiam Protectorum nomen ſortiuntur, inglorios eſſe non patimur*. Ergo cum ſub Philippis Cyprianus protectorum munus tanquam rem uſitatam deſcribat; eo demum labimur, ut & paullo ante ſub Gordiano uſurpatos putemus. Immerito ergo facit, quisquis Cedreno ſupra laudato fidem derogat, *protectores* ad Gordianum Juniorem auctorem referenti.

Digitized by Google

AD GEN. XV. 5.

Suſpice caelum & numera ſtellas ſi potes] Plinius de Hipparcho nobili aſtronomo, qui plurimarum fixarum catalogum ſecundum longitudinem & latitudinem tranſmiſit ad poſteros, haec ait II. 26. *Auſus rem etiam Deo improbam, annumerare poſteris ſtellas, ac ſidera ad nomen expungere*; h. e. ſuo quamque ſtellam nomine appellare. Vide interim, quam abjecte ſenſerit Plinius de deo ſuo, quaſi qui non plane noverit ſtellarum numerum atque nomina. At redarguitur Pſalm. CXLVI. 4. ubi Deo peculiare id totum adſcribitur: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*. Vide dicta ad eum locum.

AD GEN. XV. 9.

Sume . . . vaccam triennem . . . turturem quoque & columbam] Vtrumque conjunctim hîc apparari vult, *turturem & columbam*. At in toto Levitico & Lucae II. 24. (ubi de Jeſu ſiſtendo ex praeſcripto Levitici agitur) ita de utraque avi offerenda agitur, ut disjunctive ſemper id jubeatur. *Duos turtures aut duos pullos columbarum*. Cur hoc diſcrimen? quia cum hoc Abramo praeceptum fuit, ver aut aeſtas erat, quando turtures ubique obvii capi facillime poterant. At in Levitico quia ſacrificia in quodlibet anni tempus praeſcribuntur, nec turtures ſemper praeſto erant, idcirco ita res tranſigitur, ut ſi *turtures* (qui priores ubique nominantur) hyeme abacti non compareant, tum loco turturum pulli columbarum aſſumantur. Hi enim utpote domeſtici, ſemper ad manus erant, cum contra illi inter aves migratorias numerentur. Vide Bochartum tom. 2. *de animal.* cap. 9. ubi ex Ariſtotele, Varrone, Tullio, Nyſſeno turtures inter volucres migratorias refert, quae ſtatis temporibus abeunt redeuntque.

AD GENESIS CAP. XVI.

AD VER. 2.

Dixit (Sarai) *marito ſuo: Ecce concluſit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios.*

Ingredere ad ancillam meam] Iidem mores heroicorum temporum ab Homero deſcribuntur, veluti Od. Δ. prope ab initio:

Ὅς οἱ τηλυγέτης γένετο κρατερὸς Μεγαπένθης
Ἐκ δούλης.
In ſenio cui ſerva parit fortem Megapenthen.

Exempla ſunt apud Homerum & alios ὅσα κόνις.

Si forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios] Hebr. אולי אבנה ממנה (*ulai ibbaneh mimmennah*) *ſi forte aedificer ex ea*, familiari Hebraeorum locutione, apud quos *aedificare domum* eſt liberos procreare. Hinc poteſt intelligi, quid ſit δόμος ἡμιτελής, *domus imperfecta*, quam reliquiſſe dicitur Proteſilaus, mox poſt ductam uxorem ad bellum Trojanum profectus, ut eſt apud Hom. in Catalogo v. 207.

Τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο,
Καὶ δόμος ἡμιτελής.
In Phylace at conjux malas laniata relicta eſt,
Et domus imperfecta.

Nam οἶκος eſt familia, quam *dimidiatam* ſive *imperfectam* ille reliquit, quia liberos ex ea non ſuſceperat, ut eſt apud veterem Scholiaſten ad eum locum. Eadem

dem eſt Catulli intelligentia epigr. 69. ad Mallium,

Conjugis ut quondam flagrans advenit amore
Proteſilaeam Laodamia domum
INCEPTAM fruſtra, nondum cum ſanguine ſacro
Hoſtia caeleſtes pacificaſſet heros.

Valerius Flaccus lib. VI. *Conjux miſeranda Caïco*
Linquitur, & primo domus IMPERFECTA cubili.

AD GENESIS CAP. XVII.

AD VERS. 5.

Nec ultra vocabitur nomen tuum ABRAM: ſed appellaberis ABRAHAM, quia patrem multarum gentium conſtitui te] *Ab-ram* (nomen vetus) eſt *Pater excelſus:* at *Abraham* ex tribus voculis viri docti componunt, nim. ex *Ab-ram*, i. e. *Pater excelſus*, (priſtino nomine) & ex המן *Hamon*, *multitudo*, *turba*. Ac ſane plenâ locutione המן גוים *Hamon goim* (quod hîc Hebraice legitur) eſt *multitudo gentium*. Quae biga nominum cum ex ore Dei profecta ſcribatur; pertinebit ad ultimam nominis compoſiti partem. Non reſpuo equidem etymologiam. Verum quid ſi paullo aliter formationem nominis expediamus? Nempe ut ſit ab *Ab*, *Pater*, & ab Arabica rad. רהם *rahama*. Arabicam voco, utpote Arabibus Syriſque uſitatam: ſed nihil vetat, quo minus Hebraeis etiam olim uſurpata (quamvis exempla in Scripturis deſint) & ab his ad Arabes traducta fuerit. Ergo Arabicum *rahama* (apud Golium & in Caſtelli Arabicis) inter cetera *copioſum numerum* notat: quod ex pluviâ tractum ſuſpicor, quia ea vox Arabice plerumque *pluere* ac *pluviam* ſignificat. Haec ſi placuerint; tum ὀνοματοθεσία loci hujus ita erit accipienda: *Sed*, inquit, *appellaberis Ab-raham* h. e. *Pater multitudinis*. At in eo quod ſequitur: *Quia* (אב המן גוים, *Ab hamon goim*) *patrem multarum gentium conſtitui te*: in his, inquam, ineſt tantum divina & quidem exacta nominis interpretatio, non item grammaticae etymologiae ratio. Nam ex רהם *raham* (quae eſt pars altera nominis) quo pacto *Patrem multarum gentium* expedies? Numquam certe, niſi ad Arabicum (olim Hebraeum) רהם *raham* recurreris.

AD GEN. XVII. 15.

Non vocabis Sarai, ſed Saram] Supra ver. 5. qui ante *Abram*, transnominatur *Abraham*: hîc τὸ *Sarai* in *Sara* vertitur: de qua mutatione plura alii. *Sarai* eſt *Domina mea*, *Sara* vero abſolute *Domina* redditur. Mutatio nominum a Deo facta, eſt epocha temporis novarum largitionum Dei. Judaeis femellis fuiſſe hoc ſaepe nomen impoſitum, ab iis ſaltem qui virtutibus ſanctae Abrami conjugis caperentur, non eſt dubitandum. Hinc factum, ut ex aſſidua Judaeorum conſuetudine etiam ad gentiles id nomen propagaretur. In lapide Patavino apud Gudium pag. 337. 7. ita legitur: T. Seniae. Renae. posvit. Sara. Praeterea Anonymus vitae Pythagorae *Saram* quamdam Pythagoricam memorat; ſed alii *Aeſaram* dictam volunt. Nam ex *Aeſarae Lucanae* libro de natura hominis fragmentum exſtat apud Stobaeum in Eclog. pag. 105.

AD GEN. XVII. 17.

Cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit dicens: Putes ne centenario naſcetur filius?] Ex riſu parentum (Abrahae hîc, Sarae cap. ſeq. ver. 10. & ſeq.) par-

 tum

tum *Iſaaco* nomen, quod Hebraice *riſum* notat. Hunc Graeci rerum Hebraicarum gnari (quibus in more fuit propria Hebraeorum nomina Graece reddere) Γέλωτα (*Riſum*) tranſnominarunt. Alex. certe Polyhiſtor in Euſebii Praeparatione ſic vocat.

AD GENESIS CAP. XVIII.

AD VER. 1. 2.

1. *Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo fervore diei. 2. Cumque elevaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum . . .*

Apparuit autem ei Dominus in convalle Mambre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo fervore diei] Hebr. באלני ממרא *beelone Mamre*, quod LXX πρὸς τῇ δρυῒ τῇ Μαμβρῇ h. e. *ad quercum Mambre* verterunt. Confer Euſebium lib. III. de vita Conſtant. cap. 51. 52. 53. & ibi Valeſium. Videatur & Sozomenus in II. Hiſt. cap. 3. Sane quod IV. ſaeculo monſtrabatur adhuc quercus illa quae Abramico Angelorum hoſpitio dignata fuit, ea tanta vivacitas credibilior (etiam citra miraculum) eſſet, ſi quercetum pro ſingulari quercu accipiamus. Porro hujus Geneſeos loci ſimilis eſt ille Livii III. 25. *Eos* (Romanorum legatos) *Aequorum imperator* (Gracchus Cloelius) *quae mandata habeant ab ſenatu Romano, ad Quercum jubet dicere, ſe alia interim acturum. Quercus ingens arbor praetorio imminebat, cujus umbrâ opaca ſedes erat* &c.

2. *Et cum vidiſſet illos* (hoſpites) *occurrit obviam illis* &c.] Deum in hoſpitum perſona reverebantur, nec difficile factu putabant, ut forte Deum ſub hoſpitum perſona latentem exciperent. Multa ſunt in Homero & Heſiodo ſimilia. Ambroſius de Abrah. cap. 1. n. 35. *Deinde qui ſcias an Deum ſuſcipias, cum hoſpitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hoſpitium, Deum atque Angelos ejus hoſpitio ſuſcepit. Quamvis & cum hoſpitem ſuſcipis, ſuſcipias Deum . . . dicente Domino Jeſu: Hoſpes eram & collegiſtis me . . . Quod enim uni horum feciſtis, mihi feciſtis.*

AD GEN. XVIII. 10. 11. 12.

Ver. 10. *Quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi* (ver. 11.) *Erant ambo autem ſenes . . . & deſierant Sarae fieri muliebria.* (ver. 12.) *Quae* (Sara) *riſit occulte, dicens: Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?*] Bis in Hieronymi verſione eſt *Riſit*. Quorum poſterius *Riſit* ver. 12. tum in Hebraeo eſt, tum in LXX, & in Targumim, ceteriſque translationibus: at prius ver. 10. abeſt ab Hebr. & a LXX, & ceteris interpretibus omnibus, etiam a Vetere Itala ante Hieronymum verſione. Dicerem non ab Hieronymo auctore prius illud *Riſit* profectum, ſed intruſum ab aliis (quod non eſt improbabile) niſi jure factum tueri poſſem. Haec vero cauſa fuiſſe videtur addendi ver. 10. τὸ *Riſit*, quod in vetere Itala translatione (apud Hilar. de Trin. & Anon. ap. Proſp. de praed. Dei) ſententia imperfecta erat ac pendula in hunc modum: *Audiens vero haec Sara cum eſſet in oſtio tabernaculi poſt eum* (Angelum): quae totidem verbis ex Hebraeo reddita: niſi quod illud שמעת *Shomeah* Hebraicum ita participium eſt, ut non raro vim habeat praeteriti, ut hic, aut praeſentis: quam tamen vim apud Latinos *Audiens* non habet. Hinc ne ſententia penderet, iteratum ab Hieronymo eſt illud *Riſit* ex ver. 12.

AD

Digitized by Google

AD GENESIS CAP. XIX.

AD VER. 8.

Dummodo viris iſtis nihil mali faciatis , quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei] Heroicis temporibus , quouſque hoſpitii religio pertineret , poteſt ex Homero intelligi . Non tantum nefas erat hoſpites laedere (quippe quos qui laederent , ζεὺς ξένιος *Jupiter hoſpitalis* ulciſcebatur) verum etiam quidvis patiebantur, modo ut hoſpitem ab aliorum injuria illaeſum praeſtarent . Hinc Aegypti rex Paridem a Menelao ad poenam repetitum reddere renuit , Διὸς ξενίου (*Jovis hoſpitalis*) ultionem pertimeſcens Odyſſ. XIV. Nec Themiſtoclem Lacedaemoniis Admetus rex Moloſſorum reſtituere voluit , quamvis illi obſides offerrent , uti narrat Plutarchus . Quod ad *Jovis hoſpitalis* religionem attinet , de ea quidem vulgata ſunt omnia . Verum quod ea religio a Moſaica hiſtoria (in qua ſaepe hoſpites ſeſe Angeli gerunt) fluxerit , id puto mihi alibi fuiſſe ediſſertum . Hoſpitii ſanctitatem nemo altius Homero , utpote aetati Moſaicae propiore , extollit.

Quia ingreſſi ſunt ſub umbra culminis mei] Hebr. קרתי *korathi* i. e. *tigni* aut *contignationis meae* . *Vmbra* ſaepe in Pſalmis , & Iſ. XLIX. 2. & Jer. XLVIII. 45. & alibi praeſidium ac tutamen ſignificat . Hebraicam locutionem exteri adoptarunt . Apud Livium IV. 42. Hortenſius tribunus C. Sempronio conſuli anni prioris exprobrat: *Vbi illi patricii ſpiritus ? . . . Sub tribunicia umbra conſularem virum delituiſſe* . Apud eumdem XXXII. 21. Ariſtaenus praetor Achaeorum ait : *Sub umbra auxilii veſtri latere volunt* . Et lib. XXXIV. 9. *Erant etiam eo tutiores , quod ſub umbra Romanae amicitiae latebant* .

AD GEN. XIX. 19.

Ne forte apprehendat me malum] *Apprehendat* hoc ſignificatu hic & alibi eſt ex Itala vetere (in qua apud Aug. in Quaeſt. in Gen. erat : *Ne forte comprehendant me mala*) atque expreſſum ex LXX, qui hic καταλάβῃ poſuerunt. Porro ſic aevo illo , quo vetus adornata eſt translatio , vulgo loquebantur . Celerinus epiſtola inter Cyprianicas 20. *Si prius paſſus fueris . . . quam litterae meae te in hoc mundo apprehendant , vel nunc ſi apprehenderint* &c. Plurib. exemplis abſtineo.

AD GEN. XIX. 20.

Eſt civitas haec . . . parva . . . numquid non modica eſt ? &c.] Ex hoc Lothi dicto factum putant , ut quae antea *Bala* , poſtea *Segor* dicta fuerit : nam *Segor* parvum ſignificat . Erat autem in tantum parva , ut Joſepho βραχύ τι χωρίον (*modicum caſtellum*) in I. 12. dicatur , Stephano vero in Ζόαρα nuncupetur *vicus* , etſi cum additamento *Magnus* , non tamen adeo , ut urbs dici poſſet: Κώμη , inquit , μεγάλη . Auctor autem uterque notat , loci hujus nomen Hebraice *parvum* deſignare . Vide dicta ad Gen. XIII. 7.

AD GEN. XIX. 24.

Igitur Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de caelo] *Sulphur* vetus Graecia haud aliter ſemper quam θεῖον (quaſi ſi *divinum* dicas) vocavit . Nec abnuunt grammatici , quin ita dictum ſit , διὰ τὸ θεόθεν εἶναι (1) *quod divinitus exſiſtat* ; ſed quo modo id verum ſit , vellem docuiſſent . Dum autem quis aliud docuerit , mihi videtur interim vetus heroicorum tempo-

rum

(1) Hoc etymon ab iis confirmatur , qui ſulphur vocant κεραύνιον πῦρ , (*ignem fulmineum*) idque ob eam maxime cauſam, quod ſulphuris & fulminis odor unus idemque ſit,

rum Graecia, hujus memor hiſtoriae, non alia de cauſa ſulphur appellaſſe θεῖον h. e. *Divinum*, quam quia a Deo immiſſum. Ac mirifice cum his conſentit, quod Joſephus in IV. ἁλώσεως cap. 8. *Divini ignis* (τῦ θείυ πυρὸς) a Deo demiſſi meminit; ſicuti quod & S. Pionius M. non aliud nomen quam θείυ πυρὸς uſurpavit. Joſephi locum paullo inferius, Pionii vero in Adnot. 3. reperies. Quocirca in his verbis Moſaicis (*ſulphur & ignem*) apertum ἓν διὰ δυοῖν agnoſcas, ſuadeo, ita ut ſive *ſulphur ignitum*, ſive *ignem ſulphureum* commode interpretari queas.

Niſi vero antiquis potius accedimus, ratis, non aliud a Deo fuiſſe miſſum, quam ſive fulmen ſive fulmina, quae & ſulphur & ignem complectuntur. Atq. Hebraeis quia nullum eſt vocabulum ad fulmen notandum (nam ברק *barak*, *fulgur* eſt, non fulmen) icciroo id περιφράζειν neceſſe habuit Moſes verbis duobus *ſulphur & ignem*. Ceterum fulminis hujus (quod, uti dixi, ſulphur ignemque contineret) quo dico urbes Sodomiticas fuiſſe tactas, meminit aperte Joſephus in I. ἀρχαιολ. cap. XI. 4. Καὶ ὁ Θεὸς ἐνσκήπτει ΒΕΛΟΣ ἐις τὴν πόλιν, καὶ σὺν οἰκήτορσι κατεπίμπρα, τὴν γῆν ὁμοίᾳ πυρώσει ἀφανίζων. *Tum Deus TELVM* (h. e. fulmen, quod eſt Dei telum) *in urbem conjicit, eamque una cum incolis combuſſit, terram, quae circa eſt, pari incendio devaſtans*. Fulminum iterum meminit in Bel. Jud. quem locum infra depromimus. Tacitus V. hiſt. 7. *Haud procul inde* (i. e. a lacu Aſphaltite) *campi, quos ferunt olim uberes, magniſque urbibus habitatos, FVLMINVM jactu arſiſſe: & manere veſtigia, terramque ipſam, ſpecie torridam, vim frugiferam amiſiſſe*. Magnas quas vocat urbes, eae ſunt Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim. Nam Segor Lotho deprecante calamitatem evaſit, ut hoc cap. dicitur ver. 20. 21. 22. Earum vero ſitum extra Lacus Aſphaltitis alveum fuiſſe, notat Tacitus modo laudatus, & Joſephus in IV. ἁλωσ. cap. VIII. 4. Γειτνιᾷ δὲ ἡ Σοδομῖτις αὐτῇ (λίμνῃ), πάλαι μὲν εὐδαίμων γῆ, καρπῶν τε ἕνεκα; καὶ τῆς κατὰ πόλεις περιουσίας, νῦν δὲ κεκαυμένη πᾶσα. *Huic lacui terra Sodomitica vicina eſt* (vicinam dicit, non vero in lacus ipſius alveo poſitam) *olim quidem regio beata, tum quod frugibus abundaret, tum propter urbium affluentiam* (2) : *nunc vero tota exuſta eſt*. Ex Strabone etiam urbium earum poſitus extra lacum ſtatui poteſt: ut taceam Scripturae loca, quae in hanc eamdem ſententiam affert Relandus in ſua Palaeſtina in lacus Aſphaltitis deſcriptione. Equidem ultro fateor, eodem calamitatis tempore lacum ſimul hunc ortum fuiſſe ob eam cauſam, quod deſidente ſolo ob conſumptum ex conflagratione bitumen, Jordanes, qui antea ulterius permeabat, ibi diſpendium ſui fecerit: ſed nego urbes eo ſtagno abſorptas fuiſſe.

Ceterum ut ad fulmina redeam, Joſephus poſt modo adſcripta verba iterum horum meminit; ac ſimul eadem opera urbes illas a lacu dirimit. Φασὶ δὲ ὡς δι᾽ ἀσέβειαν οἰκητόρων κεραυνοῖς κατεφλέγη· ἔςι γῦν ἔτι λείψανα τῦ θείυ πυρὸς, καὶ πέντε μὲν πόλεων ἰδεῖν σκιάς. *Fertur enim ob incolarum impietatem fulminibus conflagraſſe. Itaque & adhuc ignis Divini reliquias, & oppidorum quinque* (imo quatuor; quia Bala, quae poſtea *Segor*, Lothi rogatu exſors fuit calamitatis, ut ſupra ad ver. 20. 22.) *iſthic videre licet umbram & imaginem*. Notum quid ſit in

(2) Hudſonus vim verborum τῆς κατὰ πόλεις περιουσίας haud plane expreſſerat, ſic interpretans, *Et* (quod) *multis urbibus diſtincta eſſet*. At Κατὰ πόλεις vim habet diſtributivam, ut ſit *Oppidatim*: περιουσία vero, hîc ſaltem, quid aliud quam *abundantia*, *copia*? Proxime agri ubertatem laudaverat: hîc addit urbium opes & affluentiam.

in pictura σκιὰ & σκιογραφία, prima ſcil. lineamenta & adumbratio. Ergo σκιαὶ urbium illarum ſunt veſtigia leviter exſtantia, quae tamen de oppidorum poſitu extra lacum tunc ſatis docerent.

Jam vero in eo, quod dicitur pluiſſe Dominus a Domino, praeter Divinarum Perſonarum diſtinctionem, quam ibi agnoverunt antiqui, pulchra eſt phraſeologia temporibus heroicis uſitata, quando μετέωρα omnia Deo auctori ἀμέσως tribuebantur, ut ex Scripturis juxta ac ex antiquiſſimis poëtarum colligitur. Itaque Deus, ſive (uti profani loquuntur) Jupiter ore ſuo tonabat: Deus ipſe fulgura, pluvias, fulmina demittebat. Deus rurſum ipſe ſerenum ſe praebebat, uti ad Jonam notavimus. Hinc illa apud gentiles Jovis ἐπίθετα tonantis, pluvii, fulgeratoris, ſereni, & alia ſexcenta. De JOVE FIAZZO (ut in lapide Pauſilypenſi legitur) ſpiſſiorem lucubrationem in pluteis habeo, quae non levem Scripturis ſacris allinit lucem.

Antequam hinc abeo, pauca ex S. Pionii M. concione (utique ex ejus ore relata in Acta) huc pertinentia in ima (3) ora adſcribam.

AD GENESIS CAP. XXI.

AD VERS. 3.

Vocavitque Abraham nomen filii ſui, quem genuit ei Sara, Iſaac] a riſu ſcilicet, de quo ſupra ad XVII. 17. & XVIII. 10. Ex tota vero ſuperiore hiſtoria potes animadvertere, nomina filiis impoſita interdum ex iis quae parentibus acciderunt. Id quod & heroïcis temporibus obſervabatur; ut annotat Euſtathius ad Il. II. Sic Cleopatra (ſive Marpiſſa potius, ſi veteri Homeri Scholiaſtae creditur) Alcyone appellata fuit, quia non minorem quam alcyon ob raptos ſibi pullos, luctum habuit, Homero teſte Il. I. 557.

Τὴν δὲ ποτ' ἐν μεγάροισι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
Ἀλκυόνην καλέεσκον ἐπώνυμον, οὕνεκ' ἄρ' αὐτῆς
Μήτηρ, ἀλκυόνος πολυπενθέος οἶτον ἔχουσα,
Κλαῖ', ὅτε μιν ἑκάεργος ἀνήρπασε Φοῖβος Ἀπόλλων.
Aedibus hance ſuis genitor venerandaque mater
Dixere Alcyonem cognomine, quod ſua mater,
Scilicet alcyonum ſimili uſque coërcita fato,
Flebat, eam arcitenens raperet cum Phoebus Apollo.

Hectori

(3) Hujus acta martyrii ſub Decio exſtant apud Ruinartum p. 140. ſane ſincera, & concionibus Pionii longiuſculis intexta. In prima concione, quae exſtat cap. IV. ita loquitur: *Judicium namque imminet ſaeculo* (*Judicium* non aliud quam gehennae ignem vetus Eccleſia vocabat, uti pluribus oſtendi ad Kalend. Marm.) . . . *Ego namque tranſgreſſus omnem Judaeorum terram, cuncta perdidici, & Jordane tranſmiſſo, vidi terram quae excidio ſuo iram Domini teſtabatur, propter id quod peregrinos aut extinguebant, humanitatis immemores, aut percurrentes in ſexum, viros muliebria pati, jugulato hoſpitii jure cogebant. Vidi terram vi divini ignis* (Haec Acta Graece primitus ſcripta, non eſt dubium: in Graeco ergo pro *Divini ignis*, τοῦ θείου πυρὸς fuiſſe neceſſe eſt non aliter ac a Joſepho vocatum ſupra oſtendimus) *terram*, inquit, *vi divini ignis exuſtam & in cinerem favillamque converſum, omni humore atque fertilitate viduatam. Vidi mare mortuum, & ob Dei timorem naturam mutatam ferventis elementi. Vidi aquam nec alendis nec ſuſcipiendis animantibus obſequentem, hominem quoque ſicut ſuſceperit & jactantem, ne iterum propter hominem aut crimen incurrat aut poenam.*

Hectoris filio Scamandrio Aſtyanactis nomen Trojani ſecere non aliam ob cauſſam, quam quia pater ejus unus eſſet ἄϛεος ἄναξ i. e. *urbis defenſor*, ſive *ſervator* (id enim primitus ἄναξ ſignificabat , uti ad lib. Judicum dicetur) uti teſtatur Homerus Il. Z. 402.

Τόν ῥ᾽ Ἕκτωρ καλέεσκε Σκαμάνδριον , αὐτὰρ οἱ ἄλλοι
Ἀϛυάνακτ᾽ , οἶος γὰρ ἐρύετο Ἴλιον Ἕκτωρ .
Dictus 'is a genitore Scamandrius , a reliquis at
Aſtyanax , urbem ſolus quod ſoſpitet Hector .

Vlyſſes ab ira avi ſui Autolyci pluribus inviſi , Ὀδυσσέος nomen invenit ; uti Autolycus ipſe Vlyſſis parentes alloquitur Od. 406. Γαμβρὸς ἐμὸς &c. Nam Graecos verſiculos retuli ſupra pag. 40. Hîc interim translatos utcumque habeto .

Nata generque meus , nomen , quod dixero cumque ,
Indite ; nam maribus multis huc atque puellis
Inviſus venio terraï frugiferaï
Arva per : ex re ergo puero ſit nomen Vlyſſes .

Ac paſſim alibi tum Homerus idem , tum & poëtae ceteri antiquiores . Cum his necte pauca illa quae ſupra pag. 40. adnotavi .

AD GEN. XXI. 10.

Ejice ancillam hanc & filium ejus : non enim erit heres filius ancillae cum filio meo Iſaac] Παλλακίδων (quae vox ab Hebraea *Pilleſcbeth* venit) filii non eodem loco habebantur , quo ex uxore primaria nati . Pauſanias Corinthiacis narrat , Megapenthem & Nicoſtratum a regno Spartae , quod horum pater poſſederat Menelaus , excluſos fuiſſe ab Oreſte , propterea quod ἐκ δούλης (*ex ancilla*) ſuſcepti erant. Idem & multo ante apud Homerum obſervatur : apud quem ancillae & eorum filii non erant primariis uxoribus & legitimis liberis ἰσοτίμοι . Fallitur autem Euſtathius , qui ad Il. Θ. contrarium exemplo Teucri evincere conatur . Fruſtra ; nam & Teucri ipſius exemplo , & illo ipſo Homeri loco Euſtathius falſi convincitur , uti ſcite obſervavit Potterus Archaeol. IV. 15.

AD GEN. XXI. 15.

Cumque conſumpta eſſet aqua in utre , abjecit puerum ſubter unam arborum , quae ibi erant] Laudandus pro merito ſuo Hieronymus , quod in hoc traſferendo loco proxime ad Hebraicum fontem accedit . Nec tamen culpanda eſt Vulgata vetus ante Hieronymum translatio , quae quia LXX Seniores unice ſibi ſequendos propoſuit , aliter hunc locum reddidit , in hunc modum apud Auguſtinum quaeſt. 54. in Gen. *Defecit autem aqua de utre , & projecit puerum ſub unam abietem* . Quae totidem verbis in LXX ita concipiuntur : Ἐξέλιπε δὲ τὸ ὕδωρ ἐκ τοῦ ἀσκοῦ , καὶ ἔῤῥιψε τὸ παιδίον ὑποκάτω μιᾶς ἐλάτης . Nec dicas illud *ſub unam abietem* videri ineptum , ac ſapere Italiſmum , quo *Vnus* pro *Quidam* in linguis vulgaribus uſurpatur . Nam ſcribi debuiſſet , *Sub quadam abiete* . Nam adeo nihil inepti eſt in *Vnus* pro *Quidam* , ut contra auctores ſummi Latinitatis iſtud in deliciis habuerint : de quo in ima (1) ora pauca .

AD

(1) *Vnam abietem* non tantumdem eſt , quod *ſingularem* , ſed idem plane quod *quamdam* : qua notione ab Italis vulgo dicitur , *ſotto un' albero* , pro *ſotto un certo albero* . Cave vero putes , id nunc Italis ; aliiſve hodiernis linguis licere , at veteri Latio non licuiſſe . Nam certe probum eſt & elegantiae plenum . Catullus ad Varrum :

Suffenus , unus caprimulgus , aut foſſor .

Plautus Trucul. I. 2. *Quis is eſt homo , Aſtaphium*

AD GEN. XXI. 30.

Vt ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego fodi puteum iſtum] Hinc & ex aliquot aliis Geneſeos locis (praeſertim Gen. XXVI. 15. & ſeq.) cognoſcitur, non fuiſſe rem levis momenti illo tum tempore puteos, in ſiticuloſa praeſertim regione, qualis erat Chanaanitidis ager, magnam partem ὑπόπετρος. Nec mirum puteorum gratia multoties jurgatos homines, ut hîc & cap. XXVI. neque enim ita pridem Φρεωρυχία (*puteorum effoſſio*) inventa fuerat. Ante Danaum (qui ex Aegypto, ubi *Armais* perhibetur fuiſſe dictus, in Peloponneſum venit) Graeciam non noſſe puteos veteres prodiderunt: Danaum vero magno in honore fuiſſe habitum, quippe τὰ ὑδρεῖα (2) τὰ ἐν Ἄργει ἀποδείξαντα, uti Strabo prodidit lib. I. pag. 23. Idem vero lib. VIII. p. 371. hoc idem inventum Danai filiabus acceptum refert, ex Aegypto ſcil. τὴν Φρεωρυχίαν Argos inducentibus, hincque natum verſiculum iſtum:

Ἄργος ἄνυδρον ἐὸν, Δαναὰι θέσαν Ἄργος ἔνυδρον.

Expers Argos aquae, Danaae riguum effecerunt.

Incredibile dictu eſt, quantopere hoc excogitatum ad complendas longe lateque habitatoribus terras conduxerit; quippe cum ante artem Φρεώρυχον vix alibi, quam apud fontes oppida exſtrui conſueviſſent, unde & pagis a πηγὴ nomen fuiſſe non pauci putant. Puteis autem excogitatis, vix ulla telluris pars inhabitabilis viſa fuit. Vide infra ad XXVI. 20. ubi plura huc facientia reperies.

AD GEN. XXI. 30. 31.

30. *At ille* (Abraham) *ſeptem, inquit, agnas accipies de manu mea, ut ſint mihi in teſtimonium, quoniam ego fodi puteum iſtum. 31. Idcirco vocatus eſt locus ille Berſabee, quia ibi uterque juravit*] *Ber-ſabee, puteum ſeptem* interpretari licet. At ſi ex altera compoſitionis parte *Vau* (ut fuerit שבוע *shabua*) excidiſſe ponamus, tum notabit *puteum jurisjurandi*. Verum utram interpretationem ſequare, perinde res erit. Nam jusjurandum Heb. שבוע *shabua* ob id dici puto, quod in eo perficiendo *ſeptem agnarum* (ut hîc) aliarumve victimarum, aut vero ſeptem teſtium numerus interveniret: ut ex hoc loco intelligimus, qui veterem jurandi ritum apud Hebraeos mirifice illuſtrat; & cur Hebraicum *jurisjurandi* vocabulum & *jurandi* verbum a שבע *sheba* i. e. *ſeptem* derivetur. Nam שבוע *shabua* (i. e. *juramentum*) formam habet participii paſſivi, quaſi *ſeptimatum* dicas; & verbum נשבע *nishbba* cum ſit paſſivae conjugationis, αὐτολεξεὶ valet *ſeptimari*: hoc forſan, quia ut jusjurandum rite fiat, nemo ſuapte ſponte jurare debet, niſi ei prius jusjurandum a ſeptem deferatur. Cumque hîc ambo juraverint, neceſſe eſt utrique ab altero delatum fuiſſe jusjurandum. Ex hiſce ritibus ſi qua forte ad Romanos Graecoſque manaverint, eruditi viderint depromantque in medium.

phium? unuſne amator? Alii legunt: *Novus amator*. Item II. 39. *Sed eſt huic unus ſervus violentiſſimus*. Arnobius plus vice ſimplici ita locutus reperitur. Quid plura? nulla linguae Latinae aetas reperietur, qua id loquendi genus uſurpatum non fuerit, ab iis praeſertim qui tenui dicendi genere caperentur. Sic etiam Graecis εἷς ἀνὴρ pro *quidam homo*, ac talia plura. Quocirca hîc μιᾶς ἐλάτης pro τινὸς ἐλάτης probe dicitur: nec ſecus Latine *ſub una abiete*. Leviſſima iſthaec non ſine fructu notari, viri acuti ſentient.

(2) Suidas: Ὑδρεῖα, τὸ ὑδρεύεσθαι· Ὑδρία δὲ τὸ ἀγγεῖον. h. e. Ὑδρεῖα *eſt aquatio*: *at* ὑδρία *eſt vas aquarium*. At Strabo τὰ ὑδρεῖα appellaſſe videtur puteos a Danao inventos. Vide quae ad Strabonem Xylander adnotat, qui & Euſtathium teſtem producit.

AD GENESIS CAP. XXII.

AD VER. 2.

Tolle filium tuum unigenitum , quem diligis Iſaac , & vade in terram viſionis , atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium , quem monſtravero tibi] Hebr. *vade in terram Moriah* . At terra *viſionis* eſt a Symmachi verſione , qui ὀπτασίας poſuit , a quo haud valde diſcedit Aquila , interpretatus *terram καταφανῆ conſpicuam* . Nimirum putarunt *Moriah* eſſe a ראה *raah* , *vidit* : cui etymologiae favere videtur infra verſus 14. *Appellavitque nomen loci illius DOMINVS VIDET* . Verum hoc quo pertineat , ibi dicam . Ergo praeſtat nomen proprium *Moriae* hîc integrum retinere . Quod quidem non eſſe appellativum, ſed loci peculiare , docet compoſitio : nam ex Dei nomine יה *Jah* & ex מורה *Morah* componitur . In Hebraica vero lingua vix raro alia, quam propria nomina, compoſita reperias . De priore nunc compoſitionis parte conſiderandum : quae a ראה *vidit* deduci vetat ו *vau ἐπενθετικὸν* ; id enim analogia non patitur . Onkelos & Jonathan, qui *terram* Divini cultus hîc reddiderunt, a ירא *jare* , *coluit* , ex Heb. analogia non male arceſſiverunt. At equidem malim a participio מורה *Morah* , *oſtenſus* , derivare ut *Moriah* tantumdem ſit , quod *monſtratus Dei* . Favet id quod ſequitur *ſuper unum montium quem monſtravero tibi* , nimirum non ſine aliquo ſigno conſpicuo . Profecto res ſic ſe habet . Deus Abraham monuit , daret ſe in viam in illum cardinem verſus quem ipſe indicaſſet , quouſque locum ipſe in tempore & loco deſignaret . Deſignavit vero die tertia montem , cui nomen ex re *Moriah* poſtea factum fuit , quaſi *oſtenſum a Deo* dicas . Cum ergo dicitur : *Vade in terram Moriah* , hoc nomen eſt e Moſis (diu poſtea ſcribentis) calamo per anticipationem ; ac tantumdem valet , ac *vade in terram* , cui poſtea ex eventu hoc (quod modo dixi) *Moriae* nomen inhaeſit .

AD GEN. XXII. 14.

Appellavitque nomen loci illius , DOMINVS VIDET . Vnde uſque hodie dicitur: IN MONTE DOMINVS VIDEBIT] *Videre* bis hoc commate eſt *Providere* . Sicuti & ſupra ver. 8. hoc ipſum יראה *jireh* , quod hîc legitur , a Vulgato ipſo exponitur *Providebit* . Ac ſane nemo non intellexiſſet , verbum ראה utrobique tantumdem eſſe quod *providere* , niſi LXX Seniorum auctoritas obſtitiſſet. Apud quos ver. 8. eſt , ὄψεται ἑαυτῷ , h. e. *videbit* pro *providebit ſibi* : at hîc ſenſus involvitur ; dum priore loco εἶδεν , h. e. *vidit* poſuerunt , poſteriore ὤφθη h. e. *apparuit* : unde vetus apud Auguſtinum verſio manavit , quae ita concipitur : *Et cognominavit Abraham nomen loci illius , DOMINVS VIDIT : ut dicant hodie , quod in monte Dominus viſus eſt* . Notandum eſt ergo duplex huic loco nomen poſt rem geſtam haeſiſſe , unum מריה *Moria* , hoc eſt *Viſus Dei* ſive *oſtenſus a Deo* , ut ad ver. 2. dixi : alterum vero יהוה יראה , *Jehova ireh* h. e. *Deus providebit*. Horum poſterius etiam proverbiale aevo Moſis evaſerat .

Appellavitque nomen loci illius : Dominus videt . Vnde uſque hodie dicitur in monte Dominus videbit] Vltima vox in Hebraeo paſſiva eſt, *videbitur*; ut capias ſucceſſu temporis ex Abrahamico *videbit* factum eſſe iſtud aevi Moſaici *Jeraeh* h. e. *videbitur* , non ſine vaticinatione templi in eo monte fundandi , in quo Deus per non obſcura argumenta ſe conſpicuum praebiturus eſſet .

AD

Digitized by Google

A D G E N E S I S C A P. XXIII.

AD VER. 3. 4.

3. *Locutus eſt* (Abraham) *ad filios Heth dicens :* 4. *Advena ſum & peregrinus apud vos : date mihi jus ſepulcri vobiſcum , ut ſepeliam mortuum meum*] Quod dicitur *Mortuum meum* pro *Mortuam* , in eo inter linguas omnes , quibus Moſaica ſcripta leguntur , convenit ; ita ut in omnibus *Mortuus* nomen ſit ſubſtantivum tam maribus quam feminis congruens . In Hebraeo enim hîc & alibi מתי *methi* maſculinum , non מתתי *methathi* (*mortua mea*) ſcribitur . Sic etiam in Graeco apud LXX νεκρὸν non νεκρὰν exſtat . Ac ſic quoque in Latino non tantum Hieronymianae , ſed & Veteris Vulgatae , non *mortuam* (1) ſed *mortuum* ſemper legitur . Idque non mirum , quia ubi de vita functis agitur , feminae etiam , tamquam extincto ſexu , nobiliore (2) genere (imo & cum patrio defunctae caſu) a ſcriptoribus ſacris atque a profanis efferuntur . Vidit hoc ad hunc locum , ac ſedulo notavit (3) Auguſtinus. Atque in veteribus quidem ante Hieronymum Latinis Bibliis hoc loco ſemper *mortuum* , numquam *mortuam* , uti dixi , lectum fuit. Nec aliter in hoc negotio ſcriptores Graecos Latinoſque , ſacros juxta ac profanos fuiſſe locutos , ſatis ſuperque demonſtravi .

A D G E N E S I S C A P. XXIV.

AD VERS. 15. 16.

Ver. 15. *Necdum intra ſe verba compleverat , & ecce Rebecca egrediebatur . . . habens hydriam in ſcapula ſua* . Ver. 16. . . . *Deſcenderat autem ad fontem , & impleverat hydriam ac revertebatur* .

Necdum intra ſe verba compleverat , & ecce Rebecca egrediebatur] Saepe hac loquendi ratione Homerus utitur . Veluti Odyſ. Π. ver. 351.

Οὔπω πᾶν εἴρηθ', ὅτ' ἄρ' Ἀμφίνομος ἴδε νῆα .

Dictum erat haud totum , Amphinomo cum viſa carina .

Vtuntur & antiquorum alii ea locutione . Vividius certe iſto modo , quam quo interdum Virg. *Vix ea fatus erat* .

Impleverat hydriam ac revertebatur] Non tantum ancillae apud Homerum aquatum proficiſcebantur (ſicuti famulas Euryclea Od. XX. ad aquam haurien-

(1) Tertullianus lib. de reſurr. carn. cap. 28. ita hunc locum recitat : *Date ergo* , inquit , *mihi poſſeſſionem ſepulcri vobiſcum , & humabo mortuum meum* . Et tamen qui indicem locor. Script. in Tertulliano occurrentium conflavit , quia *mortuam meam* ex errore ſuo poſuit , id fraudi viro doctiſſimo , de his litteris egregie merito , fuit , qui hunc locum ex Tertull. ita citat quaſi qui *mortuam meam* ſcripſerit . Auguſtinus *Locut.* 72. de Gen. verſum ſuperiorem ſic affert : *Et ſurrexit Abraham a mortuo ſuo* , addens alibi , *Non dixit a mortua ſua* . Idem Auguſt. Locut. 72. de Gen. hoc etiam affert : *Et ſepeliam mortuum meum* : *quod non neutro* , inquit , *quaſi corpus mortuum , ſed maſculino genere dictum , Graeca Scriptura* (LXX ſenum) *demonſtrat* .

(2) Apud Euripidem Menelaus Helenae cadaver petens ait :

Ἀπόδος δάμαρτος νέκυν , ὅπως χώσω τάφῳ .

Da mortuum uxoris ut ei terram adgeram .

Plutarchus Romulo ; Λέγεται δὲ καὶ τὸν Ἀλκμήνης νεκρὸν ἄδηλον γενέσθαι . Item Pauſanias in Atticis : κομίσας τὸν νεκρὸν τῆς Ἀλκμήνης . *Cadaver Alcmenae portans* . Plinius etiam *Defunctus* eâdem notione uſurpavit : *Quam tandem portionem ejus defunctus obtineat* ? Tertullianus lib. de Anima cap. 28. *Mortui veteris horrorem* dixit .

(3) Cujus egregia loca attuli ſup. Adn. 1.

dam mittebat) verum & ipſae per ſe ingenuae puellae id praeſtabant ; ſicuti Odyſſ. X. Laeſtrigonum regis filia ὑδρεύουσα ad fontem concedit. Herodotus Erato hunc morem ingenuis virginibus apud Athenienſes pervetuſtum docet. Verbis auctorum , apud quos ea reperi , recitandis parco , quia nec ea exempla rara , nec aliis opinor intacta .

AD GEN. XXIV. 23. 24. 25.

Ver. 23. *Dixitque* (Eliezer) *ad eam : Cujus es filia ? indica mihi : eſt in domo patris tui locus ad manendum ?* Ver. 24. *Quae reſpondit*, *Filia ſum Bathuelis* . . . Ver. 25. *Et addidit dicens : Palearum quoque & foeni plurimum eſt apud nos* , *& locus ſpatioſus ad manendum*] Rei natura tuliſſet , ut ſingulis ſtatim quaeſtionibus reſponſa ſingula adnumerarentur . Nunc duo ſimul quaerit , quibus illa totidem reſponſa ſimul appendit . In Homero quoque haud raro ſimiliter ab hoſpitibus factum memini : ſed moleſtum nunc eſſet exempla Poëtae conquirere . Ad ſummam veriſimile eſt , plerumque ſingulis ſeorſum interrogatis ſigillatim fuiſſe reſponſum : ſed brevitatis cauſa ſcriptoribus in more poſitum , uti ſeorſum ſciſcitationes , ac mox reſponſiones ſeorſum uno ductu narrarent , ut taedio legentium parceretur .

AD GEN. XXIV. 33.

Et appoſitus eſt in conſpectu ejus panis : qui ait &c.] לחם *lechem* i. e. *panem* apud Hebraeos edulia quaecumque ſignificare, notius eſt quam ut demonſtrari oporteat . Gen. XVIII. 5. Abraham hoſpitibus ait : *Ponam buccellam panis* . Ex. II. 20. *Vocate eum* , *ut comedat panem* .

Qui (Eliezer) *ait : non comedam* , *donec loquar ſermones meos* . *Reſpondit ei* (Laban) *loquere*] Videbatur praeter morem feciſſe hic Eliezer , qui antequam omnino cibum ſumeret , ſuae profectionis rationem exponit : id quod temporibus heroicis (uti paſſim in Odyſſea legitur) diu differebatur , ac nonnunquam poſt unum aut alterum pluresve dies , tum demum , quis aut unde hoſpes veniſſet , ſcitabantur ; idque ut ſignificarent , nullius ſe προσωποληψίας cauſa , ſed Jovem hoſpitalem reveritos (uti memini ab Eumaeo ſubulco in Odyſſ. dici) hoſpitem excipere . Etiam citimis temporibus in hoſpitalitate id obtinebat , ut ante menſam ciboſque ſumptos nulla mentio injiceretur , unde aut qui hoſpites eſſent ; uti patet ex S. Phoca Mart. apud S. Aſterium : *Cum autem* , inquit , *uti moris eſt* , *menſae ſocietas fiduciam invicem attuliſſet* , *rogavit ex eis martyr* , *quinam eſſent* , *& qua de cauſa veniſſent* . Cetera vide in S. Aſterio in Encomio S. Phocae apud Ruinartum in Actis Mart. p. 561. cap. 3. ſunt enim digniſſima , quae cognoſcantur.

Verum ut eo redeam ; nemini videatur jura hoſpitalitatis intempeſtiva allocutione Eliezer laeſiſſe . Re enim vera ei quidem qui excipiebat hoſpitio , non licebat ante menſam & cetera officia quidquam ab eo qui venerat interrogare , niſi interjecto tempore . At ei qui excipiebatur , fas erat , ſi res tanti eſſet , ab initio exponere eccujus negotii cauſa veniſſet . Idque ex hoc luculento Eliezeris exemplo abunde docemur .

AD GENESIS CAP. XXV.

AD VERS. 4.

At vero ex Madjan ortus eſt Epha & Opher] Hic alter in Hebraeo eſt עפר *Epher* .

Digitized by Google

Epher. Ab hoc Alex. Polyhiſtor & Cleodemus apud Hieronymum narrant, Africam armis ſubactam atque habitatoribus frequentatam . Nec Grotius (ad hunc locum) Africam ab hoc *Opher* ſive *Apher* arceſſere dubitavit . Nomen ſavet, & huic opinioni etiam illud velificari potuit, quod *Opher* (aliter *Apher*) hujus loci cum ע in principio legitur , ut ſit ab rad. עפר *aphar* , quae in Hebraeo & cognatis linguis *pulverem* notat ; qui plurimus a ventis in Libya converritur , uti narrant . Equidem huic narrationi non plurimum fido ; ſicuti nec illud probo , quod aliqui *Opher* , ſive *Ophir* ab Salomonica claſſe frequentatum ab hoc *Opher* (qui in LXX eſt Ἀφὲρ) Madjanis filio arceſſunt . Nam *Ophir* Salomonicum cum *Aleph* in principio ſcribitur, hic vero *Apher* cum *Ain*. .

AD GEN. XXV. 5. 6.

5. *Deditq. Abraham cuncta , quae poſſederat , Iſaac : 6. Filiis autem concubinarum largitus eſt munera*] Hoc eſt τὰ νοθεῖα. Sunt autem νοθεῖα , quae Solon ſpuriis aſſignarat , h. e. nothi portio , quae principio quinque erant minae , poſtea decem, ſive mille drachmae . Vide Suidam in Νοθεῖα , & Ariſtophanis Scholiaſten in Avibus in locum qui ſequitur : Ηρ. Τί δ' ἢν ὁ πατὴρ ἐμοὶ διδῷ τὰ χρήματα τὰ νοθεῖ' ἀποθνήσκων ; Πει. ὁ νόμος αὐτὸν οὐκ ἐᾷ &c. Herc. *Quid ſi pater mihi dederit pecunias , in* (νοθεῖα i. e.) *portionem ſpurii ?* Piſth. *At lex non ſinit* &c. Videatur prae ceteris Harpocration in decem rethorum lexico , ex quo grammatici ſua hauſerunt .

Porro quae ab Hieronymo dicuntur *Munera*, ea quia in LXX vocantur δόματα (i. e. *dona :* quae vox exſtat in Matthaeo & Pauli Epiſt. & in Plut. Apophthegm.) ex eo fluxit illud Vulgatae veteris apud Auguſt. locis pluribus , *Filiis concub. ſuar. dedit Abr. DATIONES* . Vox ceteroqui proba . Non gravate haec interdum noto , ut noſcatur veteris Vulgatae ingenium .

AD GEN. XXV. 8.

Mortuus eſt in ſenectute bona , provectaeque aetatis & PLENVS DIERVM] Sic etiam infra XXXV. 29. de Iſaac : *Mortuus eſt & appoſitus eſt populo ſuo ſenex & PLENVS DIERVM* . Nec aliter aliis locis aliquot : in quibus omnibus pro *Plenus* eſt שבע *sheba* i. e. *ſatur* , tamquam ſi de vita ſic veluti e convivio diſceſſerint . Imo hîc ubi de Abraha agitur , שבע (i. e. *Satur*) tantum dicitur, ſine *dierum* (1) additamento , quod tamen in Vulgata eſt . At Gen. XXXV. 29. legitur, *Satur* (שבע *sheba*) *dierum* . Et ſic quoque I. Paral. XXIX. 28. & extremo Jobi libro . Et II. Paral. XXIV. 15. ubi Hebraice eſt : *Et* (שבע) *ſaturatus eſt diebus* . His ergo locis omnibus pro *Plenus* Vulgatae legitur in Hebraeo *Satur* . Tantum Jer. VI. 11. *Plenus* (מלא) *dierum* tam Hebraice quam in Vulgata exſtat , ſed ita ut etiam τὸ *Plenus* notet *Saturum* , ſicuti in Lucretio III. v. 951. *Cur non ut PLENVS* (i. e. ſatur) *vitae* (quod reſpondet τῷ *Dierum* S. Scripturae) *CONVIVA recedis , Aequo animoque capis ſecuram , ſtulte , quietem?* Eſt enim in his omnibus translatio ſumpta a convivio , ut innui ſupra. Horatius lib. I. in fine Sat. 1.

. . . *Et exacto contentus tempore vitae ,*

Cedat

(1) Hinc Hieron. in quaeſt. Hebr. tom. 2. col. 529. ita preſſe Hebraea loci hujus affert : *In ſen. bona , ſenex & PLENVS* : quod reſpondet τῷ *Satur* Hebraico : at interim τὸ *dierum* juxta cum Hebraeo neglexit.

Cedat uti CONVIVA SATVR.

Quod certe Flaccus ab illo Lucretii verſu eſt imitatus, quem ſupra recitavi: cujuſmodi eſt & illud ejusdem Lucretii ibidem ver. 970. *Sed quia ſemper aves* ... (ob id) *mors ad caput adſtitit ante*,

Quam SATVR ac PLENVS poſſis diſcedere rerum.

Poſtremo huc facit marmor antiquum apud Fleetwoodum pag. 274. n. 4.

Functus honorato ſenio PLENVSQVE DIERVM

Evocor ad ſuperos. Pignora quid gemitis?

Vides quanto ſtudio gentiles Hebraeorum ſapientiae aures admorint.

AD GEN. XXV. 16.

Iſti ſunt filii Iſmaëlis, & haec nomina per caſtella & oppida eorum, duodecim principes tribuum ſuarum] En hic implentur promiſſa a Deo Abrahae ſuper Iſmaële facta ſupra Gen. XVII. 20. Tribuum principes ſeu *Tribuni*, Φυλάρχαι aut φύλαρχοι a Graecis dicti, maximo in uſu in Oriente fuerunt, & quidem duodenario numero. Non tantum autem apud Iſraëlitas ſanctus is numerus fuit, ſed & apud Chananaeos: quorum Tyrrheni cum ἀπόγονοι eſſent, eumdem tribuum numerum in Italia cuſtodierunt. Vide de his dicta ſup. pag. 73. in Nota I. Prae ceteris autem, Iſmaëlitarum tribus dignae obſervatu ſunt: quarum initium hic accurate a Moſe deſcriptum, ſequentibus temporibus apud Arabas, Iſmaëlitarum prolem, perpetuo continuatum fuiſſe narratur. Meminit Strabo XII. praefectorum tribuum Arabicarum. Meminit & Melo apud Euſebium in IX. Praep. 19. ſicuti & Menander Protector Saracenorum (ex Iſmaële profectorum) Φυλάρχων XII. meminit. Imo hodiedum ea gentis πολιτεία (*reip. adminiſtratio*) perſtat, ſi Thevenotio, aliiſq. itinerum ſcriptoribus fides. Eos hodie *ſcheich* vocari tradunt.

Quae in medio interponuntur, *Per caſtella & oppida eorum*, pro *caſtellis* in Heb. hic eſt vox חצר *hater*, unde fit *hatrehem*, quod Vulgatus *Caſtella eorum*, vertit, LXX *tabernacula* reddiderant, nos (id quod erat) *Hatria* interpretabimur: certe quia a Tyrrhenis ab Oriente in Italiam profectis coloniae duae cognomines in ea fundatae fuerunt, *Hatria Venetiae*, & aliquanto poſt *Hatria* Picens, quae ambae adhuc aetatem ferunt. De priore plura diximus in Tuſcanicis originibus Romae Italice editis: de poſteriore in Comm. ad Tab. Heracl. ubi & hujus Hatriae nummum rariſſimum explanavimus. Nihil equidem ἰδιαίτερον (*magis proprium*) ad חצרי *Hatre* Iſmaëlitarum loci hujus interpretanda reperio, quam quod id nomen Tuſci ab oriente profecti in Italiam coloniis a ſe fundatis indiderunt, *Hatria* ſcil. Ad ſummam Iſmaëlitarum iſta *Hatria* (quorum propria interpretatio neſcitur) majus quid erant, quam טירת *Tiroth*, quod ſtatim hic ſequitur: de quo nunc videamus. Ea Vulgatus noſter *Oppida* reddidit: LXX verterant ἐπαύλεις h. e. *Villas* ex caſis coaleſcentes. Vtut eſt, *Tiroth* illud debuit minus aliquanto eſſe quam prius aliud *Hatria*. Vnde non immerito טירה a Senioribus ter ἔπαυλις i. e. *caula* traducitur, ſemel ἔπαλξις i. e. *propugnaculum*, ſemel κώμη i. e. *vicus* aut *pagus*: quae duo poſteriora interpretamenta magis huc faciunt.

AD GEN. XXV. 22.

Sed collidebantur in utero ejus parvuli] In LXX ἐσκίρτων. In Auguſtino non ſemel *geſtiendi*, alibi *luctandi*, in Ambroſio eſt *exſultandi* verbum.

Perrexitque (Rebecca) *ut conſuleret Dominum*] Eadem in LXX, Syro & aliis. Onkelos paullo explicatius, ſed tamen ut eodem redeat: *Et abiit*, inquit,

quit, *ut quaereret* (אולפן *ulpan*) *oraculum a facie Domini*. Illud *Vlpan* Judaei interpretantur *Doctrinam*, *inſtitutionemque*. Atque hinc patet fuiſſe jam tum locum divino cultui deſtinatum, & quidem in vicino. Nec enim eos audio qui in monte Moria (nempe plurium dierum intervallo) locum hunc ſtatuunt. Eſtne credibile, Rebeccam longum ſuſcepiſſe iter ad conſulendum Dominum? Credibilius eſt, *Domum oraculi* ſive *doctrinae* (Judaeis בית אולפנא *beth ulpana*) in qua divinis rebus vacaretur, & interrogaretur Dominus, fuiſſe prope Abrahae tabernaculum in luco illo, ubi Abraham aram excitaverat in uſum Divini cultûs. Adſtipulantur Theodoretus aliique veteres aliquot.

Adhaec jam tum in illis Divini cultûs initiis non tantum locus erat ad adorandum deſtinatus, ſed & fuiſſe quamdam ejusdem cultûs formulam, oſtenditur ex cap. ſeq. ver. 5. ubi ſcribitur: *Eo quod obedierit Abraham voci meae, & cuſtodierit praecepta & mandata mea, & caeremonias legeſque ſervaverit*. In quibus (ſicuti & in Hebraeo hujuſmet loci) ea omnia verba uſurpantur, quae in ſimilibus locis poſt legem datam inculcari ſolent. Ex quo conſtat, Patriarcharum temporibus non defuiſſe cultûs divini formulam, ſed cujuſmodi aetas illa patiebatur.

AD GEN. XXV. 30.

Da mihi de coctione hac rufa . . . quam ob cauſam vocatum eſt nomen ejus Edom] In LXX, γεῦσόν με ἀπὸ τοῦ ἑψήματος πυῤῥοῦ, *Guſtare me fac de pulmento rufo*. Hinc vetus expreſſa verſio apud Hier. in qq. Hebr. *Da mihi guſtum de coctione rubea iſta*. *Guſtus*, *Guſtum*, aut *Guſtulus* eſt *guſtatio*, *jentaculum*, quo latrans ſtomachus demulcetur. In Hebr. *Da mihi de rufo, rufo hoc*. Eſt repetitio διοριστικὴ, tunc adhiberi ſolita, quoties ἴδιον ὄνομα rei cujuſpiam (ut hîc, *coctionis hujus*) aut ignoratur, aut non ſuccurrit, aut reticeri placet. Non abſimile eſt apud Plutarchum ſub finem libri περὶ φιλαδελφίας illud Apollinis Delphici: qui conſultus a rege Theſſaliae, eccui filiorum regnum tradi oporteret, reſpondit:

Τὸν Φάσκω, τὸν πυῤῥὸν, ὃν Ἀρχεδίκη τέκε παῖδα,
Hunc dico, hunc rufum, Archedice quem enixa puellum eſt:

Alevam intelligens, qui regum Theſſaliae potentiſſimus fuit.

AD GENESIS CAP. XXVI.

AD VER. 12.

Sevit autem Iſaac, & invenit in ipſo anno centuplum] Quia diu terra illa inexercita fuerat; quo primum anno ab Iſaaci accurata politione culturam accepit, reddidit centuplum. Numerus certus pro incerto, ut in ſimilibus loqui ſolemus. De proventu ἑκατομπλασίονι (*centuplo*) agimus ad Luc. VIII. 8. & ad Matth. XIII. 8. Non omittam iſtud quod in Hebr. hîc pro *centuplum* eſt *centum* (שערים *ſearim*) *hordea*: ex quo LXX verterunt ἑκατοστεύουσαν κριθὴν, *centuplicans hordeum*, quod & Hier. in qq. H. & Aug. ſequuntur. In hordeo foenus centuplum eſt minoris quam in tritico miraculi.

AD GEN. XXVI. 14. 15.

Ver. 14. *Ob hoc invidentes ei Palaeſtini* (ver. 15.) *Omnes puteos, quos foderant ſervi patris illius Abraham, illo tempore obſtruxerunt, implentes humo*] Similia habentur ver. 18. *Quos olim obſtruxerant Philiſthiim*. Iſtos puteorum vaſtatores perinde

perinde eſt utrum *Philiſthiim* Hebraea ſcriptione dicas, an Latina *Palaeſtinos*; utroque enim modo ſcribi ſolent. Horum nomen *foſſorem* ſignificat, a Chald. פלש *pelas*, quod eſt *fodere*, derivatum. Ac re vera eosdem in fodiendis obſtruendiſque puteis operam locaſſe ſuam, ex hoc loco intelligitur. Iidem vero in Italiam profecti, eodem miniſterio fungebantur: a quibus Padi *foſſiones Philiſtinae*, & *Philiſtinae Foſſae* apud Plinium III. 16. nomen invenerunt, in Pado ſcil. ab his foſſoribus actae. Egi de his in Diſſert. de Orig. Tyrrhen. Diatriba I. pag. 23.

AD GEN. XXVI. 19.

Foderunt in torrente & repererunt aquam vivam] h. e. perennem ibidem ſcaturientem, non vero aliunde delatam ibique reconditam, cujuſmodi illa eſt quae reſes in ciſternis reſtagnat. Agemus de utraque Deo dante ad Jer. II. 13. ad illud: *Me dereliquerunt fontem aquae vivae, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quae continere non valent aquas.*

AD GEN. XXVI. 20.

Sed & ibi jurgium fuit paſtorum Gerarae adverſus paſtores Iſaac, dicentium, Noſtra eſt aqua: quamobrem nomen putei ex eo quod acciderat, appellavit calumniam] Plures hujuſmodi rixae narrantur hoc cap. XXVI. a v. 15. ad 21. Pro *jurgium fuit*, in Heb. eſt ירבו *jaribu*, *litigaverunt*, a ריב *riv*, *lis*. Quia porro vicini inter ſe de aquis communibus ſaepe rixabantur, hinc iis aquis RIVI nomen datum fuit ab eodem ſcil. Hebr. ריב *riv*. Hinc RIVALES principio ii dicebantur, qui de communi rivo litigabant. Acro ad Artem poëticam Horatii id docet, qui *rivales* eos proprie dicit, *Qui in agris rivum haberent communem, & propter eum ſaepe diſcrepabant*. Hinc de ea re *lex rivalicia* fuit, de qua ſic Feſtus in SIFVS (1): *In lege RIVALICIA ſic eſt, quae lata fuit rogante populum Ser. Sulpicio Sex. F. Rufo: Montani paganive ſifonibus aquam dividunto: donec eam inter ſe diviſerint, Praetoris judicatio eſto.*

Jam vero ſupra ad cap. XXI. 30. notaveram quam magni momenti res apud priſcos mortalium putei eſſent. Ejus rei gratia antiquis Athenienſibus quotidianae rixae oboriebantur. Huic malo obviam iturus Solon leges quasdam de puteis fodiendis tulit. Plutarchus Solone p. 91. *Quia vero nec amnes perennes, neq. lacus, neq. fontes abunde regioni ſuppeditant, verum factitiis puteis ferme utuntur; legem ſcripſit, ubi puteus publicus intra hippicum eſſet, eo uti ut jus faſque eſſet* (*Hippicum* quatuor ſtadiorum ſpatium fuiſſe dicitur) *ſi longius abfuiſſet, privatam ut aquam perveſtigarent. Quod ſi foſsâ ad decem orgyias depreſsâ, aquam in ſuo non inveniſſent; tunc ut ſumerent a vicino, & ſenûm congiorum* (Gr. ἑξάχυν, *ſex choûm*) *hydriam bis die implerent: inopiae enim ſubveniendum, non alendam ignaviam exiſtimabat.*

AD GEN. XXVI. 28.

Sit juramentum inter nos & ineamus foedus] In Auguſtino in Locut. 94. & quaeſt. 77. pro *Juramento* ponitur *Exſecratio*, ex antiqua utique verſione Itala conſonâ Senioribus, in quibus eſt ἀρά i. e. *exſecratio*. In Hebr. אלה *alah* eſt, quod & *jusjurandum* notat & *exſecrationem*, illam ſcil. quae jungi cum jurejurando ſolebat in juramenti fractores. Ea exſecratio in Romanis veteribus jurandi formulis paſſim obvia eſt.

AD

(1) In Feſti ſchedis miſere lacerus hic locus eſt: ſed adſcripſi, prout ſuppletus & conſtitutus a Scaligero & aliis, in editione Daceriana exhibetur.

Digitized by Google

AD GENESIS CAP. XXVII.

AD VER. 1.

Senuit autem Iſaac & caligaverunt oculi ejus & videre non poterat : vocavitque Eſau filium ſuum majorem] Vim Hebraici verbi תכהין *thiccabena* tum LXX per ſuum ἠμβλύνθησαν, tum & Hieronymus vertens, *Caligaverunt*, aeque feliciter expreſſerunt . Nam Ἀμβλύνεσθαι, ubi de oculis uſurpatur, eſt *obtuſum cernere*, nec rem poſſe diſcernere . Nec Latinis aliud eſt *Caligare :* quod etſi non raro de aëre, de nube, & ſimilibus caligine obductis uſurpatur ; at frequentius refertur ad oculos dictâ paſſione laborantes, ut apud Celſum II. 7. Plin. II. 22. Tam vero oculi, quam ipſi homines ea oculorum affectione laborantes, *caligare* dicuntur. Haec eo dixi, ne hîc captum oculis Patriarcham ſuſpicemur : qui ἀμβλυωπίᾳ tantum affectus erat, ſed eo uſque, ut corporum umbras ſibi objectas tantum perciperet ; ipſa vero corpora minus diſtinguere poſſet .

Eſau filium ſuum majorem] Optime vim Hebraicae dictionis גדול *gadol* (quae ubi de fratribus agitur, *majorem* notat) Hieronymus expreſſit . At vetus (apud Auguſtin. *Locut*. 96.) verſio *Filium ſuum ſeniorem* ſcripſerat, certe quia in LXX eſt πρεσβύτερον . Sed Eſau re vera *ſenior* non erat (quippe uno cum fratre conceptu genitus) ſed tamen *major*, quia prodierat prior . Minutiora iſthaec adnotare non piget, quae Hieronymianae translationis praeſtantiam prae Itala vetere ubique commendant .

AD GEN. XXVII. 3. 11.

Ver. 3. *Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras : cumque venatu aliquid apprehenderis* (ver. 4.) *fac mibi inde pulmentum, ſicut velle me noſti*] Antiquior (apud Auguſt. *Locut*. 97. 98.) translatio ita interpretatur : *Nunc ergo ſume vas tuum, pharetramque & arcum, & exi in campum, & venare mibi venationem* . Vtramque verſionem age comparemus .

Sume arma tua, pharetram & arcum] In LXX pro *Arma* eſt σκεῦος σου: unde vetus verſio, *Vas tuum*. Quaeritur utra parte erratum, cum aliud videatur *vas* eſſe, aliud *arma* . Sed ajo, ex neutra parte peccatum . Hebraeis quidem כלי *cheli* (ad rem vaſariam primario pertinens) ad inſtrumenta omnia, omnemq. ſupellectilem cujuſvis generis protenditur: unde tot illae in Latina Biblia locutiones manarunt, *Vaſa pſalmi*, *belli*, *irae*, *mortis*, *furoris* &c. Sed & apud Graecos nihilo minus eadem proprietas obtinet: de quo conſulantur (1) Graeci ſcriptores & in primis Pollux . Atque ex his vides, quod hîc erat Hebraice כלי *cheli*, id recte a Senioribus immutatum fuiſſe in σκεῦος, quippe quod pari notionis la-

titudine

(1) Verbi cauſa inter σκεύη ruſtica, numerantur bovum peculiaria, juga, lora, aratra &c. item inter equina apud Xen. in IV. Paed. habenae, frena, phalerae &c. item σκεύη μαγειρικὰ *coquinaria inſtrumenta* habes apud Athenaeum aliosque . Quid pluribus opus eſt ? Percurratur leviter Pollucis liber X. ubi cujuslibet generis σκεύη (i. e. non *vaſa* ſed *inſtrumenta*) numerantur . Quod ad loci hujus σκεύη pertinet, 1. Reg. cap. 16. legitur, ἐγενήθη αὐτῷ αἴρων σκεύη αὐτοῦ i.e. *Factus eſt armiger ejus* . Vides quantum inter Hebraeos Graecosque in eo conveniat, quod inſtrumenta omnia, *Vaſa* utriſque dicantur . Atque hinc facile intelliges cur Paulus Apoſtolus a Chriſto ipſo *Vas electionis* vocatus fuerit. Duplex in ea nomenclatione Hebraiſmus ; prior quod *Vas* idem quod *inſtrumentum*, alter quod abſtractum pro concreto uſurpatur, nempe *Vas electionis*, pro eo quod eſt, *Inſtrumentum electum* ad propagandum Chriſti nomen, cum eo quod ſequitur : de quo ad Acta fortaſſe plura .

titudine pollet. At, inquies, vetus ſaltem Latina verſio, quam ſupra recitavi, non recte *Vas tuum* reddidit, utpote contra Latinorum proprietatem, apud quos *Vas* non videtur fuiſſe aliud quam χωρητικὸν (*capacitatis*) nomen, non vero venatorium (ut hîc) aut bellicum, piſcatorium, aut tale aliud. Sed reſpondeo, recte quidem atque ordine feciſſe Hieronymum, qui hîc non *Vas* ſed *Arma* poſuit (quippe id uſitatius Latinis fuit) ceterum non ignoraſſe Hieronymum, interdum apud Latinos etiam *Vaſis* vocabulum ad quaelibet inſtrumenta (2) porrigi conſueviſſe.

Quandoquidem autem modo ad ver. 3. ex occaſione translationum* Biblicarum nonnulla ad Latinam proprietatem pertinentia conſectati ſumus, proderit & ex ver. 11. id haurire commodi, quod LENIS (Gr. λεῖος) τῷ PILOSVS hîc opponatur. De hac notione nemo quidem dubitabat, tametſi exemplis carebamus, iis certe quae ad corpus pertinerent: nam quae ad animum & ἀσώματα referuntur, plura ſunt, ut *lenis animus*, *lenis oratio*: ſed tamen excipiet aliquis, in his *Lenis* poſſe accipi pro *Dulcis*, *placidus*. At ad corpus hoc pertinet, quod in hoc ver. 11. Hieronymus poſuit *Lenis* pro LXXvirali λεῖος. Sic enim hîc Jacob loquitur: *Noſti quod Eſau . . . piloſus ſit, & ego lenis*. His adde quod apud eumdem Hieronymum in quaeſt. Hebr. ita exhibetur hic locus ex vet. Itala verſione: *Ecce Eſau frater meus vir piloſus, & ego ſum vir levis*. Ergo *Lenis* in Vulgata Hieronymi idem, qui *Levis* (producta priore) eſt, utrumq. vero a λεῖος (quo utuntur hîc LXX) venit. Cui λεῖος proximius quidem eſt *Levis* prod. pen. at ab eodem λεῖος fit etiam *Lenis*. Nam ſicuti a λεῖος ut fiat *Levis*, digamma ſive *Bau* interponitur; ita ut indidem *Lenis* Hieronymianum formetur, N de more interjicitur, ſicuti a σάος fit *Sanus*, a πλέος *plenus*.

AD GEN. XXVII. 27. 29.

Ver. 27. *Statimque ut ſenſit veſtimentorum ipſius fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*] Veſtimentis fragantiam non aliunde conciliatam puto, quam ex lignis, herbiſve ſuaveolentibus, praeſertim vero ex aromatibus, quae in arca cum veſtibus includebantur. Romani Graecique ligna citrina in id adhibebant. *Odor agri pleni* notatu dignus. Re enim vera ubi ſata maturuerunt, odorem ſuaviſſimum fundunt, hunc vero agri praeſertim cultoribus gratum, uti tunc magnam partem homines erant.

Ver. 29. *Et ſerviant tibi populi, & adorent te tribus, eſto dominus fratrum tuorum*] Hoc ultimum ita concipitur in vetere verſione apud Auguſtinum (in XVI. de Civit. 37.) *Et FIERE* (3) *dominus fratris tui*. Nec a vero abhorret, apud

(2) Oſtendi Adnot. ſuperiore, apud Graecos τὰ σκεύη ad inſtrumenta omnia, omnemque penitus ſupellectilem pertinere. Hoc idem in Latio praeſtare aegre poſſim. Vel ſic tamen vocem *Vas* non raro eâdem notione ſumi, exempla ſequentia demonſtrant. Ac primum a Gratio Faliſco *Vaſa* appellata fuiſſe inſtrumenta venatoria volunt in Cyneg. v. 219. Turnebus ita Livium I. 24. interpretatur, ubi ait, *Vaſa comiteſque meos*. *Colligere Vaſa* & *Conclamare vaſa* notiſſimae ſunt locutiones. Cic. Verr. 6. *Ille* (Diodorus) *ex Sicilia caſtra jam moverat, & vaſa collegerat*. Caeſar III. Bel. Civ. 17. *Scipio ſuſpicatus fore ut invitus dimicare cogeretur, noctu, neque conclamatis quidem vaſis, flumen tranſivit*.

(3) Fateor quidem in Benedictina editione Auguſtini Antwerpiana, *Et ſias dominus* legi. At inferne monetur lector in MSS. eſſe *Et fiere*. Quod ſi a me quaeras, illud FIERE utrum σφάλμα librarii fuerit, an ex auctoris manu; ajo fuiſſe multo facilius, ut aevo ſequiore (quo iſtud *Fiere* ex uſu receſſerat) ſemidoctus librarius τὸ *fiere* in loco Scripturae

apud vulgus hunc modum imperativum terminatione paſſiva fuiſſe uſurpatum, cum quo infinitivus FIERI cohaeret: uterque vero modus ab inuſitato themate FIOR formari debuit. Quot archaiſmi generis hujus altero Chriſti ſaeculo (quo veterem Italam translationem ex Graeco Seniorum factam fuiſſe exiſtimo) adhuc ab ima plebe (in cujus potiſſimum uſum Scripturae ex Graeco traductae) uſurparentur, lapides inſcripti monſtrant. Proderit iſtiuſmodi locutiones ab uſu remotas, uti ſe dabunt, ex intervallo propinare lectori, ad guſtum Italae verſionis percipiendum.

AD GEN. XXVII. 33.

Expavit Iſaac ſtupore vehementi] Haec verba in fonte Hebr. ſublimius & retruſius aliquid, quam pro cortice litterae, in nucleo continent. Hebraica ſi αὐτολεξεὶ exprimas, ita ſonant (ויחרד *jecherad*) *Cohorruit Iſaac horrore ingenti* (עד מאד, *ad meod*) *uſque ad ſummum*. In LXX eſt quiddam ſignificantius: Ἐξέστη .. ἔκστασιν μεγάλην, *Extra ſe raptus* . . *exceſſu mentis vehementi*. Nec dubitandum reor, quin eo in articulo temporis ſenex divina paſſus, intellexerit myſteria futurorum, ob quae priori poſterior anteferendus. Hinc non mutat factum: *Benedixique* (ait) *ei & erit benedictus*. Imo factum probaſſe oſtendit Itala translatio, uti mox exponam.

Et ait (Iſaac) *Quis igitur ille eſt, qui dudum captam venationem attulit mihi? & comedi ex omnibus*] Verſio vetus apud Auguſtinum in XVI. de Civit. cap. 37. habet: *Quis ergo venatus eſt mihi venationem, & INTVLIT MIHI*: pro quo Hieronymus, *Et attulit mihi*. Hoc in tranſitu moneo, ut intelligas Hieronymum prope ſemper variare ſolitum, ibi etiam ubi Italae verba proprietate non carent, ut hîc illud *Intulit* & alibi. Ceterum tam in Hieronymo quam in Itala *Venatio* non pro venandi exercitatione, ſed pro praeda uſurpatur: quod valde (4) Latinum eſt. Sicuti contra venandi ſtudium raro quidem *venatio* dicitur, ſed plerumque *venatus*. His enim terminis hoc quodcumque diſcrimen malui definire, quam quibus olim Salmaſius (5) circumſcripſerat. Atque hanc differentiam hoc

N 2 toto

Scripturae nactus, in *Fias* mutarit, quam contra τὸ *Fias* (quod reprehenſione careret) in neſcio quod FIERE ſit auſus vertere. Itaque ab antiquo FIERE non *Fias* (quod a calamo correctoris intruſum) in Itala fuiſſe ſcriptum neceſſe eſt.

(4) Imo raro aliter *venatio* quam pro praeda uſurpatur. Livius XXV. 9. *Convenerat, ut Philemenus portulâ aſſuetâ VENATIONEM INFERENS, armatos* (in urbem Tarentinam) *induceret*. Aliis Livianis locis abſtineo, ſed hunc ſelegi potiſſimum, quia integram locutionem continet, qua utitur Italae fragmentum ſuperne recitatum: *Venationem INTVLIT mihi* in menſam ſcil. (quod ſane elegans) pro quo S. Hieronymus, *venationem attulit mihi*. Ad haec Celſus I. 6. *Venatio durique piſces* . . *maxime juvant*. Idem V. 26. & 28. Ceterum quid ſit in villis *Septum venationis*, in quo genus omne ferinum ſpatiabatur, ex Varrone III. R. R. 12. diſces, itemque ex Columella IX. in princ. & cap. 1. Quod *venationis ſeptum* eo inſtitutum, ut & hoſpitibus inopinato dominum opprimentibus, & domino ipſi (ſi quando, ut hîc Iſaacum, ferinae cupido inceſſeret) prompta & parata eſſet ad menſam.

(5) Ab iſtiuſmodi adnotandis abſtinuiſſem, niſi Salmaſius ad Capitolini M. Antoninum cap. IV. ſcripſiſſet, *Venationem* numquam pro exercitatione venandi (niſi ubi de amphitheatrali agitur: quae κατ' ἐξοχὴν *Venatio* vocata) uſurpari, ſed tantum pro capta venando praeda: ipſum vero venandi ſtudium non licuiſſe aliter quam *Venatum* vocari. Atqui Cicerone quid fiet in II. Fin. 23. ſcribente: *Piſcatu, aucupio, VENATIONE* . . . *vitantes cruditatem*. His adde & Vulgatae loca non pauca ut Lev. XVII. 13. & 3. Reg. IV. 23. & Thren. III. 52. & 1. Mach. III. 4. In his enim *Venatio* eſt actus ipſe venandi. Sicuti contra ferina interdum *Venatus* eſt dictus. Gellius IX. 4.

Digitized by Google

toto cap. rite obſervatam cernis. Verſu enim 3. ſcribitur: *Cumque venatu aliquid apprehenderis*. His verbis habes quid ſit *venatus*. At *venatio* praeda eſt, ac pro ferina tum hic ponitur, tum ſup. v. 7. & 25. Et quidem abſtracta pro concretis cum elegantia (6) millies uſurpantur. Ad haec in iis quae ſequuntur, ſi cum Vulgata hodierna legeris, *Benedixitque ei*, & *ERIT benedictus*, dumtaxat intelliges, Iſaacum non mutaſſe factum, etſi potuiſſet infringere, obtexendo fraudem. At poſtquam ἐν ἐκστάσει myſteria divina cognovit; non tantum non revocat factum, ſed probat, dicens, *Et SIT benedictus*. Ita in Itala apud Auguſt. loc. cit. Nam in Alex. cod. apud LXX non ἔσται, ſed ἔστω: quod multo melius.

AD GEN. XXVII. 35.

Venit (Jacob) *germanus tuus fraudulenter & accepit benedictionem tuam*] Jacobi fraudulentiae, quae a genitore notatur, aperte fons Hebraicus (in quo eſt בְּמִרְמָה *bemirmah*, *in dolo*) itemque LXX apud quos eſt μετὰ δόλου, adſtipulantur. Et tamen in Onkelo pro בְּמִרְמָה *bemirmah* (*in dolo*) legitur בְּחׇכְמָא *becbucma* h. e. in *ſapientia*, ſive quia ſapientiam mundi intelligit, ſive quod ſermone Hebraeorum, & linguarum exinde ortarum *doli* vocabula non raro mollius accipiuntur. Mitto illas *Doli-mali* in XII. Tab. & apud JCtos comites ſemper voces, quaſi poſſit & *bonus* eſſe. Sed & revocari huc poſſet illud Evangelicae parabolae, Luc. XVI. 8. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis*, *quia prudenter feciſſet*; niſi ea verba ad contextum parabolae, quae tota interdum ex mundo petitur, pertinerent. At in ἐπιμυθίῳ (*affabulatione* parabolae) nihil eſt quod ad villici commendationem pertineat. Huc autem quod attinet, Jacobi factum gravidum eſt myſteriis ponderoſis, de quibus legendus eſt Auguſtini liber contra mendacium.

AD GEN. XXVII. 38. 39.

38. *Num unam tantum benedictionem habes*, *Pater? Mihi quoque obſecro*, *ut benedicas*. *Cumque ejulatu magno fleret* (ver. 40.) *Motus Iſaac dixit ad eum*: *In pinguedine terrae* &c.] Atque haec paullo ampliora in LXX leguntur in hunc modum: Μὴ εὐλογία μία σοι ἔστι, Πάτερ; εὐλόγησον δὴ κἀμέ, Πάτερ (κατανυχθέντος δὲ Ἰσαὰκ) ἀνεβόησε φωνῇ Ἡσαῦ, καὶ ἔκλαυσεν (ver. 40.) Ἀποκριθεὶς δὲ Ἰσαὰκ &c. Quae duo verba uncis interpoſita vides, iis nihil in Hebraeo, & Hieronymi Latino reſpondet, nihil in Onkelo, ceteriſque Orientalibus verſionibus, nec eorum mentio apud Judaeos ulla; ita ut in Hebraico exemplari Alex. quo olim uſi Seniores, eas duas voculas fuiſſe oporteat, abfuiſſe vero a ceteris Hebraeis codicibus per orbem ab Judaeis inhabitatum diffuſis. Nec alia diſcriminis hujus afferri ratio poteſt.

Nunc de Itala vetere, quae de Graeco LXXvirali traducta fuerat, eſt videndum, num quid praetulerit, quod Seniorum voculis Graecis duabus reſponderet. Sane uni Auguſtino (Serm. 4. tom. 5.) iſtud Italae comma debemus ita conceptum: *Cum ſtrangulatus eſſet Iſaac*. Ac ne de ſignificatu verbi *ſtrangulatus* haeſitaremus, id non multo poſt Doctor idem voce *Suggillatus* interpretatur, quae certe

IX. 4. *Veſci avium & ferarum venatibus*. Sic etiam non ſemel Plinius & Ammianus XXIII. 6.

(6) Cujuſmodi illud Ciceronis ad Att. I. 2. *Epiroticam emptionem* pro empto ibi fundo. Sic Aeſtimationem accipere, pro eo quod eſt aeſtimatum: ſic *Lavatio argentea*, *Ambulatio*; & ὦνα ὠνία.

certe aetate Auguſtini tantumdem erat, quod *ſtrangulatus*, *ſuffocatuſve*, ut oſtendam. Ac ne quis de vera ſuffocatione ſuſpicaretur, ita ſeſe Auguſtinus ibid. explicat: *Cum ſtrangulatus eſſet Iſaac, id eſt cum coactus eſſet*. Ac non multo poſt: *Quare ſuggillatus Iſaac, benedixit? Jam enim neceſſitate, jam coactus pater ejus*. Coactioni conſentit Ambroſius de Jac. lib. 2. cap. 3. *Et ipſe* (Eſau) *ut benediceretur, cogendo eliciut*. Ad ſummam vis verbi *ſtrangulatus* illuſtratur I. ex ei reſpondente (κατανυχθέντος) II. ex Auguſtini *Suggillatus*, III. ex ipſa facti hiſtoria: de quibus inferne (7) vide.

Habes ecquidnam in antiqua Itala *Strangulatus* notaverit: coactionem nempe deſignat ejuſmodi quae *ſtrangulatio* vocari μεταφορικῶς poſſet. Notat, inquam, rem extortam precibus, ejulatu, clamoribus, & quidem ejus nati, quem ſenex prae altero deperierat. Atque ex his plane novam verbi κατανύσσομαι (quod modo uncis in LXX παρεντέθεικα, quodq. vulgo *Compungor* vertitur) notionem diſcimus, qua ſignificat non vi, non impetu & impreſſione facta aliquid extorquero, ſed diu exſtimulando, nempe precum, lacrymarum, ſuſpiriorum aſſiduitate per multum temporis non interrupta. Sic quidem Eſau benedictionem diu ante negatam rapuit: non ſine tamen nutu divini Numinis, cum quo Patriarcham Deo plenum credibile eſt agitaſſe interna commercia. Ac certe qualemcumque illam benedictionem, non niſi Deo annuente tandem Eſavo impertitam, ex eo intelligimus, quod Idumea (quae ſors Eſavi fuit) benedictionis hîc pronuntiatae fructu diu gaviſa comperiatur.

AD GEN. XXVII. 44.

Habitabiſque cum eo dies paucos] In Hebr. eſt ימים אחדים *jamim achadim* i. e. *dies unos*. Quid hoc ſibi velit, ex iis intelliges, quae ſup. ad Gen. XXI. 15. adnot. 1. ediſſerui. Oſtendi enim *Vnus* pro *Quidam* tum Latinis tum etiam Graecis eleganter dici. De Hebraeis equidem non dubitabam, quin eadem locutione delectarentur in ſingulari juxta cum Graecis Latiniſque. At quod hîc plurale eadem notione uſurpetur, locus eſt ſingularis; ſicuti & alter Gen. XXIX. 20. *Et fuerunt* (illi ſeptem anni) *in oculis ejus* (Jacob) *ſicut dies* (אחדים *achadim*) *uni*.

AD

(7) Ad τῦ κατανύττω vim quod attinet, id quidem verbo tenus eſt *Compungere*: at hoc loco ſignificat *exſtimulare*, ac ſubdere tales precum & lacrymarum ſtimulos, quibus non poſſet ſenex reſiſtere. Itaque recte in Itala exponitur, parentem hinc nati gemitibus, illinc patria teneritate propemodum *ſtrangulatum*, impertiviſſe tandem Eſavo, ſi non illam opimam (Jacobo a Deo deſtinatam) at ſaltem macram, quam Deo annuente licuit, benedictionem.

Adhaec illud Italae *Strangulatus* vim precum Eſavi apud parentem ſummam deſignat, quae eum *ſtrangulare* propemodum videretur, & (quod ſynonymon eſt) *Suggillare*. De *Suggillo* praeter ea quae in optimis quibuſque lexicis ex idoneis Latinis auctoribus afferuntur, quae cupido lectori patent, proderit primum ex Gloſſis Biblicis MSS. apud Cangium hoc afferre: *SVGGILLO tractum eſt a gula, quaſi Suggullo: unde ſuggillare eſt propriè ſtrangulare*. Hoc ideo in Biblicis Gloſſis locum habuit, quia Luc. XVIII. 5. *Suggillare* eo ſignificatu ponitur: ubi in loco aliquid aliud fort. admetiemur. Papias eamdem notionem, idemque etymon τῦ *Suggillo* tribuit. Gregorius Turonenſis non ſemel pro vera non metaphorica ſtrangulatione id verbum uſurpavit. At Lucae locus XVIII. 5. hujus, qui ad manus eſt, germanus eſt. Vterque enim metaphoricam precum importunitatem ac prope ſuffocationem continet.

AD GENESIS CAP. XXVIII.

AD VERS. 2.

Sed vade & proficiſcere in Meſopotamiam Syriae ad domum Bathuel . . . & accipe tibi inde uxorem .

Sed vade & proficiſcere in Meſopotamiam] LXX qui τὸ *proficiſcere* interpretati ſunt, Ἀπόδραθι, *Fuge*, videntur ſpectaſſe ad illud Oſeae XII. 12. *Fugit Jacob in regionem Syriae* (1). Conſentit auctor Sapientiae (vetuſtior an recentior Senioribus, non interpretor) cap. X. ver. 10. ubi de Jacobo ſic loquitur : *Profugum irae fratris Juſtum deduxit per vias rectas* . Verum Hieronymus videns hîc Seniores dum fugam interpretantur, ſeſe prophetas magis geſſiſſe quam interpretes, recte *Proficiſcere* (id quod in Hebraeo eſt) in ſuo poſuit . Contra vero ante Hieronymum Itala τὸ Seniorum *Fuge* ſervarat fideliter . Extitat Italae locus apud Auguſt. in XVI. de Civit. Dei cap. 38. ita conceptus *: Surgens fuge* (in Graeco Seniorum, Ἀναςὰς ἀπόδραθι) *in Meſopotamiam , in domum Batuel* . Vox Oſeae *Fugit* refertur ad iram Eſavi fratris, de qua diſerte meminit ſuperior Sapientiae locus : *Profugum irae fratris* .

In Meſopotamiam Syriae ad domum Bathuel] In Hebraeo eſt : פדנה ארם *Paddenah Aram*, h. e. *in Paddam Aram* (ea vis τῦ ה localis eſt; ubi in fine locorum additur) ſive *In Padan Syriae*, cujus nomine *Meſopotamia* intelligitur . Vox *Padan* , auctoribus Aben Eſra & R. Salomone , planitiem campeſtrem & ſativam notat . Hinc quod hîc *Padan Aram* vocatur , id Oſeas paullo ante laudatus *Sedeh* (i. e. *campum*) *Aram* nuncupavit . Ac re vera quamvis multae eſſent planities, quibus τὸ פדן *Padan* veluti commune vocabulum praeponebatur, quarum nomina in ima (2) ora ſubjeci ; nulla tamen ſativa planities nec amplior , nec laetior ,

(1) In Hebraeo Oſeae eſt quidem iſtud *Fuge* (ויברח *vaibrach*) ubi etiam pro *Regionem* eſt (שדה *ſedeh*) *agrum* : at in Graeco Prophetae (quod Graeco Pentateuchi recentius) eſt ἀνεχώρησεν Ἰακὼβ εἰς πεδίον Συρίας . *Seceſſit Jacob in planitiem Syriae* . Quod aliud eſt .

(2) *De quincuplici Padan . De Padan circumpadano conjectura* .

Quinque campeſtres planities (cum addito *Aram*) in Scripturis numerantur . Prima & omnium praeſtantiſſima ea eſt , de qua dixi , *Paddan Aram* , aliter *Aram nabaraiim*, quaſi ſi *Syriam interamnam* voces , quae Tigri & Euphrate continetur. Dixi modo, *Paddan Aram* , & *Aram Nabaraiim* (ſive *Syriam duorum fluminum*) eſſe ſynonyma . Recte ; quia *Paddan* Chaldaeis eſt *Duo* ſive *Par*; unde Chald. *Padna torim* eſt *Par boum* . Hinc *Aram* eodem ſignificatu cum *Paddan* , quo cum *Nabaraiim* nectebatur ; utrumque enim erat *Syria duorum fluminum* , aut *Syria interamna* .

Aliae ſunt quae ſequuntur quatuor : *Aram Soba* , *Aram Dammeſhek* , *Aram Bethrehob* , & *Aram Maacha* . Has ergo, quia *Aram* dixerunt , totidem *Syrias* eſſe voluerunt : de quibus vide Bochartum in II. Geogr. Sacr. cap. 6. ex quo ſuperiora in hunc locum derivavi .

Antequam vero ex *Padan* loci hujus diverto , videndum an non ampliſſima illa in Italia campeſtris & fertiliſſima regio , quae hodie dum a diuturno Langobardorum imperio *Lombardia* vocatur, quae Apennino, Alpibus , & Hadriatico clauſa , Eridano amne bifariam finditur , antiquis illis Tyrrhenorum ex Oriente advenarum temporibus *Padan* propter camporum immenſitatem bonitatemque vocata fuerit. Amabant nempe Tuſci loca haec homonyma iis , unde profecti , facere , ut in Tuſcis Origin. Romae editis demonſtravi . Atque haec fortaſſis latifundia principio *Padan* ex ipſa re nuncuparunt : at poſtea diſcriminis cauſa (ut in ſuperiore *Padan* vidi) cognomen addidere ארץ *erez* ſive potius (Zeta in D , ſicuti mos , commutato) *Ered* aut *ERID* . At poſtremo ubi Etruſcis ex ea tota regione magna ex parte depulſis , coloni oris alterius ſucceſſerunt, ea duo nomina Pado amnium maximo, ac domino regionis ceſſere in peculium , ita ut *PADVS* aliis , aliis *ERIDANVS* vocaretur, ex *Padan* ſcil. & ex *Ered*

Digitized by Google

tior, nec fertilior eâ quae in Meſopotamiâ Tigris & Euphratis complexu includebatur. Atque hujus borea quidem pars, Strabone teſte, lib. XVI. laeta frugibus ac paſcuis regio erat, ab Armeniae montibus ad flumen Chaboram pertinens: altera vero quae hinc orſa, ad Babyloniae fines porrigebatur, infeliciſſima prorſus ac ſabuloſa, Scenitarum Arabum ſedes: cujus ingentia incommoda Xenophon in *Anaß.* teſtis oculatus deſcripſit. Labani domus, ad quam Jacob profectus, in beatiore illa Septentrionali parte erat.

AD GEN. XXVIII. 14.

Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem] LXX ſic habent: Καὶ πλατυνθήσεται (ad *Semen tuum* refertur: at in Hebr. & Vulgata ad Jacobum) ἐπὶ θάλασσαν, καὶ Λίβα, καὶ Βοῤῥᾶν, καὶ ἐπὶ ἀνατολάς. Quod vetus Itala apud Auguſtin. in XVI. de Civ. cap. 38. ita reddidit: *Et dilatabitur ſuper mare, & in Africum, & in Aquilonem, & ad Orientem*. Ex his vides, ordinem plagarum mundi alium in LXX & hos ſecutâ Italâ, ac in Hebr. & Hieronymo eſſe. Deinde quod ἐπὶ θάλασσαν poſuere Seniores, in eo non receſſere quidem ab Hebr. ימה (h. e. *mare verſus*) ſed Itala melius Graecos expreſſiſſet, ſi, ſicuti in aliis plagis *In* aut *Ad* uſurpavit, ita quoque hîc *Ad mare* ſcripſiſſet. Ad ſummam Hebraeis, quia Mare ad Occidentem eſt, idcirco *ad Mare* tantumdem quod ad occaſum ſolem; unde in Pſalmis illa ſunt, *Ab Aquilone & mari*. Et *Aquilon. & mare tu creaſti*. At illud Italae, *Super mare*, longe aliud eſt, quam ut cardinem terrae deſignet.

AD GEN. XXVIII. 18.

Surgens ergo Jacob mane, tulit lapidem, quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper] Etſi non ſemel aras Patriarchae ſtatuerant, in quibus etiam operati; tamen hoc primum altaris conſecrati ſpecimen eſt, quod & Hebraea poſteritas & profani, ac multo magis Chriſtiani ſunt poſtea imitati. Vix alibi eſt inſignior ad patriarchalis liturgiae exordia atque proceſſus notandos locus: quem praeſtabit deguſtare particulatim.

Surgens ergo Jacob mane] Primam diei horam Divinis rebus impendere & Scripturarum & Sacrae totius hiſtoriae exemplis oſtenderem, niſi ea in vulgus innotuiſſent, & id natura doceret.

Tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit . . .] In Hebraeo non eſt *capiti* ſed *capitibus* & quidem muliebri genere. Sic enim totidem verbis Hebraea ſonare volunt: *Et tulit lapidem quem poſuerat* (מראשתיו *meraashothau*) *capitibus ſuis*. Ac ſuſpicio inceſſerat hîc de cervicali agi, idque ſuadente tum plurativo numero, tum etiam genere ſequiore. Sed poſtea animadverti, id ſecutos eſſe Syrum, & Samaritanum interpretes, apud quos vertitur, *Quem* (lapidem) *poſuerat cervical ſibi*. In Arabe paullo aliter; ſonat enim, *Quem poſuerat pulvinari*. Mens Arabis credo fuit, Jacobum inſtar baſis lapidem ſubſtraviſſe, hunc vero, ſuperjecto frondium foenive torali, molliviſſe. Ne ergo dubita, quin per מראשתיו *cervicalia* ſignificentur ad edomandam ſaxi duritiem ex quovis molliore tomento

Ered flexis nominibus. Nam *Padus* quidem eſt ipſum פדן *Padan*, campeſtrem planitiem notans: at vox *Eridanus* eſt ab ארז ſive ארד (*Ered*) quod piceis arboribus convenit, quibus olim tota regio ſcatebat, maxime in montanis, unde tot illa flumina ad ditandum Eridanum ſcatent. Plura aliquot de duobus hiſce nominibus in Tuſcis Orig. pag. 7. ediſſerta habes.

tomento temere pro loco ac tempore conflata. Exſtat haec ipſa vox feminina cum cervicalium ſignificatu 1. Sam. XXVI. 7. & 12. Ergo vertere hunc locum liceat: *Quem* (lapidem) *ſuppoſuerat pulvinari* . Neque ab hac interpretatione LXX & Itala eorum translatio valde abeunt . In Senioribus legitur: Ὃν (λίθον) ὑπέθηκεν ἐκεῖ πρὸς κεφαλῆς αὐτοῦ . Quod Itala vetus apud Auguſt. in XVI. de Civit. ita reddidit: *Quem* (lapidem) *ſuppoſuit ibi ad caput* . Non *capiti* dixit ſuppoſitum lapidem, ſed tantum *ad Caput* , quia inter hoc & lapidem aliquid mollius loco cervicalis intercedebat .

Et erexit in titulum] In Hebr. eſt, *Et poſuit eum* (lapidem in) *ſtatuam* . LXX in hunc modum: καὶ ἔστησεν αὐτὸν στήλην h. e. *Et ſtatuit illum* (lapidem in) *columnam* , ſive potius *titulum* . Nam Itala ex LXX non *columnam* ſed *titulum* reddidit apud Aug. loc. cit. his verbis: *Et ſtatuit illum in titulum*. Ac ſane Hebraicum מצבה *matſebah* apud LXX fere ſemper στήλη vertitur . Tam vero Hebraeum *Matſebah* (quod ex vi nominis proprie *Statuis* e regione reſpondet, ſicuti & στήλη) tam, inquam, *Matſebah* quam *Statuae* , στήλης , *columnae* , *tituli* nomina ac plura ſimilia apud remotam antiquitatem latiſſimâ notione pollent; ac ferme omne id quod non ad tempus ſed ad perpetuitatem ſtaturum ponitur , iis & ſimilibus vocabulis deſignatur: id quod in ima (3) ora demonſtratur .

Et jam quidem plura illa quae de Hebraeo *Matſebah* , de Στήλη , de *Titulo* aliiſque ferme ſynonymis huc uſque congeſſimus , ſatis eſſe videbantur ad notionem

(3) *De ſynonymia Matſebae* , *Statuae* (*ubi de* ἀκώλοις) στήλης , *Columnae* , Βωμοῦ , *Arae* , *Tituli* , *Acervi* .

1. Incipio a מצבה *Matſebah* loci hujus: quod quia eſt ab Hebr. הציב , *hitſib* , *ſtatuit* ; perſpicuum eſt, nihil ei magis reſpondere quam *Statuam* , & utrumque nomen ſicuti de ſignis lapideis , aut ex fuſili metallo factis capitur , ſic etiam de columnis; ut ex inſcriptione veterrima intelligitur, quae Pollae in Lucanis viſitur, eſtque apud Grut. p. 150. num. 7. ubi quot millia paſſuum ex locis aliquot AD STATVAM colligantur, ſignatur: quo loco *STATVA* eſt celebris prope Rhegium columna, itinerum terminus. Nec STATVA tantum (& ſic credo etiam *Matſebah*) de columna accipiebatur , ſed multo etiam magis de informibus ſimulacris , qualis dea Peſſinuntia, & apud Herodianum in Elagabalo deus huic Auguſto cognominis: item quae dicebantur *ſtatuae* ἀκώλοι, i. e. ſine membris , aut ſolo capite praediti . Atque ea ſimulacra, in veteribus monumentis obvia, *Hermae* communi vocabulo dicebantur . Dixi pauca de *Matſebah* deque *ſtatua* , ambobus a ſtatuendo ita vocatis .

2. Venio ad Στήλην atque *columnam*. Vtraque vox non ad eas tantum columnas pertinet , quae ad architectonicorum ordinum canones exiguntur, ſed ad cippos quoslibet, ſive quadratos ſive etiam temere erectos, dummodo in rei memoriam ad poſteros tranſmittendam ſtent . Tales ſunt Homericae aliorumque Veterum auctorum στῆλαι plurimae ad ſervandam rerum geſtarum aut mortuorum memoriam fixae.

3. Interdum ſub his nominibus etiam *Ara* deſignatur. In nummis & veteribus anaglyptis ara ad ſacra facienda vix aliter quam in columellae modum effigiatur . Itaque quam Suetonius Julio cap. 85. & Cic. ad Att. XIV. 17. & Lactantius I. 15. *Caeſaris columnam* vocant, eam Dio lib. 44. Βωμὸν (*altare*) & Cic. XI. fam. 2. *Aram* nuncupat . Tametſi *Arae* vocabulum non ita in ſacrorum peculium ceſſit, ut non etiam cippis omnibus ſepulcralibus & alterius generis tribuatur, ut alibi mihi dictum, & exempla plura peti ex Fabretto poſſunt . De hoc *Arae* ſignificatu vide quae dixi ſupra pag. 35. Adnot. 11. ad illud QVIS . ARA . HAEC . POSITAST. in titulo S. Angeli in formis . Idem & de Βωμὸς intellige.

4. Poſtremo *Titulus* non tantum cippos ad rem quamlibet poſterorum memoriae mandandam litteris inſcriptos notat , verum etiam mutos atque illitteratos lapides , modo ad tranſmittendam memoriam valeant : de quo mox ad verba ſequentia .

5. Huc quoque *Acervi* lapidum pertinent, quibus antiquior aetas ad tradendam poſteritati memoriam utebatur : de quibus ad Geneſ. XXXI. 47. erit dicendi locus .

tionem *Tituli* (ſicuti & *Matſebah* & Στήλης) huic loco convenientem perſpiciendam. Ac tamen rem paucis refricabo. Vbicumque hae voces occurrunt (occurrunt autem locis (4) non paucis) ibi altare & locum adorationis par eſt intelligi: idque hîc vel maxime oſtenditur ex ſtatim ſequentibus verbis.

Fundens oleum deſuper] Haec verba ſi quid aliud, locum ſacra unctione (5) conſecratum oſtendunt, ſicuti & maxime ex eo quod ei loco *Bethel* i. e. *Domus Dei* inditum fuit: de quo jam ad ver. ſequentem & ad ult. eſt dicendum.

AD GEN. XXVIII. 19.

Appellavitque nomen urbis Bethel, quae prius Luza vocabatur] Locus non in plano poſitus, maxime ob eam cauſam quod videatur Hieronymus ab Hebraeo (in ſpeciem tamen) diſceſſiſſe nonnihil. Hebraea Pagninus ita convertit: *Et vocavit nomen loci ipſius Bethel, & utique Luz nomen Civitatis in priori.* Eumdem locum in LXX ſic legimus: Καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα τῦ τόπυ ἐκείνυ, Οἶκος Θεῦ· καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον. Itala vetus variat apud Patres pro Graeci textûs antiquis varietatibus. Haec tamen videtur textui Seniorum convenientior, quae in Auguſtino exſtat quaeſt. 85. in Gen. tom. 3. *Et vocavit Jacob* (Ιακὼβ in Senibus alicubi legitur, alibi abeſt) *nomen loci illius, DOMVS DEI; & Vlammaus erat nomen civitati ante.*

Hactenus praecipuae ſunt interpretationes loci hujus: nunc ſingula particulatim diſcutiamus Hieronymianae verba, & cum Hebraeo cumque LXX comparemus. Sic incipit. *Appellavitque nomen urbis Bethel.* Ajo pro *Appellavit* commodius verti poſſe, *Appellatumque eſt*: cujus rei deinceps ratio afferetur. Deinde cum in Hebraeo ſit מקום *makom* i. e. *loci*, cumq. LXX τόπυ, Itala *Loci* verterint, hoc multo mallem quam *urbis*. Non defuit tamen Hieronymo (6) ratio, cur pro *Loci* ſcripſerit *Vrbis*. Poſtremo *Bethelis* Hebraicum nomen retinere cum Hieronymo praeſtabilius cenſeo, quam cum Senibus cumque Itala interpretari (Latine *Domus*

Dei)

(4) Vbicumque enim *Tituli* vox in Latino eſt, ibi in Hebr. eſt מצבה *matſebah*, in LXX vero στήλη. Vide infra v. 22. & XXXI. 45. & XXXV. 14. Ex. XXIV. 4. Lev. XXVI. 1. &c.

(5) Vnctio in populo Dei a primis uſque temporibus ad peculiare ſanctificationis nec non deſtinationis cultui Divino factae, Deo ipſo inſtituente ſymbolum, evecta fuit. Ne hinc diſcedam; Jacobea haec inunctio lapidis valuit ad eum, uti ara Domini ſit, dedicandum. Poſt plures annos cum hoc ipſum Jacob relegeret iter, denuo lapidem in loco Divini alloqui in titulum erexit, non ſine olei effuſione & ſacris libationibus, uti Gen. XXXV. 14. narratur. Quando Lex poſtea data fuit; ex ejus mandato neceſſe fuit Sacerdotes, vaſa veſteſque ſacras, loca divini cultus, & nihil non ex praeſcripto Legis perungi: quae fruſtra ſit ſingillatim commemorare. Olei & aliorum unguentorum nagyra ad deſignandam divinae in ſpiritibus hominum operationis ſuaviſſimam ἱεργησίαν in vetere novaque Lege mirifice valuit, ac valebit.

Ac tantumdem apud profanos ab antiquiſſimis temporibus ſtuduit imitari diabolus: ex quo Chriſtiani apologiarum ſcriptores riſum ex eo captare ſoliti. Cujuſmodi eſt illud Arnobii de ſe adhuc in ethniciſmi errore verſante: *Siquando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ſordidatum, tamquam ſi ineſſet vis praeſens, adulabar, affabar.* Traductâ enim ab hoc Jacobi facto conſuetudine, informes lapides in triviis ungebant, coronabantque; quod ſaepe Lucianus irridet, cujus in Charonte illud eſt: Τί ἐκεῖνοι στεφανοῦσι τοὺς λίθους καὶ χρίουσι μύρῳ; *quid coronant lapides & unguentis oblinunt?* Tritum illud Tibulli de ſe:

Nam veneror ſeu truncus habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

(6) Ratio illa fuit, quia cum *Bethelis* nomen nomini *Luzae* (quae certe urbs fuit) ſucceſſerit; noluit Bethelem honorifica illa *Vrbis* appellatione (quae Luzae antea fuerat) fraudare. Confer Gen. XXXV. 6. *Luza quae eſt Besbel.*

Dei) maxime cum ea urbs ſub *Bethelis* nomine, non vero ſub *Domus Dei* appellatione evaſerit celeberrima. Ab eodem *Bethelis* Jacobeo nomine & *Baetylorum* (7) h. e. lapidum quorumdam animatorum lepida fabella prodiit, quam Philoni Byblio apud Porphyrium in Euſebio I Praep. 10. aliiſque plurimis debemus.

Jam commatis propoſiti ultima videamus: *Quae* (Bethel) *prius Luza vocabatur*] At equidem propiorem fonti, imo & hiſtoriae, LXXviralem translationem reperio: Καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον. Ex quo vetus Itala: *Et Vlam Luz erat nomen civitatis ante*. Ac tota loci difficultas eſt in *Vlam*: quod a non paucis pro affirmativa particula ſumitur, ſicuti & in aliquot Scripturae locis accipitur, ut ſit *utique*, *certe*, *profecto*. At ejus tritiſſima notio eſt pro *porticu*, *veſtibulo*, aliave opinor exteriore primarii operis appendice; ita ut hoc maxime hîc inſinuare Scriptor Divinus velit, *Bethelem* (illum intelligo lapidem a Jacobo erectum in titulum) fuiſſe tam proxime Luzam, ut veſtibulum, aut fortaſſis προαστεῖον (*ſuburbium*) *Luzae* haberetur. Quo pacto id Moſes inſinuat? quia ante pernoctantem ibi Patriarcham is locus *Vlam-luz* i. e. *Luzae veſtibulum* dicebatur, & ſic quoque aliquanto poſtea. At demum *Bethelis* nomine propter Jacobi celebritatem praevaleſcente, tum *Luzae* tum & *Vlam-Luzae* nomina in Bethelem unam transfuſa fuerunt. Recta igitur LXXviralis verſio.

Hoc ergo ſibi vult comma iſtud, ſicque cum Vulgata conciliatur: *Appellavitque* (commodius vertes, *Appellatum eſt*, aut *Audivit* (8) tamquam ſi neutrum ſit) *nomen loci ipſius Bethel, at Vlam-Luz erat nomen civitati ante*: ante, inquam, quam totum *Vlam-Luz* (h. e. Luza cum ſuburbio, in quo Jacob Divina vidit) transnominaretur *Bethel*, ſicuti aevo Moſis haec ſcribentis re vera dicebatur: imo ſtatim poſt vigeſimum ab hac ὀπτασίᾳ (*viſione*) annum videtur haec nominis transmutatio coepta, uti ad finem Capitis ad ver. 22. adnotatum eo.

AD GEN. XXVIII. 20. 21. 22.

Ver. 20. *Vovit etiam* [Jacob] *votum dicens*.: *Si fuerit Deus mecum* . . . . [ver. 21.] *Reverſuſque fuero proſpere . . . erit mihi Dominus in Deum* [ver. 22.] *& lapis iſte quem erexi in titulum*, *vocabitur Domus Dei*] Extremis verbis pro *Vocabitur* in Hebr. eſt יהיה *ihjeh* h. e. *Erit*, quod LXX & aliae verſiones ſequuntur: id quod etiam Itala vetus, utpote ex LXX profecta, continet, in qua apud Hier. lib. 3. cont. Pelag. legitur, *Erit mihi* [non vero *vocabitur*] *Domus Dei*. Atque haec verſio loco huic convenientior, quo Jacob duo vovet, primum

(7) *Baetylorum* fabulam Porphyrius ex Philone Byblio Sanchuniathonis interprete primus diſſeminavit. Fabula iſthaec, ſi modo vetus fuit, ac non potius ſive Philonis, ſive ipſius Porphyrii (uti quidam me invito ſuſpicantur) impoſtura: ea, inquam, fabula originem duxiſſe putatur a Jacobeo lapide in titulum erecto, qui *Bethelis* nomen ſibi quaeſivit. Fabuloſi lapides iſti animati & volantes Damaſcio teſte fuiſſe dicebantur. Imo credebatur ab initio ille ipſe fuiſſe lapis, quem Rhea Saturno ad vorandum porrexiſſe fertur. Piget de his plura referre. Verſati in hoc argumento eruditi viri, Bochartus, Scaliger ad Euſeb. Huotius, aliiq. plurimi, quorum adnotata affert Jo: Alberti in ſuo Heſychio. Vbi (quod nolo omittere) ex Cyrilli lexico hoc etiam affertur: Βαίτυλος· λίθος γενόμενος κατὰ τὸν Λίβανον ὄρος τῆς Ἡλίου πόλεως. Corrupta hîc omnia; ſed ita ut nemo non videat, Ἡλίου πόλιν eſſe *Bethelem*, *Baetylum* autem ex Jacobi Bethelico lapide confictum.

(8) Pluribus aliis mearum ſcriptionum locis memini adnotaſſe me, verbum קרא *kara*, *vocare*, interdum ſub voce activa continere notionem paſſivam *vocari*, aut potius neutram, tanquam ſi pro *Appellavit* hîc vertas, *Audivit*.

Digitized by Google

mum ſe in loco viſionis erecturum Deo domum, deinde decimas omnium oblaturum. Vtrumque ex voventis arbitrio pendebat: at τὸ *Vocabitur* cum non eſſet in ejus voluntate poſitum; non poterat Jacob alienum factum vovere. Scio quidem Hebraeis ſaepe *Vocabitur* uſurpari pro *Erit* (ut apud Lucam *Vocabitur Filius Dei*) at vero cum hîc in Hebraeo & veteribus verſionibus legatur *Erit*, nollem viciſſim id mutari in *Vocabitur*. Id impletum Gen. XXXV. 6. ubi Luza jam *Bethel* dicitur.

AD GENESIS CAP. XXIX.
AD VERS. 15.

Dixit ei (Jacobo Laban): *Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi? Dic quid mercedis accipias*] Pro *gratis ſervies mihi* LXX totidem verbis, δουλεύσεις μοι δωρεάν. Certum eſt autem non de propria δουλείᾳ ſive ſervitute hîc agi (quam qui ſerviunt, ἀπρόσωπα ſunt, quia non inter perſonas, verum inter ſe moventia ſeu pecora numerantur) quia Laban ſe fratrem fatetur; nam quî fieret, ut fratri frater turpem illam ſervitutem ſerviret? Deinde quis locus τῷ חנם *chinnam* (*gratis*) fuiſſet? Nec enim aliter mancipia quam *gratis* ſerviunt, ſicco tantum demenſo contenta. Ergo haec Labani compellatio arguit, hîc non de indecora illa ſervitute agi, verum de altera, quam qui impenderent, θῆτες h. e. μισθωτοὶ (*mercede conducti*) Graecis dicebantur: qui cum liberi eſſent, humillimum reip. corpus conſtituebant: cujus corporis hîc primum ſpecimen occurrit. Atque is ſtatus hominum apud profanas nationes, hinc imitatas, ſtatim increbuit: de quo plura in ima [1] pagella. In Graecia enim θῆτες erant mercede conducti, ultimae inter liberos conditionis: δμῶες autem ſive δοῦλοι dicebantur, qui Latine Mancipia. Atque ἀφέλεια [*ſimplicitas*] heroicorum temporum ferebat, ut ſicuti Jacob Labano θητεύειν olim non gravate tulerat; ſic Laomedonti Apollo paſcendis bobus, Neptunus aedificando ſubſervierint. Hinc αἱ θητεῖαι θεῶν παρ' ἀνθρώποις [*Deorum apud homines ſervitutes*] inter ea, quae Romulus in Graecorum θεολογουμένοις cum non adprobaret, apud Romanos non ſivit celebrari, a Dionyſio Halic. in II. Antiq. pag. 90. 44. numerantur. Quod ſi deorum θητεῖαι a Graecis (ex hoc Jacobi facto imitatis) extollebantur, multo plus heroum. Tres fratres

(1) De voce θῆτες complura me notaſſe memini ad Tab. I. Heracl. pag. 226. Adn. 26. quorum nondum me poenitet: nec tamen ea recoquere ſuave aut urbanum videtur. Horum etymologia videtur verbo θάω *paſco* eſſe accepto ferenda: quod verbum legitur in I. tab. Heracl. ver. 88. De eo verbo vide ibid. pag. 226.

Cetera quae ad θῆτας totamque ejus propaginem pertinent (praeter ea, quae dabit Index Stephaniani Theſ. in θὴς) ſciendum eſt hanc vocem eſſe Homero familiarem pro liberis hominibus, qui mercede pacta operam ſuam ditioribus elocabant. Vnde Telemacho

. . . θῆτες δμῶές τε ἕποντο,

Illum Operae famulique ſequuntur.

Od. XVIII. ignoto hoſpiti Vlyſſi dat optionem Penelope, velit ne θητεύειν. Alibi Achilles mavult Ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, *Quam umbris omnibus apud inferos imperare*. Heſiodus Ἔργ. ver. 602. Θῆτα ἄοικον, *mercenarium domo carentem* conduci jubet. Ac nemo melius Graecorum θῆτες (*mercenarii*) eccui συστήματι ſive *corpori* Romae reſponderent, Dionyſio Halic. expreſſit, dum lib. 2. p. 84. cum Romanis clientibus Athenienſium θῆτας & Theſſalorum πενέστας comparat; atque hos eodem loco apud Graecos eſſe ait, quo Romae clientes reſpectu patronorum h. e. patriciorum. Idem librum tertium ab egregia Tulli Hoſtilii regis liberalitate orditur, per quam ἅπαν τὸ θητικὸν (univerſam operariorum turbam) ſibi devinxit.

ex Temeno oriundos, Gavanem, Aeropum, & Perdiccam [illum nempe Perdiccam, qui Macedoniae regni fundamenta jecit] ex Argo in Macedoniam transfugiſſe, ubi (ἐθήτευον ἐπὶ μισθῷ) *mercede ſervierunt* apud regem; ac primum equos, alterum boves, tertium minores pecudes paviſſe, Herodotus Vrania narrat cap. 137.

Expoſui famulos Iſraëlitarum liberos, quibus mox apud Graecos θῆτες reſponderunt. Venio ad famulas itidem liberas, ſed tamen mercede ad miniſtrandum conductas, quae Graecis θῆσσαι, Atticis θῆτται vocabantur. Exſtat harum ſpecimen Gen. XXX. 3. *At illa* (Rachel ad maritum Jacobum) *habeo*, *inquit*, *famulam Balam*; *ingredere ad illam*. De hoc loco vide jam ad ſequens caput ver. 3.

AD GENESIS CAP. XXX.

AD VER. 3.

Habeo, *inquit* (Rachel ad Jacobum) *famulam Balam* : *ingredere ad illam*, *ut pariat ſuper genua mea*, *& habeam ex illa filios*] Proxime ad cap. XXIX. 15. τῶν θητευόντων ſive θήτων initia ex Geneſi deteximus: hic de θήσσαις ſive θητευούσαις videamus. Nam famulam iſtam Balam fuiſſe ex mancipiorum genere negat Joſephus in I. Antiq. 19. nec aliud de Zelpha, quae Liae famulabatur, affirmari jubet. Praeſtat ejus verba cognoſcere cap. XIX. ſect. 8. ἦσαν δ' ἑκατέραις θεραπαινίδες, τοῦ πατρὸς δόντος, Ζελφὰ μὲν Λείας, Ῥαχήλας δὲ Βάλλα· δοῦλαι μὲν οὐδαμῶς, ὑποτεταγμέναι δέ. *Erant autem famulae ambabus*, *quas eis attribuerat pater*, *Liae quidem Zelpha*, *Rachelae vero Balla* : *non illae quidem ſervae*, *ſed ſubditae tamen*. Ac de harum libero ſtatu teſtimonium Joſephi tam affirmate prolatum revocare in dubium ſtultiſſimum fuerit. Sed illud ſcire libet quorſum harum *ſubjectio*, quam Joſephus fatetur, pertinuerit, aut quod earum famulatus generi peculiare nomen aſſignandum. Ajo, ſi uſitatis in Graecia nominibus ſit utendum, ambas iſtas, & harum ſimiles in ſequentibus hiſtoriis occurrentes, poſſe ad Graeciae θήσσας (quarum mares θῆτας vocatos, ad cap. ſuperius excuſſimus) revocari, h. e. liberas & honoratas famulas, mercede conductas ad famulandum. De his vide paullo ante dicta ad caput ſuperius ver. 15.

Verum praeſtabit duabus hiſce puellis, quas Laban filiabus ſuis ad famulandum dedit, nomen non modo honeſtius quam pro ſervili conditione, ſed & in Graecis Bibliis paſſim uſitatum vindicare. Fuerunt igitur Bala & Zelpha, ſicuti & aliae alibi memoratae, quaedam veluti *pediſſequae*, ac *ſociae* ad nobiliora miniſteria matribus familias, aut virginibus jam nupturis (ut in Graeco Ex. XXIV. 61. de Rebecca dicitur) adjunctae: quibus peculiare apud antiquos nomen fuit, ut Graece quidem Ἅβραι aut ἅβραι (nam variat ſpiritus) Latine vero *Delicatae* vocarentur. De Ἅβραις & earum ſignificatu & etymologia plurimam ſed indigeſtam farraginem ad Judith VIII. 32. congeſſi; ac plura de iis Pollux & Heſychius cum Alberti adnotatis, meliora vero Suidas (a quo & tria Menandri de ἅβραις loca pulcherrima diſcimus : quae mox proferentur) quibus adde & H. Stephani theſaurum in Indice. Atq. hujus vocabuli variatio ſpiritûs ſuſpicionem injicit Orientalis originis: nec vero id aliunde videtur profectum quam a חברה *habrah*, quod Hebraice, imo & Chaldaice *ſociam* notat. Aliud etymon in mea ante dicta farragine poſueram: verum haec originatio fort. verior, & hiſce honoratioribus puellis

conve-

convenientior, ita ut *ſociae* vocarentur. Hodie dum notae ſunt honeſtiores feminae, quae ſub *ſociarum* nomine nobilioribus ſerviunt, & vocantur in Italia *Donne compagne*. Nicoſtratus mediae comoediae auctor, fertur quamdam docuiſſe fabulam inſcriptam Ἅβρα.

Dixi apud Graecos ἅβρας vocatas iſtiuſmodi puellas fuiſſe: at apud Latinos ſicuti ephebi nobilioribus famulantes *Delicati* nuncupabantur, ita & *Delicatae* puellae ſive *Delicia* in uſu fuere. Ac *Delicatorum* quidem atq. *delicatarum* verbum naturâ ſuâ vacare infamiae (quam his non nemo adſperſerat) ſuſpicione oſtenſum a Fabretto reperies pag. 631. Ac, puto, ſiqua forte macula *Delicatorum* generi adhaeſit, id totum ad temporum hominumque, non ad vitae profeſſionis vitium eſt conferendum. Adde Gruteri titulum pag. 311. 6. de quadam V. V. (h. e. *Virginis Veſtalis*) delicata.

Ac de ἅβραις (quam vocem in Oriente natam Graeci bonae notae ſcriptores civitate donarunt) ſatis multa dixi. Latini vero, uti vidimus, id genus juventutis *Delicatos* ac *Delicatas* vocarunt: at Ἅβρας vocabulum numquam, quod (1) ſciam in Latium intulerunt, ante quam Liber Judith indueretur toga Romana. Id eo dico, quod in translatione Latina lib. Judith vox *Abra* quinquies legitur.

Ingredere ad illam ut pariat ſupra genua mea & habeam ex illa filios] Ex hoc Rachelis facto, rogantis virum, ut quandoquidem ipſa prole careret, ex Bala ſaltem ſuſcitaret ſibi ſemen, recte intelligimus Balam Abrae loco apud Rachelem ſerviiſſe. Quia harum peculiare fuit, uſu cogente, in pellices ſive uxores ſecundarias aſſumi, ex quibus uxor primaria ſuſciperet filios. Ac ſane facti hujus paria exempla ex Menandro diſcimus: qui in *Pſeuderacle* ita poſuit:

Μήτηρ τέθνηκε ταῖν ἀδελφαῖν ταῖν δυοῖν
Ταύταιν. τρέφει δὲ παλλακή τις τȣ̃ πατρὸς
Αὐτὰς, ἅβρα τῆς μητρὸς αὐτῶν γενομένη.

Hoc eſt: *Mater obiit duarum ſororum Harum: alit vero pellex quaedam patris Eas, quae abra matris illarum fuerat*. Solebant ergo abrae matrum familias, provehi in pellices domini. Idem in *Apiſto* ita ſcripſit: ...Ὤμην εἰ τὸ χρυσίον λάβοι Ὁ γέρων, θεράπαιναν εὐθὺς ἠγορασμένην Ἅβραν ἔσεσθαι. *Exiſtimabam, ſi aurum accepiſſet Senex, ancillam emptam ſtatim Habram futuram*. Haec duo loca lexico Suidae in Ἅβρα debemus. In eorum priore A tenuatur, aſperatur in altero.

AD GEN. XXX. 14.

Egreſſus autem Ruben tempore meſſis triticeae in agrum, reperit mandragoras, quas matri Liae detulit. Dixitque Rachel: da mihi partem de mandragoris filii tui] Lis magna de דודאים (*dudaim*) *mandragoris*, quas Ruben reperiſſe narratur, eſt, utrum re vera mandragorae fuerint (ſicuti hoc genus plantae LXX & plerique antiquorum hîc & Cant. VII. 13. ſunt interpretati) an vero longe aliud. Nam hujus & ſuperioris ſaeculi Scripturarum interpretes alii aliud nomine *Dudaim* intelle-

(1) A Latinis, inquam, auctoribus Hieronymiana lib. Judith verſione antiquioribus ea vox nondum uſurpata reperitur. Et tamen in Rob. Stephani edit. Baſileenſi anni 1740. ea dictio inter Latinas, nullo tamen producto auctore Latino, aſſertur. Aſſertur autem his verbis: *ABRA* (ἅβρα) *ancillam adoleſcentiorem ſignificat*. Quae *Adoleſcentioris* notio, vereor, ut *Abrae* vocabulo neceſſario ſubſit. Hoc obiter. Ceterum laudo quod ea vox in Theſauro viſatur, cum ſit ſaltem interpretis Hieronymi auctoritate fulta, multo certe melioris (ut λατίνως utar) Martiano Capella, & aliis aliquot interdum allegari ſolitis.

tellexerunt, nim. nonnulli *violas*, alii *lilia*, quidam *iaſminum*, Junius *flores elegantes*, Codurcus *tubera* reddiderunt. Nuper Calmetus magno niſu promovit ſententiam ſuam, qua putat *Dudalim* loci hujus fuiſſe mala Medica, ſive aurea, quae aliter Heſperidum poma vocari conſueverunt. Non poſſum non Calmeti opinioni plaudere, ac ſimul ſi quid ei difficultatis haeret, ſilentio premere. Sed equidem mallem in eo, quodcumque a Ruben repertum viri docti contenderint, in eo inquam ſive nomen ipſum primitivum *Dudaiim*, ſive ejus veſtigia oſtenderent; nam ſicubi forte indicia ſuperſtitis adhuc nominis reſtent, ea ſummopere, vel ſi non perſuaſerint, ſuadent tamen & animum inducunt. Quae ratio me aliquando, dum aliud curarem, adduxit, uti viris eruditis expendendum proponerem, an non *Dudaiim* iſtud, de quo tantopere inter eruditos decertatur, haud aliud tandem quam *Roſa* fuerit, quam unam miror a viris doctis dum in *Dudaiim* diſquirunt, fuiſſe neglectam; cum in eam interim non tantum cetera, quae nata ſunt veriſimilitudinem parere, abunde conveniant, ſed & ea ſola apud Graecos nomen Rubenici fruticis adſervaverit. Nam Ῥόδον (Graecum *Roſae* nomen) non aliud a דוד *dod* differt quam primore littera D, quae in linguis omnibus, maxime Orientalibus, ultro citroque cum R permutatur. Hoc liquido a me oſtenſum variis exercitationum mearum locis (2) fuit. Ea ergo cauſa fuit, ut quod דוד *Dod* in Oriente dicebatur, id apud Graecos ῥόδον i. e. *Roſa* evaſerit. Quocirca auctor magnopere fuerim, ut in דוד (*dod*) loci hujus & Cant. VII. 13. nihil aliud quam ῥόδον *roſa* agnoſcatur: in quam profecto praeter nominis convenientiam, etiam cetera abunde conveniunt. Nam ſi Hebraeis דוד *dod* tum *amorem* tum & *dilectum* notat, & omnino quidquid amabile eſt; quid rogo uſquam flore roſae amabilius? qui flos odore, colore, gratia amorem ſpirat, Venerique tribuitur, & in coronis amantium unus omnium ſemper exquiſitiſſimus fuit. Roſae, quem tribuimus, odor, is in *Dudaiim* Cant. VII. 13. magnopere commendatur. Adde quod, ſi Ruben meſſis tempore *Dudaiim* in agro reperit, id quoque in roſas conveniat, meſſis (3) maxime tempore provenientes. Sed in ταυτότητι nominis eſt cauſae caput: quam ταυτότητα (*identitatem*) non in aliis deliciarum talium nominibus, quam in ῥόδῳ (ſive *Roſa*) cum *Dudaiim* comparata reperies. Adde quod Chaldaea ac Syra *Roſae* vocabula ſatis etiam huic cauſae (4) favent; quia cum prius D in R commutarint, ex eo apparet, fuiſſe apud Orientis filios ἀδιάφορον, utrum in priore ſyllaba D an R uſurparent.

AD

(2) Videantur Tyrrhenicae origines tum alibi pluries tum pag. 36. ubi de *Cumero* agitur, quod ex *Cumed* Hebraeo factum. Vide etiam ad Tab. Heracl. pag. 534. not. 86. col. 2. Sed & eamdem alternationem millenis in locis reperies Tyrrhenicar. originationum illarum, quae Etymologico Voſſiano inſertae brevi prodibunt. Ad ſummam eae duae litterae tum ſono pronuntiationis, tum elementi utriuſque tractibus, quam ſimillimae ſunt; eâque de cauſa quam creberrime ultro citroq. alternant.

(3) Meſſis ſive hordeacea ſive triticea ficuti in Palaeſtina multo quam apud nos maturior, ita & in proxima Meſopotamia, maxime circa Haran, ubi Labani domus. Ibi ergo uno eodemque tempore & meſſis flaveſcebat & roſae vernabant.

(4) Roſa Chaldaeis Syriſque ורדא *varda* vocatur: in quo, uti vides R ſucceſſit in locum D aeque ac in Graeco Ῥόδον. At eſt etiam peculiare Syrorum ורודא (*rudo*) *Roſam* ſignificans, quod eſt ipſiſſimum Graecorum Ῥόδον: verum utri ab alteris mutuati ſint iſtud *roſae* nomen, Graeci ne a Syris veteribus, an Syrorum recentiores a Graecis, id praeſtare non audeo, quia Syriaca lexica, quae ad manus ſunt, nudata ſunt iis praeſidiis, ex quibus id poſſis arguere.

Digitized by Google

AD GENESIS CAP. XXXI.

AD VERS. 2.

Animadvertit quoque (Jacob) *faciem Laban , quod non eſſet erga ſe ſicut heri & nudius tertius*] Ex vetere Italica Auguſtinus (*Locut.* 109. tom. 3.) ita recitat : *Et ecce non erat ad eum , ſicut heſterna & NVDIVSTERTIANA die* . Quibus Auguſtinus de ſuo ſubnectit : *Familiariſſima in Scripturis locutio , HESTERNA ET NVDIVSTERTIANA DIE* . Per quae S. Praeſul ſignificat , ſemper ac in Vulgata hodierna legitur *Heri & nudius tertius* , in Itala fuiſſe olim lectum *Heſterna & nudiustertiana die* . Cui bono , inquis , haec afferuntur ? Putavi equidem nihil eorum eſſe omittendum , quae ad obſervationes litterales (quas in his profiteor) pertinerent , etiam ſi ſit mere grammaticale : cujuſmodi eſt quod nunc primum iſtud *Nudiustertianus* legitur . Legitur autem in auctore verſionis Italicae, quae non ſerius altero ſaeculo prodiit . Quocirca non eſt dubitandum quin vox aevi melioris fuerit . Adde quod idem adjectivum jam diu Gloſſae Cyrilli promulgarant his verbis : ΤΡΙΘΗΜΕΡΙΝΟΣ . NVDIVSTERTIANVS . Quae mora igitur , quin qui lexicis locupletandis ſtudent , novos atque intactos fontes adeant , non modo inſcriptionum (quarum nunc copia obruimur) Gloſſarumque Philoxeni atque Cyrilli , ſed & Italicae Scripturarum translationis antiquiſſimae ?

AD GEN. XXXI. 20.

Noluitque Jacob confiteri ſocero ſuo quod fugeret] Brevius ſimulque clarius in hunc modum Vulgata hodierna , quam quod in Hebraeo legitur pluribus his verbis : *Et furatus eſt Jacob cor Labani Aramaei , eo quod non indicavit ei quod fugeret* . Hebraeo concinunt iisdem verbis Syrus & Samaritanus . Verum quid ſit *Furari cor* alicujus , pulchre oſtenderunt LXX vertentes , ἔκρυψε δὲ Ιακὼβ Λάβαν τὸν Σύρον , τῦ μὴ ἀναγγεῖλαι αὐτῷ ὅτι &c. *Celavit autem Jacob Laban Syrum , non indicando ei quod fugeret* . Senes LXX ſecutus eſt Onkelos itemque Arabs . Ac Seniorum recta eſt per κρύπτω translatio , quia phraſis haec גנב את לב (*ganab eth leb , furatus eſt cor* , ſive potius *cordi*) alibi quoque pro *Celare* occurrit ; non tantum infra ver. 26. (ubi eadem conſtructio , nim. *furatus es cordi meo*) verum etiam ver. 27. ubi de eadem re ſocer cum genero queritur : *Et furatus es me* (imo potius *mihi*) *& non indicaſti mihi* . Huc etiam illud ſpectat 2. Sam. XIX. 3. *Declinavit* (Hebr. *furatus eſt ſe*) *populus* . Ergo גנב *ganab* his locis non eſt rem furari , ſed animum ; recteque hac effertur Latina locutione , *Celare conſilium* . Ac ſane apud Latinos *Furor* pro *Celo* inſolens eſſe crediderim : at apud Graecos nihil frequentius . Nolo exemplis implere chartas , cum quiſque poſſit ex H. Steph. Theſauro in Κλέπτω (*furor*) ſexcenta hujuſmodi loca ediſcere .

AD GEN. XXXI. 29.

Valet manus mea reddere tibi malum : ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi : Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius .

Valet manus mea reddere tibi malum] Recte Hieronymus expreſſit vim Hebraeorum verborum ita ſe habentium : יש לאל ידי, *jesh leel jadi* . . . quae totidem verbis ita ſonant : *Eſt ad fortitudinem manus mea* (aut *meae*) *ut* . . . *vobis male faciam* . Nec diſſonant LXX & Orientis interpretes . Eſt & alibi pluries haec

Digitized by Google

haec eadem locutio , & ubique (1) plane eodem intellectu . Haec eo notanda putavi , ne quis ſeſe abripi ſinat nuperi nobilis explanatoris auctoritate , mirantis Chaldaeum , Syrum & Orientales interpretes vertiſſe , *Eſt mihi poteſtas* , aut *fortitudo*, tanquam ſi in Hebraeo pro אל *el* legerint חיל *chail* . Sed Vir Clariſs. ſi lexica conſuluiſſet , in iis omnibus virtutis & fortitudinis primariam notionem τῷ אל tributam reperiſſet , & hujus loci Φράσιν in Hieronymiana , in LXX & alibi ita redditam , ut τὸ אל ſit *fortitudinis* nomen .

Sed Deus patris veſtri (Iſaaci) *heri dixit mihi* : *cave* &c.] Non ſine increpatione ac minis haec dicta ab Iſaaci Deo credendum eſt : quem verum Deum impuro cultu a Labano fuiſſe cultum mihi perſuadeo , ita ut ſimul cum Dei ſummi (quem *Deum patris veſtri* vocat) religione deorum medioximorum (ſi ſic eos vocare licet , quos ver. ſeq. ſibi furto ſublatos expoſtulat) miſcuerit metum. Is , opinor , Aramaeis primus ad idololatriam gradus . Nec enim iſtos puto tam brevi tempore veri ac ſupremi Numinis oblivionem capere penitus potuiſſe .

AD GEN. XXXI. 34.

Illa (Rachel) *abſcondit ſubter ſtramenta cameli* , *&* *ſedit deſuper*] Vtrum *ſtramenta* , an cum LXX σάγματα , ſive *clitellas* interpretêre , parum intereſt . Haec enim ac ſimilia nomina ſellas doſſuarias notant , jumentis imponi ſolitas , ad onera ſine tergi nocumento geſtanda . In Hebr. כר *car* vocatur , ab Onkelo עביטא *Abita* , nec aliter in Syro . Cameli ſtramentum iſtud haud dubie commodam Racheli , menſtruantem ementienti , ad ſedendum pro tempore ſellam praebuit , ſimul opportuniſſimam ad arcendam fraudis ſuſpicionem .

AD GEN. XXXI. 45. 46. 47.

45. *Tulit itaque Jacob lapidem* , *&* *erexit illum in titulum* . (46) *Dixitque fratribus ſuis* : *Afferte lapides* . *Qui congregantes fecerunt tumulum* , *comederuntque ſuper eum* : (47) *Quem vocavit Laban Tumulum teſtis* , *&* *Jacob Acervum teſtimonii* , *uterque juxta proprietatem linguae ſuae*] Quatuor hîc geſta narrantur, I. lapis erectus in titulum : II. tumulus ſive acervus congeſtus ex collatitiis lapidibus : III. in acervo epulum : IV. bilinguis ὀνοματοθεσία (*nomenclatio*) tumuli .

Ver. 45. *Tulit itaque Jacob lapidem & erexit illum in titulum*] Loci temporiſque diverſitas , ſi non aliud , diſtinguit hunc titulum ab eo , quem paullo ſuperius cap. XXVIII. 18. idem Jacob ab hinc annos XX erexerat in Luzae ſuburbio (de quo ſup. pag. 106.) cum hic in Galaalitide poſitus fuerit . Atque hunc quoque ſacris ritibus non caruiſſe, res & ratio ſuadet ; nec enim ara, niſi ad ſacra facienda paratur .

Ver. 46. *Dixitque Jacob fratribus ſuis*] Ne fratres uterinos intelligas , ſed quacumque

(1) Reperitur haec phraſis eisdem atque hic in Hebr. concepta verbis, Deut. XXVIII. 32. Prov. III. 27. Neh. V. 5. ubique vero locorum ita ab Hieronymo reddita, ut τὸ אל *El* non ſit Dei nomen , ſed appellative *vires*, *fortitudinemque* notet , non ſecus atque hîc . Vide ſi vacat ea loca tum in Hebraeo fonte tum etiam in Vulgata . Tantum Mich. II. 1. Hieronymus ſic interpretatur , tamquam ſi אל *El Deum* ſignet , his uſus verbis , *Quoniam contra DEVM eſt manus eorum*. In quo Hieronymus maluit LXX ſequi interpretatos , διότι οὐκ ἦραν πρὸς τὸν Θεὸν χεῖρας αὐτῶν . *Quoniam non ſuſtulerunt ad Deum manus ſuas* . Sed tamen ibidem Aquila , Symmachus & Theodotion τὸ אל *El* reddiderunt *vires* aut *valentiam* . Sic enim Aquila vertit : διότι ΙΣΧΥΡΟΝ χεὶρ αὐτοῦ . Symmachus : ὅτι ΙΣΧΥΕΝ ἡ χεὶρ αὐτοῦ . Theodotion : διότι ἴσχυεν ΙΣΧΥΝ τὴν χεῖρα αὐτῶν . Montfauconii Hexapla Theodotionis verſione ibi carent : ſed quam attuli , exſtat in LXXvirali editione Lamberti Bos .

quacumque propinquitate ſecum aut cum uxoribus, aut cum Labano ejuſque domo conjunctos.

Afferte lapides: qui congregantes fecerunt tumulum] Hebr. *Et tulerunt lapides, & fecerunt tumulum*, in monumentum ſcil. Vbi cum dicitur, *Tulerunt lapides*; quemque ſuum tuliſſe, non vero lapides quot maxime vellent, ſingulos attuliſſe intellige. Nam ſic quoque factum Scriptura memorat Joſuae cap. IV. per totum, & apud Herodotum mox producendum. Dixi ſup. ad cap. XXVIII. 18. non tantum columnas cippoſque vegrandes ad tranſmittendam apud poſteros rei memoriam fuiſſe in loco poſitos, verum & lapidum acervos, ſingulis ſingulos in locum unum congerentibus lapides. En primum in Scripturis rei hujus exemplum: alterum exſtat, uti dixi, Joſ. cap. IV. Sed & ad antiquitatem profanam hujuſcemodi ritum fuiſſe tranſmiſſum; ac tumulos lapidum fuiſſe pari ritu in monumentum coacervatos, diſcimus ex Herodoti loco pulcherrimo Muſa IV. cap. 92. his verbis: *Darius* (Hyſtaſpis filius) *hinc movens, venit ad alium amnem nomine Artiſcum, qui per Odryſas fluit: quo ubi pervenit, hoc ſibi maxime agendum putavit.* (Ἀποδέξας χωρίον τῇ στρατιῇ, ἐκέλευσε πάντα ἄνδρα λίθον ἕνα παρεξιόντα τιθέναι ἐς τὸ ἀποδεδεγμένον τοῦτο χωρίον· ὡς δὲ ταῦτα ἡ στρατιὴ ἐπετέλεσαν, ἐνθαῦτα κολωνοὺς μεγάλους τῶν λίθων καταλιπὼν, ἀπήλαυνε τὴν στρατιήν) *oſtenſo certo copiis ſuis loco, juſſit praetereuntes lapidem unum* (2) *viritim illic in eo demonſtrato loco ponere. Id ubi exercitus fecerat, ingentibus lapidum acervis ibi* (3) *relictis, abduxit exercitum.* Cum his & illud cohaeret, quod proverbio dicitur, *mittere lapidem in acervum Mercurii*: de quo pauca inferne (4) adlinimus, alibi plura daturi.

(2) Iſtud πάντα ἄνδρα λίθον ἕνα, *lapidem unum viritim*, eſt apprime in hoc feciali ritu adnotandum.

(3) Quis ſcit an non huc pertineant neſcio qui lapidum tumuli apud Arrianum in Suida in voce Κολωνός: qui locus ita concipitur: Καθεώρων κολωνοὺς λίθων πολλαχοῦ τοῦ ὄρους νενησμένους, τοὺς μὲν μείζονας, τοὺς δὲ ἐλάττους· οὓς εἴκαζον ἐκ τοῦ πεδίου συννενῆχθαι. *Videbant lapidum acervos per diverſa montis loca diſperſos, alios majores, minores alios, quos illuc ex plano convectos eſſe ſuſpicabantur.* Idque factum conjicit auctor ad purgandam campi planitiem. Verum cur non per imam montis partem minimo labore diffuſi? Subeſſe videtur hic aliquid Darii facto ſimile.

(4) Simulacra ἄκωλα & informia quaedam in triviis, in agris & ubilibet ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe poſita, atque Ἑρμᾶς a Graecis vocatos, & tamquam deos corollis aliiſque honoribus, in primis autem conjectu lapidum (more ſcil. ex hac Jacobi hiſtoria deducto) honoratos, trita res eſt. Hinc Ἑρμαῖος λόφος (*Mercuriales tumuli*) apud Hom. Odyſ. π. Ἑρμαῖα Straboni, Ἕρμακας apud Nicandri Scholiaſten unum idemque ſunt. Cippis illis paullatim in ſummo caput acceſſit, ſed ita ut in truncum deſinerent. Atque has ſtatuas informes Graeci Ἑρμᾶς vocabant. At Orientales (ad quos ex vicino, ex hac ſcil. Jacobi hiſtoria mature iſthaec ſuperſtitio propagata) מרקולים *Markolis* id ſimulacrum vocabant; ut ex effato illo Miſnae, quo Idololatriae damnatur *qui projicit lapidem ad Markolis*. Ex hoc *Markolis* [quod vetuſtiſſimum in Oriente puto] manavit haud dubie in Latium, propagantibus Tuſcis, *Mercurii* nomen & cultus, non contra, uti alii putant, ex Latio in ultimos Orientis populos, quibus facilius fuiſſet Ἑρμῆν (Graecorum viciniorum utique imitatione) appellare: de quo memini me pluribus in Tyrrhenicis diſputaſſe. Huic tantae *Mercurii* apud Orientales antiquitati favet Hieronymi auctoritas, qui in Prov. XXVI. 8. intuſit *Mercurii* nomen, ſimulque ſupradictae ſuperſtitionis meminit, non utique facturus, niſi & ea ſuperſtitio, & *Mercurii* nomen antiquiſſimum in Oriente putaſſet & ab ipſis uſq. Salomonicis temporibus. Proverbium illud ita in Hieronymi translatione legitur; *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii.* (forſitan in מרגמה *margemah*, quod ibi ſemel in Bibliis legitur, *Mercurii* nomen agnovit, ſaltem ejus tres primores conſonas) *ita qui tribuit inſipienti honorem.* Plura de his tum in Tyrrhenicis, tum ad Prov. XXVI. 8. dabimus.

Comederuntque ſuper eum] Super eum *tumulum* , ut nominatim tum in Heb. (על הגל *al baggal*) tum in Onkelo , Syro , & LXX (*καὶ ἔφαγον ἐκεῖ ἐπὶ τοῦ βουνοῦ*) ſcribitur . Quod idcirco ſedulo a me notatur , quod ſit ex illis ritibus , quos ſupra deſignavi , tertius , & apprime notabilis . At poſt haec verba admetiuntur quaedam LXX quae nec in Hebraico textu , nec in Vulgata, nec in verſionibus Orientalibus reperiuntur . Nam Labanum ita loquentem faciunt : *Καὶ εἶπεν αὐτῷ Λάβαν· ὁ βουνὸς οὗτος μαρτυρεῖ ἀνὰ μέσον ἐμοῦ καὶ σοῦ σήμερον* . *Dixitque ei* (Jacobo) *Laban : Acervus hic teſtatur inter me & te hodie* . Sumptum tamen ex ſeq. ver. 48.

Ver. 47. *Quem vocavit Laban Tumulum teſtis , & Jacob Acervum teſtimonii : uterque juxta proprietatem linguae ſuae*] En quartus pacificationis hujus ritus , nomenclatio loci , rei geſtae conveniens . Hinc diſcis , non magno poſt *διασπορὰν* (*diſperſionem*) Babelicam intervallo jam fuiſſe diverſam a lingua terrae Chanaan (in qua Jacob natus & educatus , quaeque poſtea Hebraea vocata) linguam Aramaeam h. e. Syram in Meſopotamia uſurpatam ; ſed non fuiſſe tamen eo uſque diverſam , quo minus Aramaei cum Chananaeis miſcerent ſine interprete ultro citroque colloquia : quod hodie ex cognatione horum idiomatum judicare poſſumus . Ergo Chanaanitidis & Meſopotamiae vicinitas cohibuit oris majora divortia ; ſicuti contra qui receſſerant in remotiora terrarum , ii a communione linguae fecere immanem diſceſſionem . Et tamen ſi ex utraque hac biga vocum ferendum eſſet judicium, nil uni ſimile alteri. Vtraque appellatio *acervum teſtimonii* aut *teſtis* notat ; tamen vide quantum interſit inter יגר שהדותא (*jegar ſaadutha*) quod Laban Syriace appellavit , *Acervum teſtimonii* , interque גלעד *Galed* h. e. *tumulum teſtis* , quod Jacob vocavit : unde haeſit loco nomen *Galaad*. Haec duo quidem a Moſis haec ſcribentis uſque aetate ſatis diſtabant : at in ceteris Chaldaei Syriquo Hebraeis multo amiciores . Imo ver. ſeq. Laban appellatione Hebraica , tamquam ſatis ſuis popularibus trita utitur , uti vides .

AD GEN. XXXI. 53.

Deus Abraham ; & Deus Nachor (fratris Abrahae) *judicet inter nos* , *Deus patris eorum* (*Thare* ſcil.)] Ex his vides *Thare* , ejuſque filios *Abraham* & *Nachor* eidem vero Deo ſerviiſſe , nec unquam genua diis alienis flexiſſe : quod tamen crimen magna pars interpretum tum Thare tum etiam Nachori imputarunt, falſi Joſuae loco non intellecto . Vide ad Joſ. XXIV. 2. ubi id agemus .

AD GENESIS CAP. XXXII.

AD VER. 12.

Quod . . . dilatares ſemen meum , ſicut arenam maris]. Eadem locutio ſupra occurrit Gen. XXII. 17. ac ſexcentis aliis locis . Nec enim facile in Divinis Scripturis aliam in partem de *arena maris* mentio eſt, quam ut, nihil ea innumerabilius eſſe, hoc inter omnibus confeſſa ponatur . Atque a Scripturis ad Graecos pervaſit ea proverbialis φρασιολογία, de impoſſibilibus uſurpari ſolita, teſte Zenobio: *Ἄμμον μετρεῖν ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων καὶ ἀνεφίκτων*, *Numerare arenam de impoſſibilibus & incomprehenſibilibus uſurpatur* ; quia uti Pindarus ait , ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγε . Hinc apud antiquos ψαμάθῳ ἴσος (*arenae aequalis*) idem quod innumerabilis . Callimachus hymno in Dianam ver. 252. de Lygdamide canit :

. . . Ἐπὶ

. . . Ἐπὶ δὲ ϛράτον ἱππημόλγων
Ἤγαγε Κιμμερίων, ψαμάθῳ ἴσον.
Agmine Lygdamides denſiſſimo ad inſtar arenae
Duxit Cimmerios equimulgos.

At ſcite Graeci inde formarunt ψαμμακόσιοι & ψαμμακόσια inſtar numeralium τριακόσιοι &c. Eupolis: ἀριθμεῖν θεατὰς ψαμμακοσίους. Athenaeus XV. 3. ait veteres plures quinis non cenaſſe (ὅτι δέ γε ἡμεῖς ψαμμακόσιοι ἐσμὲν, δῆλον) *at nos pari arenis numero accumbere, palam omnibus eſt.*

Quae prae multitudine numerari non poteſt] Humanitus ſcil. nam ceteroqui quae homini incomprehenſibilia, Deus in numerato habet. Numeri arenae notitia Deo uni ſcite reſervatur ab Oraculo apud Herodotum in prima Muſâ:

Οἶδα ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης.
In numerato habeo maris immenſumque & arenas.

In Hebraeo, in LXX, & hos ſecuta Itala vetere (apud Aug. q. 102. in Gen.) eſt, *Quae non dinumerabitur prae multitudine.* In Onkelo refertur τὸ ἀναρίθμητον ad ſecuturos Jacobi poſteros, *Qui non numerabuntur prae multitudine.* Minutiora iſthaec poteram tuto omittere: etſi non eadem omnibus palati ſubtilitas.

AD GEN. XXXII. 24. 25.

Ver. 24. *Et ecce vir luctabatur cum eo* (Jacob) *uſque mane.* Ver. 25. *Qui* (vir) *cum videret quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit.*

Ver. 24. *Et ecce vir luctabatur cum eo uſque mane*] Tota quae hîc ſequitur hiſtoria, interpolata eſt a gentilibus in Jovis cum Hercule lucta. Nam cum Hercules tum, cum ludos Olympios inſtituit, quotquot aderant ad certamen provocaſſet, nec ullus adſtantium proſilire auſus eſſet, tandem ὁ Ζεὺς παλαιςῇ εἰκασθεὶς, συνέμιξεν Ἡρακλεῖ· καὶ μέχρι πολλοῦ τῆς μάχης ἰσοπαλοῦς γενομένης, ὁ Ζεὺς φανεροῖ ἑαυτὸν τῷ παιδί. *Jupiter luctatori ſe aſſimulans, cum Hercule congreditur, cumque poſt diutinum aequo Marte certamen, apud neutrum victoria ſtetiſſet, poſtremo Jupiter ſuo ſe filio cognoſcendum praebuit.* Verba ſunt Tzetzae Scholiaſtae ad illud Lycophronis ver. 40. de hac Herculis cum Jove pugna:

. . . Ἐν τ' αὐλοῦ μέσῳ
Πατρὸς παλαιςοῦ χερσὶν ὀχμάσας δέμας.
. . . *Et corpus athletae patris*
Medio in diaulo manibus audax ſuſtulit.

Ver. 25. *Qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit*] Hebraea ſic verti poſſunt: *Et tetigit curvaturam femoris ejus* (i. e. qua parte os magnum femoris immittitur in acetabulum; id enim כף *caph* h. e. *curvaturam* ſive flexuram vocat, quia in eo caput femoris volvitur) *& luxata eſt curvatura femoris Jacob.* Ex quibus verbis facile potes intelligere, Jacobum ex Angeli contactu iſchiadicum evaſiſſe, & claudicaſſe. Audio Bartholinum in opere de morbis Biblicis de hoc incommodo Patriarchae egiſſe. Is adeatur: qui ad manus non fuit. Putant plerique Patriarcham ex ea paſſione videri convaluiſſe, cum in Sichem pervenit, notante id Moſe Gen. XXXIII. 18. ubi ex Hebraeo ſic vertas licet: *venit integer* (Hebr. שלם *ſalem*, quod non videtur hîc loci nomen, ſed potius *incolumem* ſignificat) *in urbem Sichem.* Penſi habuiſſe videtur Moſes adnotare Patriarcham, quamvis iſchiadica affectione (quam medici diffi-

cillimae & diuturnae curationis habent) laborantem , ſanum tamen in Sichem pervenisse . Nam ubi cap. ſeq. ver. 18. ſcribitur , *Tranſivitque in Salem urbem Sichimorum* , ibi *Salem* (Hebr. שלם *ſalem*) non pro urbis nomine habendum , ſed *Integer* interpretandum : *Pervenitque integer ac ſanus* (ex priore ſcil. affectione) *in urbem* (שכם) *Sechem* . Nec enim praeter Salem (h. e. Jeruſalem) cujus rex Melchiſedech , alia urbs *Salem* noſcitur , quae ad *Sechem* ſeu Sichima pertinuerit. Vide omnino locum Gen. XXXIII. 18.

Atque hîc non puto fore lectori grave, ſi locum hunc adeo illuſtrem, quem hactenus cum Hebraeo fonte contulimus , etiam cum Senioribus , cumque traducta ex illis Itala verſione comparemus . LXX ita reddiderant : Εἶδε δὲ ὅτι ὐ δύναται πρὸς αὐτὸν· καὶ ἥψατο τοῦ πλάτους τοῦ μηροῦ αὐτοῦ , καὶ ἐνάρκησε τὸ πλάτος τοῦ μηροῦ Ιακὼβ ἐν τῷ παλαίειν αὐτὸν μετ' αὐτοῦ . In Itala vero apud Auguſtinum (lib. 2. cont. Maxim. tom. 9. pag. 740.) ita legitur : *Vidit autem quod non poteſt ad eum* (Jacobum) *& tetigit latitudinem femoris ejus* , *&* (1) *obſtipuit latitudo femoris Jacob* , *dum luctaretur cum eo* . Totidem ex LXX verbis , uti vides : a quibus Itala non ſolet latum unguem abire .

AD GENESIS CAP. XXXIV.

AD VERS. 2.

Quam (Dinam Jacobi filiam) *Sichem filius Hemor* .... *rapuit & dormivit cum illa* , *vi opprimens virginem*] Verba ultima in LXX haec ſunt , ἐκοιμήθη μετ' αὐτῆς , καὶ ἐταπείνωσεν αὐτήν : quae in Itala apud Auguſt. q. 107. in Gen. ita redduntur : *Dormivit cum ea* , *& humiliavit eam* . In Hebr. eſt verbum ענה *anah* , quod maxime in *Piel* de violatione virginis ſaepiſſime uſurpatur : cui apud LXX reſpondet ſemper ταπεινόω & ταπεινοῦμαι , & in Itala *Humiliare* & *Humiliari* . Humiliata autem puella dicitur , ſive quia devirginata ac propterea pudefacta , ſive quod ſitu ipſo corporis humiliata , h. e. ſubſtrata fuerit . Utro Helleniſtae (quorum eſt peculiaris haec verbi ταπεινόω acceptio) in ea uſurpanda ſpectarint , in medio relinquimus .

AD GEN. XXXIV. 8.

Ecce filii ejus (Jacobi) *veniebant de agro* , *auditoque* . . .] Comma iſtud ita ex Hebraeo Hieronymus vertit , ut de verbis adnumerandis non valde ſollicitus , recte & eleganter more ſuo ſententiam expreſſerit . At verſionis Italae verba [quae quidem tum Hebraeo textui , tum & LXXvirali tenaciter haerent] prout apud Auguſtin. *Locut.* 121. leguntur, omittere nolui , maxime ultimi membri gratia . Sic Itala loquitur : *Et filii Jacob venerunt de campo* : *& cum audiſſent* , *compuncti ſunt viri* ; *& triſte erat illis valde quod turpe fecerat* [Sichem] *in Iſrael* , *quod dormiſſet cum filia Jacob* : *Et non ſic erit* . Ultimae quatuor voculae , ſunt totidem in Hebr. & in LXX , a Vulgata tamen abſunt . Iis vero ſignificant Jacobi filii, numquam ſe commiſſuros, ut Sichem optatis nuptiis potiatur : *Non ſic*, inquiunt ,

(1) Verbum *obſtipeo* pro *obſtupeo* nec in veteribus Gloſſis , nec in lexicis recentibus reperitur : at ceteroqui nihil frequentius alternatione vocalium I & V . Vide Voſſium in *De permut. litterar.* Saxa vero ubinam non I pro V exhibent , ut MANIBIS pro *Manubiis* , CONTIBERNALIS , & millena ſimilia ?

Digitized by Google

inquiunt, *erit*. Habentur haec eadem eodem ſenſu in Samaritano: at in Onkelo, Syro, & Arabe habentur quidem, ſed in eam ſententiam trahuntur, ut commiſſum facinus improbetur. *Et ſic* [ait Onkelos] *non debuerat fieri*. Conſentiunt ceteri. At prior interpretatio rectior, & ex mente Scriptoris: quam Italae illi antiquitatis venerandae debemus.

AD GEN. XXXIV. 11. 12.

Ver. 11. *Quaecunque ſtatueritis dabo*. (ver. 12.) *Augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc uxorem*] In Hebraeo, non ſecus ac in Vulgata, diſtinguitur מהר *mohar* i.e. *dos* a מתן *mattan* h. e. *dono*; nec ſecus diſtinguuntur in Onkelo, Syro, Samaritano, Arabe: at apud Seniores duobus illis nominibus non aliud quam φερνὴ h. e. *dos* reſpondet, ob eam credo cauſam, quod apud Graecos φερνὴ & προῖξ, quae ſunt *dotis* vocabula, etiam pro donis nubenti datis accipiuntur: ſicuti contra ἕδνα, quae ſunt *munerum* donari ſponſae conſuetorum vocabulum, ſaepe etiam dotem deſignant. De his vocabulis in ima (1) ora nonnulla aſperguntur. Itaque hoc loco Seniores uno Φερνῆς vocabulo contenti fuerunt, quippe quod utrique textus Hebraici voci [tum *Mobar*, *doti*; tum *Mattan*, *dono*] reſponderet. Ea Italae periocha, quae undecimo verſui commatis hujus reſpondet, apud neminem Patrum antiquorum exſtat. Sed haud dubito Italicam verſionem unico illo Seniorum vocabulo Φερνὴ fuiſſe contentam, idque *Dotem* interpretatam (quia id primario Φερνὴ notat) nulla *munerum* addita mentione.

Jam vero quod ex hoc loco plures clari interpretes arguunt, antiquis temporibus puellas non a parentibus, ſed a ſponſis fuiſſe dotatas, id non aſſentior, quia omni aevo fuerunt, ſed & hodie ſunt in utramque partem exempla. Nam quicumque impotenter puellam deperit; is ſicuti olim in facto Dinae & Sichemi, ita & nunc quoque ducere illam indotatam & ἀνάεδνον libenter inducit animum. Idem & de iis judicium qui enubunt natalibus diſpares: in qua facti ſpecie puella nobilior ab ignobiliore ſponſo opime dotatur: ſicuti contra ſi ſit haec loco inferior, dotem immenſam ferat neceſſe eſt, imo & largis donationibus exaequet

(1) Φερνὴ, Προῖξ, & Ἕδνα *quid differant*.

Φερνὴ & Προῖξ peculiaria ſunt *dotis* nomina; quam quia virgo φέρειν (*ferre*) ſponſo dicitur, hinc φερνὴ, quaſi φερενὴ vocata fuit. Προῖξ vero ab initio fuit, quod gratis cuivis petenti dabatur: unde in Homeri Odyſſea Vlyſſes προΐκτης vocatus, quod προῖκα h. e. *ſtipem* quaereret (id enim προΐσσω valet) & hodiedum προῖκα adverbii vicem tantumdem quod *gratis*: de quo vide H. Stephani Indicem in προΐσσω. Hoc quod dixi, προῖξ Homero fuit, quia gratuita erat.

Ergo in re nuptiarum προῖξ ab initio inter τὰ δῶρα γαμήλια (*nuptialia dona*) fuit. At poſtea diſtingui inter *dotem* & *dona* coepit: *doti* vocabula προῖξ & φερνὴ ceſſerunt, at *Dona* peculiariter Ἕδνα dicebantur: de quo vocabulo jam dicendum.

Ἕδνα ſive Ἔεδνα (nam utroque modo apud Hom. ſaepe legitur, & modo aſperatur, modo tenuatur) ſunt τὰ γαμήλια δῶρα (*jugalia dona*) quae ſponſae a ſponſo dantur. Et quidem plerumque ſponſa ferebat dotem (exceptis iis caſibus, quibus ſponſa dotanda a viro eſſet) at maritus itemque ejus conjuncti & amici puellae ἕδνα πορεῖν, *praebere dona* (quae locutio in re nuptiali ſaepiſſime apud Homerum legitur) debebant. De donis nuptialibus hiſce copioſe ex Homero docet H. Steph. in Ind. in Ἔεδνα & Ἕδνα. Ibid. ex Hom. oſtendit ἐεδνοῦσθαι interdum de patre dici, ubi dote dicta elocat filiam; ſicuti & ἀνάεδνος Heſychio eſt *indotata*: ex quibus intelligitur Ἕδνα etiam de dote uſurpari.

Ἕδνον porro vox apud LXX nuſquam legitur. Quo factum ut hic ubi in Hebr. *dos* ac *munera* occurrunt, uno φερνῆς nomine rem utramque a ſe ſatis declaratam Seniores putarint; ſicuti modo de ἐδνοῦσθαι & ἀνάεδνος utrumque ſimul notantibus oſtendi.

Digitized by Google

exaequet impares conditiones. Poſtremo quae Ariſtoteles de Graecorum antiquiſſimis coëmentibus ſibi in matrimonium virgines, quaeque Scriptores alii de conſimilibus barbarorum inſtitutis narrant, ea nihil cum hujus, qua de hîc agitur, facti ſpecie commune habet: de quibus ſeorſum (2) dico, ne lectorem nolentem teneam.

Et

(2) *Veterum Barbarorum exempla in vendendis ad matrimonium filiabus. Hemoris ſponſio & optio Iſraëlitis data adprobatur locis Exodi & Deuteronomii conſentientibus. Diſcrimen inter barbaricas nuptiarum emptiones & dotem quantamlibet ab Hemore promiſſam. De rituali Romanorum mutua nuptiarum coëmptione.*

Ab Ariſtotele ordior: apud quem in II. Polit. 8. ubi dixiſſet, τοὺς γὰρ ἀρχαίους νόμους (Graecorum) λίαν ἁπλοῦς εἶναι καὶ βαρβαρικοὺς, *leges antiquas valde ſimplices & barbaricas eſſe* (barbaricum autem id apud Graecos ferme audiebat, quod non ex Graecia, ſed ab Oriente manarat) ejus rei hoc documentum affert, quod primitus *uxores alter ab altero emere ſolebant*. Τὰς γυναῖκας, inquit, ἐωνοῦντο παρ' ἀλλήλων. Atque haec dum ſcriberet Stagirita, ſpectabat facile Graecos heroicorum temporum mores, quos tum ab aliis, tum a Sophocle & Euripide deſcriptos habemus. Sophocles apud Stobaeum Sct. 66. puellas nubiles ita expoſtulantes facit:

Ὅταν δ' ἐς ἥβην ἐξικώμεθ' εὔφρονες,
Ὠθούμεθ' ἔξω, καὶ διεμπολώμεθα.
Namq. ex ephebia ubi bilares exceſſimus;
Propellimurque foras, viriſque vendimur.

At Euripides in Medea uxores emptrices pretio numerato inducit:

Ἃς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην δὲ σώματος
Λαβεῖν.
Quas primum oportet grande vi pecuniae
Emere maritum, dominus ut ſit corporis.

Paria his & apud barbaros (quos magis digito intento taxavit ſupra Ariſtoteles) fiebant. Aſſyrii teſte Aëliano in IV. var. hiſt. & Stobaeo ſer. 42. puellas viri potentes in forum deductas viris vendebant in matrimonium. Idem & a Babyloniis & a Thracibus factitatum fuit, Herodoto teſte. Imo Solinus Threiſſas ſubhaſtari etiam conſueviſſe narrat.

Verum exempla haec petita ſive ex heroicis temporibus ſive ex Barbaria media (aut vero dicis cauſa, ut infra dicetur, facta) nihil habent cum Sichemi promiſſo commune: quod ſi ex jure potius gentium arceſſatur, conſtabit rite & juſte factum: Quid enim? Quam conditionem Sichemus Dinae fratribus obtulit, eam tunc jure gentium fuiſſe ſancitam, oſtendunt poſt latae Moſaicae leges Ex. XXII. 16. 17. & Deut. XXII. 29. In hujuſmodi enim legum capitibus, quae ad naturalem matrimonii circumſtantiarum honeſtatem pertinent, Moſi ea ferme fuiſſe a Deo dictata arbitror, quae finitimorum Iſraëlitis populorum uſu tunc temporis comprobata inveniebantur. Ferebat ergo jus gentium, ut ſi quis ſive tantum ſeduxiſſet puellam, ſive etiam violaſſet, non niſi dote conſtituta, illam ſibi in uxorem acciperet. Hinc Ex. XXII. 16. 17. de ſeductione ita ſancitur: *Si ſeduxerit quis virginem . . . dormieritque cum ea, dotabit eam & habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet* (violator) *pecuniam juxta modum* (regionis). At Deut. XXII. 28. de per vim violata agitur: pro quo crimine patri danda praeſcribitur ſumma quinquaginta ſiclorum. His, quae in hujuſmodi caſibus lex Moſaica poſtea ſancivit, intellectis, quis non fatebitur, Hemorem atq. Sichemum in his circumſtantiis ex jure gentium quantamlibet non immerito promiſiſſe dotem? At poſtea leges Moſaicae modo recitatae rem vagam dotis dicendae ad modum facti ſpeciebus conſentaneum redegerunt.

Quid nunc, rogo, Sichemi Dinaeque facto cum barbaricis matrimoniorum emptionibus commune, uti quibusdam interpretari viſum? Illi puellas ſibi in matrimonium coëmebant numerata parentibus praeſenti pecunia; quam ſcil. parentibus liceret uſu conſumere, nihilo in filiarum emolumentum reſervato: hi vero (Hemor & Sichem) dotem dicebant iis legibus, quibus ea inalienabilis eſſet, atque ad ſuſtinenda onera matrimonii reſervata maneret. Sed & modus & quantitas dotis Jacobo filiiſque permittitur: *Quaecumque ſtatueritis dabo: augete dotem, . . . & libenter tribuam*. Quid in hoc facto barbaricum, ac non potius ex gentium juris medulla petitum? Ad ſummam matrimoniorum emptio-venditio, numerata parenti ad abliguriendum pecuniâ, totum barbaricae feritatis atque voracitatis fuit: at dotis dictio juris gentium eſt: dotis, inquam, ſive a puellae parente dictae (ubi recte & ordine res tranſigitur) ſive (ſi quid ſecus fiat) a ſponſi patre aſſignatae, ut hîc in facto Dinae & Sichemi. Quam poſtea facti ſpeciem in Divinas leges fuiſſe relatam

Digitized by Google

AD GEN. XXXIV. 27.

Et depopulati ſunt urbem in ultionem ſtupri] Temporibus heroicis vix alia reperietur bellorum cruentiſſimorum exſtitiſſe cauſa, quam mulierum raptus. Non alia, ut omnes norunt, origo belli Trojani fuit. Calliſthenes ſcripſit Cyrrhaicum bellum inde exortum, quod a Cyrrhaeis Megiſto, & Achivorum gnatae abductae fuiſſent. Eadem & *ante Helenam* h. e. ante Iliacam obſidionem ab Horatio lib. I. ſat. 3. *teterrima belli cauſa* exſtitiſſe agnoſcitur.

AD GENESIS CAP. XXXVI.

AD VERS. 24.

Iſte eſt Ana qui invenit aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui] Prorſus neceſſe eſt, Hieronymum pro ימים *jemim*, ſive cum praepoſito articulo הימים *hajemim* (quod nunc in Hebr. legitur) aut in ſuo codice legiſſe חמים *chammim* h. e. *calidas*, ſupple *aquas* [nam certe *aquas calidas* ipſe interpretatur] aut ſaltem ita corrigendum id, quod hodie Hebr. legitur, judicaſſe. Aut poſtremo, ut veriſſime dicam, *Punicae linguae viciniam* ſua interpretatione ſecutus eſt. Hoc ultimum eſſe verum quaeſtiones ipſius Hebraicae arguunt, quas mox adſcribam. At antiqui fere omnes Graeci interpretes lectionem Hebraicam hodiernam tuentur: quam tamen ἀνερμήνευτον, & ut in Hebraeo eſt, Graece expreſſerunt, quod ejus vocis interpretationem non aſſecuti eſſent. De his vide quae ex Hieronymi Quaeſt. Hebr. in ima (1) pagella delibavi.

At eorum qui clare & diſerte ימים *jemim* reddiderunt *mulos* [quae hodie apud omnes pervagata eſt interpretatio] non alius antiquior Jonatha Uzielis filio, nobili paraphraſte invenitur, qui haud diu poſt Chriſti tempora Targum ſuum elucubraſſe creditur: ex cujus Chaldaea paraphraſi locus hic ita vertitur: *Iſte*

tam in Exodo & Deuteronomio, & aequiſſime judicatam, jam proxime animadvertimus.

Ceterum ſi in Romanas origines intuemur, eorumque ritus matrimoniales ſpectemus, fuit in illis adumbrata quaedam mutua coëmptio: quam in Mantiſſa *De ſponſal. filior. famil.* explicuimus pag. 154. & ſeq. itemque in Diatriba II. *de ritib. ſponſalior.* a pag. 191. num. 5. ad pag. 195. Nolo nunc ea recoquere. Verum cum vetera exempla audis populorum matrimonia coëmentium & venditantium, eorum exemplorum pars pleraque poteſt ad rituales emptiones, dicis cauſa factas referri, non ſecus ac apud Romanos, uti modo dictum fuit, celebrabantur.

(1) Quae ad Hebraicam lectionem pertinent hujus nominis ימים, quo pacto ea ſe apud antiquos habuerit, ea exhibuit Montfauconius in Hexaplorum textu, quem nunc tranſcribere inutile credidi. Nonnulla potius huc facientia ex Hieronymi quaeſt. Hebr. excerpam. Ibi cum dixiſſet *Ajamim* notare *Maria* [h. e. Hebraea proprietate aliquam aquarum conceptionem: *cujus*, inquit, *inventio in eremo difficilis*] ita pergit: *Nonnulli putant aquas calidas* (*juxta Punicae linguae viciniam, quae Hebraeae contermina eſt*) *hoc vocabulo ſignari*. Ecce tibi cauſam, cur in Vulgata ſua Hieronymus poſuerit *Aquas calidas*. Sed veteres illi Punicae explicationis vindices [quos hic deſignat Hieronymus] non aliter, credo, id tuebantur, quam legendo in Hebr. חמים *hammim* h. e. *calidas*, & ſubaudiendo *aquas*. Pergit Hieronymus: *Sunt qui arbitrentur, onagros ab hoc* (Ana) *admiſſos eſſe ad aſinas: & ipſum hujuſmodi reperiſſe concubitum, ut velociſſimi ex his aſini naſcerentur, qui vocantur IAMIM*. Haec Jonathae explicatio fuit, quam ſuperne reperies. Addit Hieronymus: *Plerique putant, quod equarum greges ab aſinis in deſerto ipſe fecerit primus aſcendi, ut Mulorum inde nova contra naturam animalia naſcerentur*.

Digitized by Google

Iſte eſt Ana, qui commiſit onagros cum aſinabus, & poſt tempus invenit [2] *mulos, qui ex illis exierunt, cum paſceret aſinos Tſibeon patris ſui.* Adhaec verſio Perſica, quae in Polyglottis Walton. tom. IV. exſtat, multo ſane ſimplicior, ita ſe habet: *Ipſe eſt Anab, qui invenit mulos in deſerto, cum paſceret aſinos Sibeon patris ſui.* Hoc vero Perſa interprete multo eſt antiquior Arabs Saadias, qui nono aut decimo ſaeculo ſuam cudiſſe Arabicam translationem creditur, qui hunc locum ita tranſtulit: *Iſte eſt Ana qui adinvenit mulos in deſerto dum paſcebat aſinos Sebaun patris ſui.* Atque his quos huc uſque retuli, Hebraei doctores omnes turmatim aſſentiuntur, mulorum excogitatum Anae principi tribuentes. Atque utinam Onkelos paullo clarius explicuiſſet, ecquid ipſe per ſuum illud גבריא *gibbaraja* intellexerit, dum ita παραφράζεις *Iſte eſt Ana, qui invenit gibbaraja* (quod in Waltonianis redditur *Gigantes*: melius vertiſſet *Robuſtos*) *in ſolitudine cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui.* Mihi tamen certum videtur, non alios ab Onkelo quam *Mulos* [quos *robuſtos* ex vero vocat] fuiſſe deſignatos, & proinde Moſaicos ימים *Jemim* haud alios [3] a mulis eſſe.

Atque Onkeli ſuffragio non inepte Homerum vetuſtiſſimum teſtem adjungerem, niſi riſuros lectores ſuſpicarer. Sed tamen quale id cumque eſt quod ſum producturus, non hîc quidem agam in ſcaena propalam, ſed intus (4) clam ſpectatoribus tranſigam.

Verum

(2) Hîc mendoſe ſuo tempore lectum fuiſſe כורנייתא [*curnajetba*] monet Buxtorfius in Lex. Chald. quod ipſe recte correxit כודנייתא *cudanjaitba* h. e. *mulos*: id quod in Waltonianis recte nunc ſe habet, paullo licet diverſis motionibus. Hîc Jonathan unam ex Hieronymianis narrationibus quas ſupra retuli, adoptavit, quae incipit: *Sunt qui arbitrentur onagros*, ac deſinit, *qui vocantur Jamim*. Ac ſane *Jamim* hodieque in Hebr. legitur (niſi quod cum Tzere *Jemim*, quae varietas nihili eſt) hos vero Hieronymianos *Jamim* ex aſina & onagro natos Jonathan *Mulos* fuiſſe teſtatur: cum contra *Mulorum* veriſſimum genus ex aſinis admiſſariis & ex equabus gignatur.

(3) Qui nunc in Hebr. ימים *Jemim* vocantur, ab Hieronymo vero *Jamim* (una ſcil. vocali mutata) ii Jonathae, uti vidimus, *Muli* erant, ſed muli ex aſina & onagro ſati. Ex onagro tamen & aſino natos inter genera mularia fuiſſe probat Boch. Quocirca & quos *Robuſtos* ſive *potentes* (in Chald. גבריא *gibbaraja*) Onkelos appellavit, ii quia iiſdem parentibus (aſinabus & onagris) erant ſati; virtutem talem traxere paternam, ut merito *Potentes* ab Onkelo dicti fuerint, quia mulorum maximi, velociſſimi, fortiſſimique. Nam ſicuti ubi de hominibus ſermo eſt, גבר *gibbar potentem* ſive *gigantem* notat, ita ubi de brutis, ibi τὸ *Gibbar* fortiſſimum & maximum in eo genere ſignat. Eo fit Onkeloſi *Gibbaraja* ſive *potentes* (quia ſunt ex jumentario genere, quippe teſte Jonathane, ex aſinabus & onagris naturâ ſua fortiſſimis ſati) non aliud reddendi ſint, quam *Muli* & quidem egregii. Male ergo in Waltoniana Onkeli translatione Latina *Gigantes* vertuntur. Vertendum erat *Muli fortiſſimi*.

(4) Homerus mulos non quoſlibet, ſed ἀγροτέρους (h. e. *efferatos*) ex Enetis arceſſit Il. B. in Catalogo ver. 358.

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ
Ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.
Paphlagonas cor acre Pylaemeneos ducebat
Ex Enetis, genus unde trahit muli effera virtus.

Hîc ſi paulliſper in *Enetorum* nomine ludere libeat, dixerim mulos ab Ana adinventos ſibi facile apud poſteros *Enetorum* nomen peperiſſe. Ab inventore enim *Ana* quid aliud quam *Eneti*, vocarentur; certe quia *Anae* prior ſyllaba aut *ai* fuit, ſicuti in Montfauconianis Hexaplis legitur, in Aquila quidem Ἀνὰς, in Symmacho vero & Theodotione Ἀνὰν aut ſimplex E, quia in Complutenſi Seniorum cod. Ἐνὰν bis hoc verſu ſcribitur. Ergo uti dixi, muli illi ab inventore *Ena* Eneti dicebantur: ſed & gens ipſa ab Ena iſto propagata, & cujus induſtria mulorum hoc genus gignebatur, *Enetà* videtur dicta. Adhaec vero iidem muli, utpote ab onagris parentibus (Jonathane teſte) in aſinabus ſeminati, Homero quidem ἀγρότεροι i. e. *agreſtes*, Onkeloſo vero *gibbaraja* h. e. *robuſti* nuncupabantur. Haec luſûs gratia mihi dicta ſunto: non tam quod incredibilia putem, quam quia

ſatis

Digitized by Google

Verum ceteris, ſi qua ſunt, praetermiſſis (maxime Judaeorum & Chriſtianorum [5] omnis aevi auctoritatibus) Moſes ipſe ſuae index atque interpres mentis eſt, dum illud addit, non alio tempore inventum Anae illud prodiiſſe, quam *cum paſceret aſinos Sebeon patris ſui*. Quid rogo attinebat iſtud adjicere, niſi in illo ignoto ימים *Jemim* aſinaria res ageretur? Nihil enim in paſcendis aſinis novi, nihil inſoliti fuit, ut de eo monendus videretur lector: verum quid, dum hos Ana paſcit, ſive ex ipſius Anae induſtria, ſive caſu acciderit, id ſcire intererat, quia novum & inuſitatum fuit, atque ejuſmodi quod lectores poſſe afficere videbatur, de reſciſcendis mulorum exordiis non futuros incurioſos. Ad haec illud Anae inventum *cum paſceret aſinos*, alia quoque de cauſa ſcribi a Moſe interfuit, ſi quidem legem Levitici XIX. 19. huc revocemus, ita conceptam: *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus*. Morale ne hoc ſit, an tantum rituale praeceptum, aliis decernendum permitto. Hoc unum moneo, ſi quis forte mulares procurare ſatus inhoneſtum eſſe pertenderit, hunc tueri ſe poſſe S: Ambroſii haudquaquam poenitendi auctoris nomine, cujus locum a me olim in ſchedas relatum, ſeorſum in fine ſubjiciam. Verum abſit, ut nimiae ſeveritatis profitear patrocinium. Sed his omiſſis, hoc unum nunc ſuſpicari de eo quem tractamus Geneſeos loco in mentem venit. Moſis animo, dum hoc cap. Eſavi genealogiam perſcriberet, lex a ſe in Levitico conſignanda forſitan obverſabatur: lex, inquam, quam ſupra recitavi, de diverſi generis animalibus ad coitum non committendis, ut inde hybridae exoriantur. Itaque optimum factu duxit, ſi ita lectoris animum praepararet, ut ubi ad Levit. XIX. 19. Moſes ipſe devenerit, intelligat, id ibi non ita vetari, quaſi aliquis de ſtirpe ſancta Jacobi fuiſſet olim ſequeſter eorum partuum; ſed vetari potius, ut cum morem, qui ab Ana ex Eſavi ſtirpe profecto invectus fuerat, deteſtaretur, nequando mos

ſatis admirabilia fore lectori arbitror.

Ceterum de mulis iſtis, qui ab onagris ſeminabantur, diſcere proderit quid veteres ſcriptum reliquerint, Aelianus, Plinius, Palladius, Columella (quorum loca vide in Bocharti Animalibus pag. 234.) ex quibus quantae praeſtantiae fuerint, quanti roboris, ac velocitatis, poteſt intelligi. Atque haec de Enetis Moſaicis iisdemque Homericis mulis, ſive cognoviſſe ſive conjeciſſe ſufficiat.

(5) Non tantum enim Hebraei omnes ſive Targumiſtae, ſive Magiſtri, ſive lexicographi in hoc Anae facto Mulorum excogitatum & procreationem agnoſcunt, ſed & maxima pars ſcriptorum Chriſtianorum, etiam poſt adoptatam Vulgatam Hieronymi translationem, in qua *Aquae calidae* ab Ana inventae dicuntur. Poſſem conſpiſſare volumen, ſi colligere iſta ſit animus. Tantum in ſpecimen ceterorum affero S. Brunonis Aſtenſis, Epiſc. Signienſis expoſitionem loci hujus ex ejus Comm. in Geneſim (tom. 20. Bibl. Pat.) neque id alia de cauſa quam quod mihi haec ſcribenti ſe obtulit. „ Quod autem „ (inquit) dicitur *Iſte eſt Onan qui invenit* „ *aquas calidas in ſolitudine, cum paſceret* „ *aſinos Sebeon patris ſui*: ſic eſt accipiendum, „ ac ſi diceret: Iſte Onan ſua arte ſuoque „ ingenio reperit, ut ex aſino ſimul & equa „ mulus naſceretur. Sive etiam ad litteram, „ *Invenit aquas*, quae difficile in ſolitudine „ reperiuntur.

Ne mirare, ſi qui *Ana* hodie in Vulgata legitur; is in Brunone *Onan* ſcribatur: nam in Aldino Seniorum Cod. is non Ἀνὰ, ſed Ὠνὰ ſcribitur, ac fort. in Itala quoque ſic legebatur: ex quibus fontibus ſuere, opinor, illius temporis ſcioli qui τὸ *Ana* Vulgatae in *Onan* recuderent.

Illud autem eſt mirabile, quod cum expoſitiones duas Bruno attuliſſet, unam de mulorum procreatione ex vetere Itala (cujus tunc exemplaria adhuc a ſtudioſis lectitabantur) deſumptam, alteram vero de *aquis calidis* ex hodierna Vulgata; hanc ita a priore diſtinguit, ut vocet *AD LITTERAM*, h. e. hodiernae lectioni adhaereſcentem. An id Bruno ſolens faciat, iis qui otio abundant, licebit ex ejus lectione animadvertere.

ille in Iſraëlem ſerpat. Sicuti re vera apud Iſraëlitas neque ante neque poſt Legem id ſtudio procuratum legitur: imo & ante Davidica tempora nullus in Iſraële mulorum uſus, nulla mentio. Et poſtquam invectus eorum uſus fuit, aliunde muli (6) afferebantur: quos Iſraëlitis ſive jungere ſive inſidere nulla religio fuit, quia non vetitum aliunde advectis uti, ſed domi procurare interdictum.

Nunc promiſſum Ambroſii locum repraeſentabimus, qui in hominum factum, qui quotidie aſinos in equas admittentes, ſe turpis adulterii ſequeſtros atque lenones praebent, pulchre invehitur in Hexaëm. lib. V. cap. 3. num. 9. (prout in edit. Benedictina, utpote emendatiore, exhibetur) ubi S. Praeſul poſtquam piſces laudaſſet, quod ab diverſo piſcium genere ſeſe abſtineant; ſic pergit: *Neſciunt igitur alienigenarum genera piſcium adulterina contagia; ſicut ſunt ea quae coëunt aſinorum equarumque inter ſe genera, quae magna hominum cura perpetrantur: vel rurſus cum equis aſinae miſcetur: quae ſunt vera adulteria naturae. Nam utique majus eſt, quod in naturae colluvionem committitur, quam quod in perſonae injuriam. Et HOMO* (7) *ISTA PROCURAS, INTERPRES ADULTERII JUMENTALIS; & illud animal pretioſius* (8) *putas, quod adulterinum, quam quod verum eſt? Ipſe genera aliena confundis, diverſaque miſces ſemina, atque ad VETITOS coitus plerumque cogis invitos; & hoc induſtriam vocas? Hoc quia de hominibus facere non potes; ut diverſi generis commiſtio fetum poſſit excludere; tollis homini* (9), *quod natus eſt; & virum de viro exuis, abſciſſaque corporis parte, ſexum negas, ſpadonem efficis, ut quod negavit natura in hominibus, impleret audacia.* Quae ad Ambroſianae faecundiae ſpecimen guſtaſſe non poenitebit.

AD GENESIS CAP. XXXVII.

AD VER. 2.

Et hae ſunt generationes ejus] Hae, inquit, ſunt ejus res geſtae. (*Jacobi* ſcil. qui in fonte & LXX nominatim exprimitur) quas hactenus deſcripſerat; nam ſtatim poſtea ad Joſephum digreditur. Heb. תולדות *tholedoth* pro geſtis accipi conſuevit. Quod ſi *Tholedoth* proprie de filiorum procreationibus capias, vel ſic verum eſt huc uſque Jacobi procedere procreationes, ſive *procreaturas*, ut in Itala vocantur. Italae textum debemus Auguſtino q. 122. in Gen. his verbis: *Hae autem PROCREATURAE Jacob: Joſeph* &c. Optime Latine dici *Procreaturam*,

(6) Ezechiel XXVII. 14. ex *Thogorma* maxime *mulos* ad Tyri nundinas arceſſit: quam Thogormam Cappadociae maxime reſpondiſſe, viri eruditi putant, hoc etiam argumento adducti, quod equi & muli ex Cappadocia antiquitus afferebantur, iique prae ceteris laudatiſſimi.

(7) Ex hoc loco, & quod poſt pauca VETITOS COITUS vocet iſtiuſmodi congreſſus, clare intelligitur, legem Lev. XIX. 19 moralem ab Ambroſio reputatam, utpote permiſcentem jura naturae, aliiſque de cauſis. Id tamen etiam ſi ſit illicitum (quod non puto fore omnibus ratum) non continuo ſequitur, mulos per nefas ab aliis procuratos, etiam illicite in uſum adhiberi.

(8) Sicuti nunc, ita & olim mulorum prae ceteris jumentis cariora pretia; ac ferme ſicuti muli ſagmarii generi aſinino praeſtabant, ita & ſubjugales muli ſubjugalibus equis pro portione pretioſiores. Plura ſunt antiquorum loca, ex quibus id liquido conſtat.

(9) Evirare hominem ſemper pro illicito habitum, & a Nicenis Patribus in Origenis exemplo improbatum, nemo ignorat: ut merito Mediolanenſis Pontifex in hoc mollitiae genus acriter invehatur: quod ſane pudet ne nunc quidem a Chriſtianiſmo ablegatum, ne deterrente quidem vitae periculo.

Digitized by Google

turam, non ſinit Italae antiquitas dubitare. Erit ſaltem in verborum ἰδιωτικῶν cenſu, quibus & plebeia ſaxa & Italica verſio ſcatet.

AD GEN. XXXVII. 3.

Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos, eo quod in ſenectute genuiſſet eum] Hebr. *Filius ſenectutum*. LXX υἱὸς γήρως, *filius ſenectutis*. Hujuſmodi filios in ſenectute genitos, eoque prae ceteris dilectos Homerus vocare τηλυγέτυς aſſolet: de quo vocabulo videatur Heſychius, Suidas, &, qui omnia eo pertinentia colligit, H. Steph. in Theſ.

Fecitque ei (Joſepho) *tunicam polymitam*] In Hebr. eſt *tunica Phaſſim*. De Joſephi tunica *polymita* ſive *Phaſſim* exſtabit ad calcem Geneſeos inter Diſſertationes ſua quaepiam huic argumento peculiaris.

AD GEN. XXXVII. 7.

Putabam nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meum & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meum] Cujuſmodi *manipulos* intellexerit ſcriptor, frugum ne an alterius cujuslibet generis, incertum eſt. LXX, apud quos hic ubique δράγμα & δράγματα eſt, duces fuiſſe videntur iis, quicumque in ſuis translationibus *manipulorum* verbo uſi fuere. Certe autem tam δράγμα Graecis meſſorium verbum eſt, Homero & aliis in ea re familiare, quam Latinis *Manipulus* (δράγματι in re meſſoria e regione reſpondens) aeque meſſorum eſt. Et tamen ſi quis Hebraeae vocis אלמה *alummeh*, quae hîc legitur, vim γενικωτέρως exprimere velit, faſcem potius interpretabitur, cum ſit ab אלם *illem* quod eſt *colligare*. Ac bene eſt, quod Italae veteris interpretatio loci hujus (quae exſtat in Auctore lib. *de praed.* cap. 25. apud Proſperum col. 108. E) ita habet: *Putabam nos ligare gremia* (niſi hîc & in ſequentibus ſcribendum ſit *Cremia*) *in campo: ſurrexit gremium meum, & erectum eſt: converſa autem gremia veſtra adoraverunt gremium meum*. Vtrum hoc loco pro eo, quod ſcriptum eſt cum G, legendum ſit *Cremium* & *Cremia*, an vero *Gremium* recte ſe habeat, & de utriuſque ſignificatu, vide in imo (1) margine. Ex his apparet non ſegetis δράγματα

 ſeu

(1) *Quid ſit* Cremium, *& quod ea vox in MSS. & editis ſaepiſſime cum notiore* Gremium *permutata fuerit. Ejus permutationis exempla. Vtra earum vocum convenientior ſit loco Italae, de quo agitur.*

a *Cremium* a cremando eſt, uotatq. quamvis materiam accenſu facilem, veluti ſurculos, frutices, foenum, paleas, fomites ceteros, quos uno verbo φρύγανον Graeci complectuntur (de voce φρύγανον videatur cenſeo H. Steph.) τῷ φρυγάνῳ vero reſpondet Latinorum *Cremium*. Vnde in vet. Onomaſt. *Cremium* redditur φρύγανον. Sic etiam Jo: de Janua *Cremium* interpretatur *Siccamentum lignorum*; ſicuti in Gloſſis Iſidori *Gremia* (pro *Cremia*) ſunt *ſiccamina lignorum*. Hactenus grammaticorum finitiones. Veterum vero exempla haec habeto. Ordior a Pſalterio Vulgatae edit. Pſ. CI. 4. *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt*. Plinius XII. 19. de cinnamomo loquens: *Dein ſorte cremia diſcerni*. Male Harduinus *Sorte gemina* ex MSS. edidit. At eum fefellit quod in ſuis MSS. videtur *gremia* aut *gemia* reperiſſe, quod ipſe in *gemina* vertit. Atqui aevo medio in ſcribendo hoc vocabulo G loco C uſurpabant, notiſſimam ſcil. vocem pro ignota *Cremium* ſubſtituentes, ut ex Gloſſis Iſidori ſupra recitatis, & ex ſexcentis aliis exemplis clariſſimum eſt, quae ſubjicio. Veluti in Columella XII. 19. GREMIA codices MSS. exhibebant, ſed *Cremia* tamen recte ediderunt: *Tenuibus*, inquit, *admodum lignis, quae CREMIA ruſtici appellant, fervacem incendemus, ut ex commodo muſtum ferveat*. Ex quo diſcis *Cremia* ruſticum eſſe nomen. Adhaec in corpore etiam Pandectarum G pro C hodieq. vocabulum idem invadit, ut l. 51. §. 4. de legat. 3. *Et virgulae & Gremia* (pro *Cremia*) *& ſarmenta . . . continebuntur*. Sic etiam l. 7. §. *Si fundum* 12. D. *ſol. matrim. Arbores gremiales* ſcribitur pro *Cremiales*, ſicuti eruditi emen-

Digitized by Google

ſeu *manipulos* (nullum enim in tota *συνεχείᾳ* meſſis veſtigium) ſomniaſſe Joſephum , ſed cremia h. e. materiam combuſtibilem . Conſueverat enim , opinor , quotidie genitor filios lignatum mittere , ac fuiſſe inter fratres (ut inter pueros uſuvenit) de majoribus minoribuſve faſcibus certamen ſuſpicor , idque certamen excivìſſe in Joſepho de faſcibus ſarmentitiis ſomnium , quod fratribus enarravit . Id ſi ita ſit ; nullus jam erit meſſoriis manipulis locus , de quibus cura inceſſit Menochium alioſquè interpretes .

Nequeo tamen praeſtare , haec quae ex *Praedeſtinato* recitavi , ipſiſſima Italae verba in totum complecti : nam ecce S. Ambroſ. lib. de S. Joſeph. cap. 2. & Vigilius Tapſenſis lib. 3. contra Eutych. dum verbis Moſaicis hanc Joſephi narrationem ambo adornant , ubique tamen *manipulos* , numquam ſive *gremia* ſive *cremia* uſurpant ; ac certum eſt , Italicam verſionem pro locis temporibuſque non leves verborum mutationes ſubiiſſe .

AD GEN. XXXVII. 9. 10.

Ver. 9. *Vidi per ſomnium quaſi ſolem & lunam & ſtellas undecim adorare me .* Ver. 10. *Quod cum patri ſuo & fratribus retuliſſet , increpavit eum pater ſuus & dixit : Quid ſibi vult hoc ſomnium quod vidiſti ? Num ego & mater tua , & fratres tui adorabimus te ſuper terram ?*] De matre eſt non levis difficultas ; quae mortua jam creditur ſomniante Joſepho , vel , ſi non mortua (quod alii malunt) at certe in Aegyptum non deſcendit , proinde filium non adoravit . At etiam de eadem Rachele infra cap. XLIV. 20. ſic loquuntur Joſephi fratres , quaſi adhuc viva , cum tunc fatis ceſſiſſet : *Et ipſum ſolum* (Benjaminum ſcil.) *habet mater ſua* . De utroque loco dicam quid ſentiam . Hîc quidem Luna non ſolum Joſephi matrem deſignat , ſed collective matres omnes Joſephi fratrum . Itaque ut eventus viſo reſpondeat , ſatis eſt , ſi aliquot , aut una ſaltem ex illis matribus in Aegypto Joſephum adoraverit . Poſterior autem locus Hebraice ſic concipitur: *Et relictus eſt ipſe ſolus matri ſuae* , ſive vivae ſive mortuae ſcil. nam etiam de mortua

omendàrunt . Ac ne Acta quidem SS. Dignae , Hilariae &c. omiſerim , quae Velſerus in Auguſta Vindel. protulit : *Implete memoriam cremiis & ſiccis ſpinis .... & ita demum ignem ſupponite* .

Ex dictis perſpicuum eſt , nihil fuiſſe facilius , quam ut in hoc Italae fragmento pro *Cremio* (rariſſima voce , quippe quae , Columella auctore , vix aliis quam ruſticis in ore fuerit) ſubrepſerit *Gremium* , quo nihil in quolibet ſermone uſitatius . Ea vocabuli raritas fecit , ut ubicumque *Cremium* uſurpari contigit , ibi librarii in ejus locum ſuffecerint *Gremium* , uti conſtat ex exemplis ſupra allatis . Dixeris , non dici oportuiſſe *Cremium* aut *Cremia* , ſed faſcem *cremii* ſive *cremiorum* ; quia cremia niſi alligata fuerint , diffluunt ac dilabuntur : imo אלמה *alummah* (quae in fonte *Cremio* reſpondet) *colligationem* proprie deſignat h. e. faſcem alligatum . Fateor id quidem , ſed & in *faſcis* & in *manipuli* vocabulis , & in hujuſmodi pluribus ſubauditur vinctura . Itaque ruſticorum ſermone *Cremium* , licet ſine vinculi additamento , tamen faſcem ſarmentorum ac fomitum colligatum notabat .

Nec tamen pro *Cremio* tam praefracte digladior , quin & *Gremium* retineri utcumque poſſe (modo e ſcriptoris manu ſit) fatear : veluti ſi *Gremium* pro eo quod gremii brachiorumque complexu contineri poteſt , *συνεκδοχικῶς* capiatur . Id enim ubi in faſciculum redactum vinctumque fuit , quis vetuiſſet adhuc *Gremium* vocare , ut aliud eſſet Joſephi *Gremium* in medio ſtans , alia fratrum ceterorum . *Cremii* vox propter ſupra dicta mihi ſe magis probat : ſed ne *Gremii* quidem , ut explicata fuit , diſplicet . Haec ad Italae locum , ab auctore lib. de Praedeſt. uſurpatum elucidandum , dixiſſe ſufficiat . Ceterum quis non videt , quanto praeſtabilior vox *Manipuli* ſit , quae hodie legitur , quaeque non tantum de frugibus uſurpatur , ſed & de generibus ceteris , quae redigi in faſciculum poſſint .

mortua hoc dici poteſt, ex duobus, quos peperit, unum dumtaxat ei relictum eſſe h. e. ſupereſſe filium.

AD GEN. XXXVII. 21. 22.

Ver. 21. *Audiens autem hoc Ruben; nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat:* Ver. 22. *Non interficiatis animam ejus . . . ſed projicite eum in ciſternam hanc, quae eſt in ſolitudine . . . Hoc autem dicebat, volens . . . reddere patri ſuo.*

Ver. 21. *Nitebatur liberare eum*] At in Hebr. ſcribitur, Rubenum reipſa liberaſſe puerum: ויצלהו (*vajatſilehu*) *Et eripuit eum de manibus eorum*. Hebraeo conſentiunt LXX (ἐξείλατο αὐτὸν) Onkelos, alii. Ac Seniores ſecuta eſt duces Itala vetus apud Auguſt. Locut. 28. *Cum audiſſet autem Ruben, liberavit eum de manibus eorum*. Sed haec facile conciliantur, primum quia unius abſolutoria ſententia tunc etiam liberare dicitur aliquem, cum non ſequitur effectus, quia pluribus aliorum ſuffragiis reus damnatur. Deinde quae mens Rubeni fuerit in eo, quod mitti in ciſternam puerum ſuaſerit, ex ſequente narratione conſtat. Abſente autem Rubene veniit puer: quod ipſe praeſens pro viribus diſſuaſiſſet.

Ver. 22. *Non interficiatis animam ejus, nec effundatis ſanguinem*] LXX οὐ πατάξωμεν αὐτὸν εἰς ψυχὴν . . . χεῖρα δὲ μὴ ἐπενέγκητε αὐτῷ: quod fideliter tranſtulit vetus Itala: *Non feriamus eum in animam* (h. e. in exanimationem) *manus autem nolite inferre illi*.

AD GEN. XXXVII. 28.

Vendiderunt eum Iſmaëlitis viginti argenteis] Variabat olim in exemplaribus nummorum ſumma, dum alicubi legeretur *triginta argenteis*, quot Chriſtus hic figuratus veniit: in LXX vero *viginti aureis* legitur, & apud Joſephum *viginti minis*. Sed exemplarium conſenſus viginti argenteos adprobat. Nec typorum Vet. Teſt. Chriſto aptandorum nimium ſtudium nos removere ab recepta lectione debet. In Pſalmis, in Iſaia, Daniele, totque, aliorum apertiſſimis de Chriſto vaticiniis inter tot pares circumſtantias, tamen aliquot impares deprehendi Deus voluit ad fidem exercendam; ne alioqui non tam fides humilis adjutorio divino fulta eniteſcat, quam mere humana evidentia.

AD GEN. XXXVII. 30.

Puer non comparet] Locus ſimillimus eſt Gen. V. 24. de quo in loco paucula dixi. Vtrobique in Hebr. eſt איננו *enennu*, i. e. *Non ipſe!* quod ibi vulgata vertit, ultra *Non apparuit*: & hic itidem *Non comparet*. Ac notanda eſt proprietas verbi *Compareo* pro eo quod eſt *invenire*, aut *exſtare*: cujus aliquot exempla protuli ad Gen. V. pag. 47. ad illud de Henocho, *Et non apparuit, quia tulit eum Deus*. Nunc quo magis tam elegans notio innoteſcat, alia quaepiam ex Livio loca producam. Is lib. XXIV. 21. *Locrenſibus ſe permittere, ut quod ſui quiſque cognoſceret, prehenderet: ſi quid non compareret, repeteret*. Idem alibi: *Excellentia ejus generis ornamenta a Marcello conſecrata, quorum exigua pars comparet*, i. e. exſtat. Vt etiam lib. XXXII. 34. Philippus ait: *Et naves Attalo cum captivis, qui comparebunt, reſtituam*.

AD GEN. XXXVII. 36.

Madianitae vendiderunt Joſeph in Aegypto Putiphari eunucho Pharaonis, magiſtro militum] Nomen hujus magiſtri militum paullo diverſis, ac hodie, motionibus antiquitus tempore Seniorum afficiebatur. Nam pro *Putiphar* in LXX ſcribitur,

Πετεφρῆ

Digitized by Google

Πετεφρῆ τῷ σπάδοντι (2) Φαραῶ ἀρχιμαγείρῳ : quod & in Itala verſione apud Auguſtin. q. 127. in Gen. redditur : *Petephrae ſpadoni magiſtro coquorum* . Dignitas Putipharis iſtius varie hîc & cap. XL. 3. effertur , ſive in fonte , ſive in translationibus , Joſepho & aliis : de quo conſulantur Scripturarum enarratores .

AD GENESIS CAP. XXXVIII.

AD VERS. 5.

Tertium quoque peperit , quem appellavit Sela . Quo nato parere ultra ceſſavit] Locus non expeditus : cujus altera pars , ſi ex Hebr. verbum verbo reddatur , ita ſonabit : *Et erat* (*Sue* , de qua ſermo eſt) *in Chezib* (Hebr. בכזיב) *dum pareret eum* (Sela ſcil.). Quaeritur inter eruditos, illud *Chezib* pro appellativo an proprio nomine ſit capiendum . Qui prius ſequuntur , ad Vulgatae interpretationem recidunt ; quia verbum כזב *chazab* (unde illud *chezib*) non tantum eſt *mentiri* , ſed etiam *ceſſare* , ut *Mentietur opus olivae* . Aquila , de quo mox , etiam appellative pro re acceperat. At qui vocem *Chezib* propriam loci volunt, in quo *Sue* morabatur, auctores habent LXX interpretes, quorum locus ita refert : Καὶ προσθεῖσα ἔτεκεν υἱὸν, καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτῦ Σηλώμ· αὕτη δ' ἦν ἐν Χασβὶ, ἡνίκα ἔτεκεν αὐτὺς. *Et adjiciens peperit* (tertium) *filium* , *& vocavit nomen ejus Selom : haec autem* (*Sue* ſcil.) *erat in Chasbi* , *quando peperit eos* : tres nim. Judae filios . At Aquilae locus Graece deperiit , ſed eum Latine Hieronymus in quaeſt. Hebr. inſeruit pag. 540. Praeſtabit ergo hîc integrum Hieronymi locum referre , qui locus a LXX incipit , prout in Itala antiqua exſtabat Latine redditus . Sic ergo Hieronymi locus incipit . „ *Et adjecit & peperit filium* , *& vocavit nomen ejus Sela : haec autem erat in Chazbi* , *quando peperit eum* . Verbum „ Hebraeum (*Chazbi*) hîc pro loci vocabulo poſitum eſt , quod Aquila pro re „ tranſtulit , dicens : *Et vocavit nomen ejus Selom : & factum eſt , ut mentiretur* „ *in partu* , *poſtquam genuit eum* . Poſtquam enim genuit eum , ſtetit partus ejus . „ Chasbi ergo non nomen loci , ſed (*eſt*) Mendacium : unde & in alio loco „ ſcriptum eſt : *Mentietur opus olivae* , id eſt Fructum oliva non faciet . „ Hactenus Hieronymi locus eſt . Verum utraque ſententia conciliari poteſt , ſi dicatur , Judae uxorem in *Cheſib* (ſive *Chasbi* ut in LXX , nam vocalium diverſitas in Orientis linguis non variat ſubſtantiam nominis) in *Cheſib* , inquam , peperiſſe: hunc vero locum ab eventu , quia ibi *Sue* parere deſiviſſet , ſibi *Cheſib* (h. e. mendacii ; ſive , quod idem in Hebr. eſt , ſterilitatis) nomen quaeſiviſſe , ac Moſem eo nomine uſum , quod vulgo ſuo tempore uſurpabatur .

AD GEN. XXXVIII. 8.

Ingredere ad uxorem fratris tui . . . ut ſuſcites ſemen fratri tuo] Plura eorum, quae Moſes Divino juſſu in legum codicem retulit , jam antea in uſu erant, non quidem

(2) Iſtud Σπάδων , σπάδοντος pro σπάδωνος rariſſimi exempli eſt ; etſi etiam in Graeco Iſa. XXXIX. 7. uſurpatum σπάδοντας . Reppererat jam id apud Plut. in Dem. Budaeus : at poſtea invenit etiam in ſuo lexico vet. H. Steph. tom. 3. pag. 925.

Hunc ſive Petephrem ſive Putipharem videri in ſequentibus conjugio junctum volunt: proinde *Eunuchos* dignitatis in Aegypti aula fuiſſe nomen, non autem exſectae virilitatis . At ut de voce *Eunuchus* hoc dici queat (nam εὐνῦχος , *lecti cuſtos* exponi poteſt) vereor ut & de *ſpadonibus* .

quidem lege, ſed moribus: ex quorum numero iſtud fuit, poſtea in Lege ſancitum. Neque id mirum, quandoquidem ex itinerum relatu diſcimus, hodieque apud Circaſſos (ea gens in Scythia Aſiatica longe lateque diffuſa, ſine lege, ſine litteris ac religione, mores tantum ſuos antiquos retinet) hoc obſervari, ut mortuo ſine liberis viro, hujus frater uxorem mortui relictam ſibi copulare debeat, ac ſemen fratri defuncto ſuſcitare. Apud eosdem narrant etiam circumciſionem in uſu eſſe, ut conjici poſſit, ex illa decem tribuum ab Aſſyriis aſportatarum celebri διασπορᾷ fuiſſe aliquot, qui in haec loca aliquando ſive errore, ſive conſilio ducti, veſtigia Judaica iſthaec impreſſi reliquerint.

AD GEN. XXXVIII. 18.

Ait Judas: Quid tibi vis pro arrhabone dari? Reſpondit: Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem manu tenes] Latinum *Arrhabonis* vocabulum, eſſe totum, ne una littera minus, Hebraicum (1) oſtendit cuilibet Hebraice etſi leviſſime docto hic locus, ut in Hebraeo concipitur: Sed miſſo generico *arrhabonis* vocabulo, ad arrhas ipſas venio, quas Judas apud ignotam feminam loco hoedi depoſuit. Eae vero ſunt in primis notabiles, quia tria ſunt Judae ἰθαρχίας (*principatus gentis*) inſignia, nim. *Anulus*, *Monile*, *Sceptrum*. A primo ordior.

Hebraica vox חותם *chotam*, *ſigillum* ſignificat. Quia vero olim ſigilla nonniſi palis anulorum adpacta, ad ſignandum adhibebantur, ſicuti tunc viciſſim anuli non ad ornatum, ſed ad conſignandum valebant; hinc quod hic ex vi nominis σφραγὶς *ſigillum* erat, id & LXX δακτύλιον, & Noſter *anulum* hic, & v. 25. poſuerunt, certe quia primitus nec ſigillum niſi anuli palae adſtrictum, nec anulus niſi ad ſignandum inſertus digito gerebatur. Tamen, ne quid diſſimulem, dubitari poterat, utrum anulorum uſus jam tum ſub his Patriarchis obtinuiſſet. Plinius XXXIII. 1. *Nec Iliacis temporibus ullos fuiſſe anulos video, nuſquam certe Homerus dicit, cum & codicillos miſſitatos epiſtolarum gratia indicet, & conditas arcis veſtes, ac vaſa aurea argenteaque, & ea colligata nodi, non anuli nota. Sortiri quoque contra provocationem duces non anulis tradit. Fabricam etiam Deum* (Vulcanum) *fibulas, & alia muliebris cultus, ſicut inaures, in primordio factitaſſe, ſine mentione anulorum*. Mitto plura, quibus ibidem anulos ſero excogitatos probat. Anulis tamen obſignatoriis uſos Babylonios Herodotus I. 195. (2) tradit: quam pridem tamen ignoramus. Verum quid opus eſt emendicatis teſtibus? Gen. XLI. 42. certa reperitur anuli mentio, quem Pharao digitis ſuis detractum Joſepho dedit tum, cum eum alterum a ſe conſtituit; ut dubitari non poſſit, quin is & anulus fuerit & obſignatorius, cujus traditione rector Aegypto datus eſt: quo ipſo ritu poſtea Alexander Perdiccam ſucceſſorem deſignavit. Ergo recte hic LXX & Noſter anulum poſuerunt; cujus uſum ſerius omnino ex Oriente in Graeciam manaſſe videtur, ſi vera ſunt, quae ſupra Plinius obſervavit. Porro huc etiam facit, quod obſervat idem Plinius lib. XXXIII. cap. 1. *Argumento eſt conſuetudo vulgi, ad ſponſiones etiam anulo exſiliente, tracta ab eo tempore, quo nondum erat arrha velocior*. Vide legem 17. *De praeſcript. verb.* legem 5. § penult.

(1) Nam hic in Hebr. ſic legitur: *Quam arrham* (in Hebr. ערבון *Erabon*) *tibi dem?* Venit autem ab Heb. ערב, quod eſt *ſpondere*.

(2) Herodotus I. 195. anulis, ac baculis ornatos Orientales dixit: σφρηγῖδα δ' ἕκαστος ἔχει, καὶ σκῆπτρον χειροποίητον. De quo mox.

§. penult. *De inſtit. act.* Terentius Eunucho III. 4. 1.

> *Heri aliquot adoleſcentuli coimus in piraeeo*
> *In hunc diem ut de ſymbolis eſſemus : Chaeream ei rei*
> *Praefecimus : dati anuli :*

ſponſionis utique gratia. Mitto jam alia ejus rei exempla.

Et armillam] Pro פתיל *phathil*, hîc ὁρμίσκον h. e. *monile* LXX poſuerunt. At Aquila, cui in more poſitum non vim vocis dumtaxat, ſed & Heb. originis in ſua translatione exprimere, appoſite στρεπτὸν, i. e. *torquem* poſuit: nam ut a פתל *phathal* (quod ſine dubio *torquere* ſignificat) exſiſtit *Phathil*; ſic a στρέφεσθαι fit στρεπτὸν ſive στρεπτὸς: quod quidem utroque genere dicitur, quia integra locutio fuerat aut στρεπτὸν περιαυχένιον (quod Herodotus uſurpavit) aut στρεπτὸς ὅρμος, quod alii. Ac ſic etiam apud Latinos eſt a *torquendo torquis*. Equidem non dubitaverim, quin monile ſeu torquem potius quam armillam Moſes hîc intellexerit. Tria iſta, quae Thamar a Juda petiit, propria fuere illis temporibus (ut initio innui) Judicum inſignia, ſicuti certe Judam toti familiae ſeu genti a ſe propagatae Judicem praefuiſſe, Infra ver. 24. & ſeq. perſpicue docetur: eamque ob cauſſam ea tria potiſſimum Thamar ex omnibus elegit. De anulo nihil eſt quod ambigas, ſi ad ea quae paullo ſuperius, ubi de anulo Judae loquerer, ſimul de Joſephi, ac de Perdiccae anulis diximus, attendas. Monile quoque Judicis geſtamen fuit apud Aegyptios teſte Diodoro Siculo II. 3. Ἀρχιδικάστης ἐφόρει περὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσαγορεύουσιν ἀλήθειαν. *Judicum antiſtes in collo geſtabat dependens ex aurea catena ſimulacrum e lapillis pretioſiſſimis, cui VERITATI nomen*. Paria apud Aelianum invenies XIV. var. hiſt. 34. Ab Hebraeis ne hunc morem acceperint Aegyptii, an contrà, non queo dicere. Certe jam antè quam eo commigraſſent Iſraëlitae, torquem, ut hinc conſtat, judices uſurpabant: at etiam Aegyptiis ἀρχιδικάστας ſuos torquibus aureis inſignitos fuiſſe & quidem ante Iſraëlitarum adventum, conſtat ex Gen. XLI. 42. ubi per anulum & torquem Joſeph Aegypto praeficitur. Apud Chaldaeos etiam tres ſummi magiſtratus monile gerebant, quod ex Daniele intelligitur; & fortaſſe etiam reges Madjan Jud. VIII. 26. Reliquum eſt, ut & de baculo videamus, nam hunc quoque Thamar appetiit.

Et baculum] Hunc cum audis, ne vile quidpiam ſub baculi nomine ſuſpiceris: quaſi ſi *baculi* nomen non idem quod *Sceptri* ſit, quod Jovi regibuſque tribuitur. Porro baculum, ſive ſceptrum geſtaſſe Judam, ut inſigne ſuae ἐπαρχίας, inde colligas licet, quod Aaronis virgam cum virgis aliis duodecim principum tribuum tabernaculo admoveri placuit ad divinam voluntatem explorandam Num. XVII. 2. Homerus Il. I. 234. ſic Achillem jurantem facit:

> Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον . . . . .
> . . . . νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
> Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας
> Πρὸς Διὸς εἰρύαται.
> *Nae per ego hunc baculum, quem dextera portat Achivi*
> *Judicis, ab Jovis imperio qui jura tuetur.*

Adhaec Juſtinus ex Trogo lib. 43. *Per ea tempora* (heroica intelligit) *reges haſtas pro diademate habebant, quas Graeci ſceptra dixere; nam & origine rerum pro diis immortalibus veteres haſtas coluere; ob cujus religionis memoriam adhuc deorum*

rum ſimulacris haſtae adhibentur. Vides, opinor, baculum, ſive σκῆπτρον, ſive haſtam (*haſtam puram* intellige, ut Romani vocabant) ab heroicis uſque temporibus judicum inſigne fuiſſe.

Ad ultimum, ut ad Judae baculum redeam, noli ſuſpicari, rudem fuiſſe baculum, cujuſmodi ex arbore quavis obvia deciduntur. Imo manu artificis elaboratum fuiſſe neceſſe eſt, qualis nim. ἐθνάρχῃ dignitatem deceret. Cognoſcendus hac de re locus ille Herodoti, quem paullo ante indicavi, ſed huc referendum diſtuli: qui exſtat Muſa I. cap. 195. Σφρηγῖδα δ' ἕκαστος ἔχει, καὶ ΣΚΗΠΤΡΟΝ ΧΕΙΡΟΠΟΙΗΤΟΝ· ἐν ἑκάστῳ δὲ σκήπτρῳ ἔπεστι πεποιημένον ἢ μῆλον, ἢ ῥόδον, ἢ κρίνον, ἢ αἰετὸς, ἢ ἄλλό τι· ἄνευ γὰρ ἐπισήμου οὔ σφι νόμος ἐστὶ ἔχειν σκῆπτρον. *Anulum ſignatorium ſinguli geſtant, & BACVLVM MANV ELABORATVM, cui ineſt ſcalptum aut malum, aut roſa, aut lilium, aut aquila, aut quid aliud; nam ſine peculiari cujuſque inſigni non eis licet geſtare SCEPTRVM.* Hoc more utebantur viri nobiles Aſſyrii, Armenii, Babylonii, de quibus ibi Herodotus loquitur. Magis haec eadem Judae ex jure ethnarchiae conveniebant.

AD GEN. XXXVIII. 26.

Attamen ultra non cognovit eam] Hoc in Hieron. quaeſt. Hebr. pag. 540. & Auguſt. Locut. 135. ita ex Itala refertur: *Et non appoſuit amplius ſcire eam*. *Scire* de carnali congreſſu haud credo apud Latinos reperias: cui locutioni tamen Italae antiquitas auctoritatem conciliat. In LXX, unde Italica fluxit, γνῶναι eſt. In Hebr. דעתה *dabthah*, *ſcire eam* ſcribitur.

AD GEN. XXXVIII. 29.

Quare diviſa eſt propter te maceria? & ob hanc cauſam vocavit nomen ejus Phares] Hebraicum פרץ *Pharets* proprie *rupturam* notat, quomodo Aquila & Symmachus tranſtulerunt. At eodem redit Seniorum interpretatio Φραγμὸς: quae vox in Itala apud Hieron. quaeſt. Hebr. redditur *Maceria*, at ab eodem in epiſt. ad Eph. itemq. apud Ambroſ. in Luc. col. 132. redditur (3) *Sepis*, quorum utrumque tum *rupturam* tum etiam *diviſionem* unius ab altero deſignat. Ac *diviſionis* quidem vox ſe magis Aquilae & Symmacho probaverat, teſte Hieronymo in Quaeſt. Hebr. *Pro Maceria*, inquit, *Diviſionem Aquila & Symmachus tranſtulerunt: quod Hebraice dicitur* פרץ. *Ab eo igitur quod diviſerit membranulam ſecundinarum, diviſionis nomen accepit*. Vide Montfauconii Hexapla.

Nolo diſſimulare, illud *Quare diviſa eſt propter te maceria?* hoc valere: Quare ſecundinas, quae inſtar parietis intergerivi te a fratre, qui prodierat prior, ſecernebant, *perrupiſti?* Quare avertendo fratrem, qui jam praeverterat, litem de primogenitis infers in domum patris?

(3) Rectum nominis hujus duplex in lexicis agnoſcitur, ſive *Saepes*, ſive per ſyncopen *Saeps*. At auctoritas Italae apud Hieronymum & Ambroſium etiam τὸ *Saepi* agnoſcere cogit primo caſu.

AD GENESIS CAP. XXXIX.

AD VER. 1.

Igitur Joſeph ductus eſt in Aegyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis] Pro *Ductus eſt*, in Hebraeo ſignificantius legitur הורד *hurad*, i. e. *deſcendere adactus eſt*. Quam proprietatem LXX fideliter ſervarunt: Ἰωσὴφ δὲ κατήχθη εἰς Αἴγυπτον· καὶ ἐκτήσατο αὐτὸν Πετεφρὴς ὁ εὐνοῦχος Φαραώ. Nec minus Itala Graecam tranſlationem κατὰ πόδα expreſſit his verbis apud Auguſt. quaeſt. 130. in Gen. *Joſeph autem DEPOSITVS eſt in Aegyptum, & poſſedit eum Petephres ſpado Pharaonis*. Interpretum horum diligentia in eo ſe prodit, quod de vi *Hebraici* הורד (*hurad* i. e. *deſcendere coactus eſt*) nihil deperire voluerunt, ut qui morem Scripturarum probe noſſent, ut in exponendis itineribus, *Aſcendendi* aut *Deſcendendi* peculiaria verba, prout locorum poſitus modo ſcandere, modo deorſum progredi jubeat, accurate uſurparent. Sic idem Abram Gen. XII. 10. *Deſcendit in Aegyptum*: at mox XIII. 1. *Aſcendit Abram de Aegypto*. Nam inferior Aegyptus multo eſt humilior Chananitide. In eâdem vero terra Chanaan, ituri Jeroſolyma, *Aſcendere Jeroſolymam* dicebantur, quia haec urbs montanis inſidebat: at hinc Caeſaream maritimam petituri, ſe *deſcendere* profitebantur. Haec quidem in medio poſita quivis videt. At quod hoc loco eamdem proprietatem tum LXX tum Itala vetus religioſe ſervarint, fore ſuſpicor, qui diſſentiant: quos dedocere cogor, non hîc quidem (ne grammaticum palam profitear) verum in ora (1) paginae.

AD GEN. XXXIX. 7.

Injecit domina ſua oculos ſuos in Joſeph, & ait: Dormi mecum] Confer Homeri (Il. Z. 160. & ſeq.) narrationem de Bellorophonte: quam (cum in oculos omnium Poëtam legentium incurrat) neceſſe eſt jam ante a plurimis fuiſſe notatam, quaſi ex hac Joſephi hiſtoria, mutatis tantum nominibus, delibatam. Tamen ſumma hîc narrationis Homericae capita adſcribam. Ergo Bellerophontem ab hera ſua Proeti uxore (cujus is concubitum reſpuerat) apud Proetum oblati

(1) Ab Itala incipio: in qua *Depoſitus* haud dubie tantumdem quod *Juſſus deſcendere*; ſic enim aevo meliore loquebantur. Itaque paſſim in Pandectis *Deponere aedificium*, *parietem*, eſt demittere ac deprimere, ut & *Deponere arboris ramos* ac plura ſimilia. Apud Ambroſ. lib. de Myſter. Elias dicitur *Ignem de caelo deponere*, h. e. facere ut deſcendat. Idem in de Jejun. num. 3. *Jejunus* (Elias) *pluvias ore depoſuit*. Ibid. num. 23. *Cibus* (inſidioſe appoſitus aves) *volantes deponit ad mortem*. In quibus *Depono*, eſt *Demitto*, & Deſcendere facio. Alia praeterea ex Ambroſio talia loca collegi ad Kal. marmor. pag. 808. col. 1.

Deduco eâdem vi pollet, uti cum magi veneficiis dicebantur *caelo deducere Lunam*. *Naves deducere* erat ex arido in mare deorſum ducere: cujus contrarium *Navem ſubducere* h. e. ſurſum ducere dicebatur. Itaque quamvis Hieronymum ſciam non iis legibus ſeſe alligaſſe, uti verba ſingula anxius expenderet; tamen fieri potuiſſe puto, ut is quidem ſuopte ductu de Joſepho ſcripſerit, *Deductus in Aegyptum*, h. e. ad deſcendendum coactus: at poſtea ſciolos deſcriptores detraxiſſe praepoſitionem, ne videretur Joſeph cum honorifico comitatu in Aegyptum *Deductus*.

Jam de Italae proprietate vidimus. At hanc Italica noſtra didicit a Senioribus, in quibus κατήχθη legitur: quod eâdem vi pollet ac Latinum *Depono*, & Hebr. הורד *hurad*, h. e. *ad deſcendendum adigere*. Itaque nupero Italae reſtitutori doctiſſimo non aſſentior, qui iſtud κατήχθη exponi ad verbum debere *Devectus eſt*, putat. Imo ex omnibus τοῦ Κατάγω ſignificatibus primus atque praecipuus eſt *Deorſum ago*, *deſcendere facio*. Vide auctorum loca in H. Steph. Aut igitur verte cum Itala *Depoſitus eſt*, aut *deſcendere adactus eſt*.

Digitized by Google

oblati ſibi ſtupri accuſatum, aerumnae plurimae ſunt conſecutae. Verum has poſtea, alternante fortuna, proſperae mireque ſecundae res exceperunt. Nam ſicuti Joſepho rex Pharao infra cap. XLI. 40. ſecundas poſt ſe partes in regno detulit; ſic Bellerophonti rex Lyciae (ibidem ver. 192.)

. . . δίδυ δ' ὅγε θυγατέρα ἥν,
Δῶκε δέ οἱ τιμῆς βασιληΐδος ἥμισυ πάσης.
Olli conjugio natam ſociavit, & omnis
Dimidium adjecit ſuper haec regalis honoris.

AD GENESIS CAP. XL.
AD VERS. 1.

Accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Aegypti & piſtor, domino ſuo] Horum prior *pincerna* redditur: at alter Hebr. אפה *opheh* i. e. *coquus* appellatur. Cur ergo Hieronymus hunc alterum *Piſtorem* eſt interpretatus? Ea, mihi crede, de cauſa quia cum antiquis temporibus panificium cum coquina confunderetur, & ad unum utriuſque rei cura pertineret; idcirco liberum putavit hunc unum ſive *piſtorem* ſive *coquum* vocare. Sed tamen maluit dixiſſe *Piſtorem* (& quidem praeeuntibus LXX, a quibus ἀρχισιτοποιός h. e. *princeps piſtorum* nuncupatur) quia quae infra ver. 16. 17. in hujus inſomnio narrantur, ea omnia ſunt piſtoriae artis peculiaria; & tamen, ibi quoque is in Hebraeo *princeps Ophim* (h. e. *coquorum*, ſi vim vocis attendas) vocatur. At re vera, ut innuebam, antiquiſſimis temporibus unus idemque tam panificium quam cibariam coquinam univerſam curabat, iſque unus אפה *opheh* i. e. *coquus*, Graecis vero μάγειρος dicebatur. Verum de his plura vide infra ad ver. 16. 17.

Pincerna regis Aegypti & piſtor] De *piſtore* jam dixi. At pincerna a LXX vocatur ἀρχιοινοχόος, hoc eſt *Princeps pincernarum*; quia re vera ver. 9. ita vocatur, ſicuti alter ver. 16. *Princeps coquorum*, & ver. 2. uterque *Princeps* cognominatur. At non indigna ſcitu eſt pincernae nomenclatio, prout exſtat in Italica verſione quae eſt apud Hieron. in quaeſt. Hebr. his verbis: *Poſt verba haec* (h. e. *His geſtis*, uti reddit Vulgata) *peccavit princeps vinariorum regis Aegypti*. De notione verbi *Vinarius* (1) conſule Cyrilli Gloſſas. Hic idem ver. 9. *Praepoſitus vini* pro *Princeps pincernarum* dicitur: quae auctoris Italae verſionis diligens cautio in vitanda novitate vocabuli, eum probat ſaeculo meliore vixiſſe, ante infuſam ſcil. Latio linguae peregrinitatem, qua paullatim infuſcata poſtea Latinitas fuit. Certe enim vox *Pincerna* non eſt melioris aevi, cujus exempla non anteriora ſaeculo Conſtantiniano ſunt, ut accurate (2) inferne demonſtratum imus,

R 2 idque

(1) In Cyrilli Gloſſis Οἰνοπότης exponitur *Vinarius*: item Οἰνοπώλης *Vinarius* redditur: nec aliam Graecam vocem cum Latina *Vinarius* permutat. At quod *Vinarius* etiam οἰνοχόον, ſive *pocillatorem* notet, hoc ex Itala verſione unice diſcimus.

(2) *In PINCERNAE vocabuli putativam* γνησιότητα (ſinceritatem) *inquiritur*.

Budaeum omnium primum in hanc dictionem controverſiam ſtatus moviſſe reperio: cujus in V. de Aſſe haec verba ſunt: *PINCERNA non auſim affirmare probum eſſe vocabulum, etiamſi Aſconius in Praetura urb. (66) uſus eſt, ſi vera ſunt eo in loco exemplaria*. Voſſius in Etym. de hac voce ita ſcripſit: *Neglexit hanc vocem in Theſ. ſuo Rob. Stephanus, credo quia Budaeo ſuſpecta eſt* (verum in nuperam ejus Theſauri edit. Baſileenſem illatus *Pincerna* fuit, adjecta tamen critica Budaei notâ). *Sed non eſt* (pergit

Digitized by Google

idque capitis hujus gratia, quo eam vocem quinquies in Vulgata Hieronymus uſurpavit, etſi ipſe de γνησιότητι vocis non optime ſentiens. Re enim vera ſaeculi ſui auribus forſitan hoc dandum putavit.

AD GEN. XL. 5.

Videruntque ambo ſomnium] Latinis ſomnia dicebantur aliter *Viſa* & *Viſus*; eaque credebantur a diis oblata. Hinc toties in lapidibus ex VISO aliquid facere legimus, h. e. ab aliquo numine monitos. Eadem Graecis ὁράσεις & ὁράματα dicebantur. Livius XXI. 22. *Fama eſt, in quiete VISVM ab eo juvenem divina*

git Voſſius) *quod de Latinitate ejus ambigamus, ſi eâ uſus Aſconius* (h.e. *SI VERA*, quae Budaei verba ſunt, ſive ſi a fartura immunia *ſunt eo in loco* (Pediani) *exemplaria*). Nam ea exemplaria jam ante Budaeum male audire coeperant, quae olim pluribus locis a barbaris ſciolis infarta fuiſſe conquerebatur Hadrianus Card. lib. de modis Latine loquendi apud Fabricium in Bibl. Lat. in Aſconio, ubi illum *multa fluere ac ſcatere barbarie*, Hadrianus ait, non quidem Pediani culpa, ſed inſulſi alicujus grammatici, qui dum eum auditoribus explicaret, corruperit. Et quidem Aſconiana, quae nunc circumferuntur, fuiſſe multimodis contaminata, hic ipſe locus, de quo quaerimus, elata voce clamat. Dixerat Tullius, *Poſcunt majoribus poculis*. Ad haec Pedianus, ſive potius ridiculus magiſtellus, poſt neſcio quam inauditam adnotationem de eo quod *Poſco pen. productâ*, ex qua fiat τὸ *poſcunt*, ſit idem, quod *ſaepe potant*: poſt haec inquam inaudita myſteria, ſubjicit: *Majoribus autem poculis poſcunt A PINCERNA, ID EST PETVNT, ut ſubaudiatur BIBERE.* Ac plura ſunt paſſim in Aſconio talia inepta: ut ſolidam fuiſſe ſuperiorem Hadriani de Pediano, qui nunc eſt, cenſuram fateri neceſſe ſit.

Ergo Pedianum ea parte qua *Pincernam* uſurpat, re vera corruptum, non tantum ſuſpicor, ſed prope certum habeo: neque id tantum quod a Pediano ad Lampridium (qui primus in Alex. Severo cap. 41. *Pincernam* uſurpavit) h. e. per tria ſaecula nemo eâ dictione uſus, verum etiam pluribus aliis de cauſis. 1. Ac primum cum in Cyrilli & Philoxeni quantivis pretii Gloſſis vocabula ſint Latina plurima, quorum uſus ignorabatur (etſi quotidie nunc horum, nunc illorum uſus ſive in ſaxis, ſive in Mss. & editis deprehenditur) tamen *Pincerna* a Gloſſis illis abeſt: haud dubie quod ea vox non dum erat civitate donata. 2. Abeſt eadem a litteratis lapidibus adhuc erutis, quod quidem ſciatur. 3. Quibus locis in Vulgata vox *Pincerna* legitur, eorum locorum aut Itala verſio periit, aut ſicubi exſtat, ibi non *Pincerna* ſed vel *Princeps vinariorum* (ſicuti hîc) legitur, vel *Praepoſitus vini*, ſicut infra ver. 9.

4. At enim dixeris, iſtud *Pincerna* ſaltem Hieronymi ſeſe auctoritate tueri, ut qui hoc vocabulum novies in Vulgatam hodiernam intulerit, & vero quinquies in hoc ipſum caput: atqui Hieronymum haudquaquam ſpernendum auctorem Latinitatis eſſe omnes uno ore fatentur. Hic reſpondere poſſim, ad aliquam dictionem civitate donandam non ſatis eſſe uſum ſcriptorum, quos conſtans fama ſit eleganter ſcripſiſſe, verum eorum quos conſtet ſaeculo ſive aureo, ſive argenteo, (uti in his loquuntur) ſua ſcripta elucubraſſe: Hieronymo autem non culturam ingeniumque defuiſſe, ſed ſaeculi barbariem fraudi fuiſſe, quominus in aſſerenda Latinitate, tam magni viri auctoritate frangamur. Verum hac reſponſione omiſſa, ajo ne Hieronymo quidem *Pincernae* nomen fuiſſe probatum, ſed potius *more vulgi* eo abuſum, h. e. habitum ab eo quaſi plebejum atque vulgare. Sic enim in Quaeſt. ad Gen. ad hunc ipſum locum ſcripſit: *Vbi nos poſuimus* (ex Itala ſcil. quam in his Quaeſtionibus ubique ſequitur) *PRINCIPEM VINARIORVM . . . quem nos poſſumus MORE VVLGI vocare PINCERNAM*. Sicuti re vera ipſe in ſua Verſione Vulgata *Pincernam* poſuit. Vides hanc vocem viri ſummi, tametſi eâ abuſi, judicio damnatam.

Antequam finio, addendum eſt, veros *Pincernae* natales non in Latio, ſed in Graecia requirendos. Itaque in Graeco-Latinis Cyrilli Gloſſis exſtat Πιγκέρνης. *Pocillator*. In aevi medii Graecia vocis hujus non modicus uſus fuit, atque exinde in Latium vox manavit. Videtur initio formata a πίνειν & κιρνᾶν (a *potu miſcendo*) ac poſtea I medium in E tranſiviſſe, ac pro Πιγκίρνης dictum fuiſſe Πιγκέρνης. Vna fuit ex aulae CPolitanae dignitatibus. Atque olim in cenſu Graecorum vocabulorum fuiſſe, proxime allatus Cyrilli Gloſſographi locus videtur arguere: ſed abeſt tamen ab H. Stephani Theſauro.

na ſpecie. Tacitus Ann. II. 14. *Nox eadem laetam Germanico quietem tulit, VIDITQVE ſe operatum & ſanguine ſacro reſperſa praetexta* &c. Hoc ipſum *Videre ſomnium* uſurpavit Lactantius Mort. perſec. cap. 30. *Quibus tamen dicit, vidiſſe ſomnium, quod filio ſuo narrare vellet*.

AD GEN. XL. 9. 10.

Ver. 9. *Videbam coram me vitem*, Ver. 10. *in qua erant tres propagines, creſcere paullatim in gemmas, & poſt flores uvas matureſcere*] In Hebraeo, in LXX, & in Italica verſione ſententia eadem, ſed paullo alio verborum circuitu. Ergo Hebraea ita ſonant: *In ſomnio meo, & ecce vitis in conſpectu meo*: Ver. 10. *& in vite tres rami, & ipſa tamquam germinans: aſcendit flos ejus: coquere fecerunt* (h. e. ad maturitatem perduxerunt) *botri ejus uvas*. LXX in hunc modum: Ἐν τῷ ὕπνῳ μου ἦν ἄμπελος ἐναντίον μου. Ver. 10. Ἐν δὲ τῇ ἀμπέλῳ τρεῖς πυθμένες, καὶ αὐτὴ θάλλουσα ἀνενηνοχυῖα βλαστούς· πέπειροι οἱ βότρυες σταφυλῆς. Haec totidem verbis ita redduntur: *In ſomnio meo erat vitis coram me*: Ver. 10. *In vite vero tres* [3] *radices & ipſa* (vitis) *floreſcens, proferens germina: maturi botryones uvae*. Prodeat ad ultimum Itala verſio, prout ab Ambroſio lib. de Joſ. profertur: elegans quidem, ſed paullulum a Syntaxi ſeniorum recedens: Ver. 9. *Et narravit praepoſitus vini ſomnium ſuum. Erat vitis in conſpectu meo*: Ver. 10. *in vite autem tres radices, & ipſa flores ferens, germinavit maturos botryones uvarum*. At in aliis Ambroſii MSS. (apud Sabbaterium in notis ad Italam) recto caſu, ut in LXX, *maturi botryones*. Prior tamen Ambroſiana conſtructio textui LXXvirali Complutenſi adhaeret, in quo caſu quarto eſt πεπείρους βότρυας, certe proniore ſtructurae ordine. Superiores variantias commatis hujus momenti gravioris putavi, quam ut recte & ordine facerem, ſi omitterem.

AD GEN. XL. 11.

Tuli ergo uvas, & expreſſi in calicem (Pharaonis) *quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni*] Si quidem hoc ſomnium res illas ipſas, quae a vigilante pocillatore ex officio factitabantur, objiciebat; dicendum erit, aut vinum conditivum tunc temporis nondum fuiſſe repertum, ac proinde ſuccum temere expreſſum hauriri conſueviſſe: aut ſi jam vini in annum condendi reperta ratio fuerit, adhuc tamen ſuperfuiſſe morem bibendi muſti ad delicias. De his agetur peculiari Diſſertatione *De* ἀοινίᾳ *Patriarchali, vinique rudimentis*: quam quia informem adhuc cerno, nec brevem futuram (uti ſe dant initia) ſuſpicor, ea de cauſa non ſpondeo daturum. Quae ſi dabitur; in fine Diſſertationum procedet ultima, maxime cum ad plura Geneſeos loca illuſtranda pertineat.

AD GEN. XL. 12. 13.

Ver. 12. *Tres propagines, tres adhuc dies ſunt*: Ver. 13. *poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui, & reſtituet te in gradum priſtinum: dabiſque ei calicem juxta officium tuum, ſicut ante facere conſueveras*] Pro *Tres propagines*, in Hebr. eſt *tres* (שריגים) *ſarigim*: quam vocem alii *propagines*, alii *ſurculos* ſive *palmites* vertunt.

AD

(3) Pro *Radices* in LXX eſt πυθμένες h.e. *fundi*: quae vox apud Graecos plantarum radicibus tribuitur a Dioſcoride, Theophraſto, Ariſtotele. Verum apud Latinos cum non invenerim *Fundum* de planta uſurpatum, malui cum Itala *Radices* vertere.

Digitized by Google

AD GEN. XL. 14. 15.

Memento mei . . . Quia furtim ſublatus ſum de terra Hebraeorum , & hic innocens , in lacum miſſus ſum] Poſt *Innocens* leviter eſt interpungendum , uti feci , quia voci *Innocens* in Hebraeo reſpondet inciſum iſtud , *Et etiam hic non feci quidquam , cur* &c. Sed ſingula inſpiciamus .

Quia furtim ſublatus ſum] Cum Hebraeo congruit , itemque cum LXX , apud quos legitur , ὅτι κλοπῇ ἐκλάπην : quod pulchre vetus Itala (apud Ambroſ. lib. de Joſeph) ita expreſſit , *Quia furto involatus ſum de terra Hebraeorum*. *Involare* pro furari veteres dixiſſe (& quidem etiam active , ita ut ex eo paſſivum hujus loci fiat) exemplis abunde (4) oſtenditur .

Quia furtim ſublatus ſum de terra Hebraeorum] Iſtud *De terra Hebraeorum* videbatur ſane poſt Moſis aetatem textui aſſutum , quo tempore Chanaanitis regio vocari *Terra Hebraeorum* coepit . Nec enim raro accidit , gloſſas & interpretamenta talia e margine in textum irrepere . Verum ad hoc commune confugium earum rerum quarum aſſignari ratio nequeat , recurrere non niſi in locis deploratis ſoleo . Atqui & illud ineptiſſimum reor propheticum ſpiritum in ea appellatione ab Joſepho ante tempus uſurpata comminiſci ; quaſi qui , quia regionem illam Hebraeis divinitus deſtinatam noſſet , *terram Hebraeorum* prophetice appellarit . His ergo omiſſis, ſuccurrit non ſpernenda notio appellationis hujus *Hebraeus*, quae Hebraice *transfluvialem* deſignat . Sicut ergo Abrahamidae ratione Euphratis a ſe (in Abrahae lumbis ſcil.) antiquitus tranſmiſſi vocabantur Hebraei h. e. tranſamnici ; ſic quia Chanaanis regio tranſamnica relate ad Aegyptum erat (certe quia Chanaanitis in Pharaonis regiam perventuris duo Nili canales tranſfundi erant , Peluſiacus prius , deinde & Taniticus) hinc Terra Chanaan *Terra Hebraeorum* i. e. Tranſamnicorum reſpectu Tancos nuncupata fuit ; aut vero quaſi dixeris *terram Transnilanorum* . Vide haec latius diducta ad finem Diſſertationis ejus , quam de eadem hac appellatione ſcripſimus ad Gen. XLIII. 32. ubi & loci paralleli afferuntur: quae Diſſertatio ordine, ut puto, ſeptima prodibit ad Geneſeos finem.

AD GEN. XL. 16. 17.

Ver. 16. *Videns piſtorum magiſter quod prudenter ſomnium diſſolviſſet* , ait : *Et ego vidi ſomnium , quod tria caniſtra farinae haberem ſuper caput meum*: ver. 17. *Et in uno caniſtro , quod erat excelſius , portare me omnes cibos , qui fiunt arte piſtoria*] Apud Homerum, ac vetuſtiſſimum quemq. panes caniſtris deferebantur. Od.I.147.

Σῖτον δὲ δμῶες παρενήνεον ἐν κανέοισι .
At famulae cumulant cerealia dona caniſtris .

Od. Γ. Ἑτέρη δ' ἔχεν οὐλὰς Ἐν κανέῳ .
Atque molas infert alia illinc ſedula ciſtis .

Od. P. Ἄρτον τ' οὖλον ἑλὼν περικαλλέος ἐκ κανέοιο.
Dona laboratae Cereris de vimine prendens .

Athenaeus lib. I. de priſcis temporibus : παρετίθεντο δέ οἱ μὲν ἄρτοι σὺν τοῖς κανοῖς

(4) Plinius IX. 59. *Singulos* (anthias , piſces captu difficiles) *involat verius , quam capit* . Quo diſcrimine in capiendo celeritatem notat . Paſſivum fecit Calliſtratus l. *expugnatur* D. de incen. ruin. & naufrag. *Anchorae involantur de mari* . In Gloſſis G. L. Κλέπτης . *Fur , Involator* . Et Gloſſae Lat. Gr. *Involat* . Κλέπτει . Haud aegre crediderim hoc de hominum furto conſueviſſe uſurpari , quo modo hic Itala adhibuit . Medio aevo frequens idem verbum fuit : unde hodieque Italis *Involare* idem quod *Rubare* .

νοῖς. Virgilius l. 1. Aen. *Cereremque caniſtris Expediunt*. Donatus: *Mos enim fertur apud veteres fuiſſe, ut panis non argenteis vaſculis inferretur, ſed caniſtris, hoc eſt ſpecubus factis ex vimine*.

Verum qui hîc *Piſtor* dicitur, is in Hebr. ſemper & conſtantiſſime eſt אפה *opheh* i. e. *coquus*: in LXX vero σιτοποιὸς, quod modo *Piſtorem*, modo *Coquum* deſignat. At Vulgata *Piſtorem* ubiq. reddit. Vtra lectio verior? Vtraque vera eſt. Nam ſive *Piſtorem* dixeris; ejus nominis ambitu non modo panificium, ſed univerſum coquinae miniſterium continebatur: ſin *Coquum* vocare malis; ejus cura in panificio aetatis illius nihilo ſegnius, quam in coquina adminiſtranda verſabatur. Etenim quidquid antiquiſſimis temporibus in menſam inferebatur, id fere totum partim panificii partim coquinae arte parabatur. Ex Levitici aliorumque Bibliorum libris, itemque ex Catonis, Athenaei, Apicii, aliorumque antiquorum ſcriptis hoc idem liquido patet. Vel placenta antiquorum argumento ſit: in qua una perficienda aeque piſtoris ac coqui, ſed & aliorum artificum induſtria deſudabat. Mitto etiam genera innumerabilia panum, apud Hebraeos, apud Graecos, Latinoſque. Atque hoc, quo de loquor inſtitutum, per quod ars piſtoria cum coquinaria conſerebatur, Etruſci ubi ex Oriente imbibiſſent, poſtea in Latium intulerunt: id quod equidem aliquando in Tabulis Iguinis haud obſcure odorabar: quibus ineſt prae ceteris longiſſima placentae compoſitio, cujus & explanationem olim audacter tentavi, & ſatis probabilem deformavi. Ab Etruſcis autem totum hoc, de quo tamdiu loquor, tum rituale panificium, tum ſimul etiam ars tota condimentaria, non modo in Latium, ſed & in totam, quam ipſi pervaſere, Italiam manavit.

Ac de Latio ſimulque pleraque Italia ſatis eſſe poterat Feſti locus: *Coquum & Piſtorem apud antiquos eumdem fuiſſe accepimus. Naevius*: Coquus, *inquit*, edit Neptunum, Venerem, Cererem. *Significat per Cererem panem, per Neptunum piſces, per Venerem* (5) *olera*. Quod porro Feſtus aetati ſuae ſerviens dixit, olim Coquum & Piſtorem eumdem fuiſſe, id antiquiores ſic expreſſerant, ut (6) Piſtorem apud veteres fuiſſe negarent, ex quo ſequebatur, ut coquo piſtoris etiam munia tribuerent. Verum haec omnia eo dicta ſunto, ut appareat, non eſſe mirandum ſi quem hoc loco Moſes *Opheh* h. e. coquum dixit, eum interpretes alii piſtorem vocarint, maxime cum ſomnium in arte piſtoria verſaretur. Jam ad cetera hujus loci tranſeo.

Ver. 16. . . . *Et ego vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinae haberem ſuper caput meum*] Italicae verſionis hunc verſum affert Ambroſius lib. de Joſeph his verbis: *Et videbatur mihi tria caniſtra CHONDRITORVM portare in capite meo*. Vox *Chondritorum* ſumpta ex LXX eſt (qui hîc habent, τρία κανᾶ χονδριτῶν) eaque dictio non inuſitata Graecis, ac ne Latinis quidem fuit, ut infra oſtendam.

(5) Cur Naevius per *Venerem* olera deſignarit, Varro lib. I. R. R. rationem affert: *Adveneror Minervam & Venerem: quarum unius procuratio oliveti, alterius HORTORVM*. Idem in V. de L. L. *Ruſtica vinalia dicuntur . . . quod tum Veneri dedicata aedis & HORTI ejus tutelae aſſignantur, ac tum ſunt FERIATI OLITORES*. Feſtus in *Ruſtica vinalia* item ait: *Veneri templa ſunt conſecrata . . . quia in ipſius Deae tutela ſunt HORTI*.

(6) Varro *De vitu Pop. Rom.* ait: *Nec piſtoris nomen erat, niſi ejus qui far pinſebat*. Idem in περὶ Μειλισσῶν [illegible]. *Nec piſtorem ullum noſſent, niſi eum qui in piſtrino pinſeret farinam*. Plinius XVIII. 12. piſtorum initium accurate ſignavit: *Piſtores Romae non fuerunt ad Perſicum uſque bellum annis ab V. C. amplius DLXX*.

dam. Fit autem a Χόνδρος: quae vox, quatenus frugis genus eſt, *Zeam* δίκοκκον (quae in Italia *Spelta* vocatur) notat: at quatenus ſorbitionis eſt tritum nomen, id Latinis *Alica* vocatur, eſtque apud antiquos celebratiſſimum: de qua χόνδρυ & *Alicae* notione, ſicuti & de χονδρίτη vide in imo (7) paginae adnotata.

Ad Seniorum & Italae locum, qui ad manus eſt (nim. *Tria caniſtra Chondritorum*) num quid re ipſa τὸ *Chondritorum* cum *Chondro* ſive *Alica* commune habuerit, & quale id fuerit, ſcire ad loci hujus enarrationem intereſt. Et *Chondritorum* quidem nomen ſatis admonet, panes iſtos a χόνδρῳ ſive *Alica* nomen ob id conſecutos, quod nempe ii ſive toti ſive ex parte aliqua ex χόνδρῳ fierent. Atq. id quidem nobis eripi nequit; praeſertim cum *aliqui Codices Latini* (h. e. Italae veteris) haberent, teſte Auguſtino, *Tria caniſtra Alicae* h. e. *Chondri* ſeu *Chondritorum*. Ac de χόνδρῳ & *Alica*, & *chondritis* plura jam ſuperiore Adnot. dixi: Sed adhuc experiundum eſt ſi qua forte alia de *chondritis* iſtis proferre liceat. Ea vero qualiacumque erunt, ne lectorem morentur, in (8) imo ſeponimus.

Nam

(7) *De vocibus* Χόνδρος *&* *Alica*. *Ejus opificium*. Χονδρίτης *quid ſit*, *& cur a Chondro h. e. ab Alica nomen invenerit*.

Χόνδρος, Latine *Alica*, nomen eſt potionis (ſed aliquanto ſpiſſioris, ut *ſorbitio* potius dici queat) in remediis atque in deliciis habitae, quae ex zea fiebat, ſed zea δικόκκῳ, h. e. *duorum granorum*, quae in Italia *Spelta* dicitur. Ex quo factum, ut interdum tam χόνδρος quam Latinum *Alica* ſit frugis vocabulum, illius ſcil. ex qua ea ſorbitio conficitur, pluries autem ſorbitionem deſignet. De hujus opificio non parum operoſo legatur Plinius XVIII. 11. XXII. 21. Palladius in Junio tit. XII. Geoponicique ſcriptores: inter recentes vero Gorraeus apud H. Steph. in Χόνδρος, Foëſius in Oecon. Hippocr. aliique bene multi. A χόνδρος igitur fit χονδρίτης, vox inter panum genera ab Athenaeo relata, cujus locus Adn. ſeq. aſſeretur. Verum cum vox Χόνδρος plerumque ſorbitionem, de qua dixi, notet, alias vero etiam de fruge accipiatur (frugem enim uſitatius ζειὰν, *zeam*, ut διαστολῇ ſervirent, vocabant) cum Χόνδρος, inquam, duo ſignificet; utrum horum pani *chondrito*, cujus Itala meminit, nomen indidiſſe dicemus? Frugem ne zeae molitam, mox aquâ ſubactam, ut vulgo in panificio fit, an vero farinam triticeam alteriuſve frugis, non aqua ſed alicae potione coactam, & in panes redactam, fuiſſe χονδρίτην dicemus? Poſterius paullo ſingularius ac ſpecioſius eſt: nam ad prius quod attinet, in pane ex zeae farina facto non modo nihil eximii, ſed vereor ne deterrimus fuerit, quia zea ſicuti ad multa utilis, ſic numquam in panificio commendata legitur. Ergo χονδρῖται, quorum hîc LXX & Itala meminit, & quos Athenaeus memoraverat, videntur fuiſſe panes ex generis delecti farina ſimul cum *alica* (quatenus potionem notat) confecti.

Poſtremo quod in Italae fragmento, quod ex Ambroſio recitavimus, CHONDRITORVM legitur; id cum ſit a Graeco χονδρίτης, ſi ad leges Latinorum inclinetur, eſſe debuerat *chondritarum*, ſicuti a ποιητῶν fit *poëtarum*. Nunc vero iſtud *chondritorum* eſſet a recto *chondritus*. Fateor equidem non fuiſſe difficile, id nomen cum mutatione linguae ſimul declinationem commutaſſe. Niſi vero in librariis A in O verſi culpa reſidet.

(8) Χονδρίτης *panum genus apud Athenaeum*. *In Cyrilli Gloſſis redditur CINARIVS*, *pro quo ſcribendum eſſe CIBARIVS*, *oſtenditur*. *Quid proprie panis cibarius*. *Explanatur difficilis Auguſtini locus*.

Apud Athenaeum III. 26. Tryphon Alexandrinus haec panum enumerat genera, ζυμίτην, ἄζυμον, σεμιδαλίτην, ΧΟΝΔΡΙΤΗΝ, συγκομιστόν: fieri vero τὸν χονδρίτην ait ἐκ τῶν ζειῶν (ex zea) nam ἐκ τῆς κριθῆς χόνδρον μὴ γίνεσθαι, *ex hordeo alicam non fieri*.

In Cyrilli Gloſſis exſtat idem vocabulum, in cujus tamen explicatione graviter peccatum. Ita Gloſſographus: ΧΟΝΔΡΙΤΗΣ, CINARIVS. Sane cum *Cinarius* vox inaudita ſit; nihil propius fuit, quam ut *Cibarius* reſcribendum putarem, cujus mentio exſtat in Cic. Tuſc. V. 97. *Cui* (Ptolemaeo) *cum peragranti Aegyptum*, *comitibus non conſecutis*, *CIBARIVS in caſa panis datus eſſet*; *nihil viſum eſt illo pane jucundius*. Ex quo conjicitur inter communes atque vulgares fortaſſe panes fuiſſe *Cibarium* numeratum. Itaque in Gloſſis reſtitui poſſe ſuſpicabar, ΧΟΝΔΡΙΤΗΣ, CIBARIVS, ſupple *panis*: nam in talibus, attributum τὸ διοριστικὸν exprimitur, tacetur vero interim τὸ ὑποκείμενον, utpote notius.

Digitized by Google

Nam illud nunc magis penſi mei duco, ut antequam hinc diſcedo, tum Hebraicam veritatem, tum veterum interpretum translationes loci hujus producam in medium. In Hebraeo ita legitur: *Et ecce* (שלשה סלי חרי, *shelosha ſalle chori*) *tria caniſtra chori ſuper caput meum*. Quid ſit iſtud חרי *chori*, difficile ad expediendum video. Tamen veterum prius, tum recentium aliquot verſiones ejus vocabuli afferam, ſub haec & quid judicii mei ſit, exponam. Antiquorum interpretum poſt LXX (in quibus, ut vidimus, eſt τρία κανᾶ χονδριτῶν: quod in Itala redditur, *Tria caniſtra chondritorum*) Onkelos agmen agit. In eo legitur: *Tria caniſtra* (דחורו, *decheru*) *libertatis*. *Libertas* autem in Orientis linguis eadem quae *nobilitas*. Ea de cauſa in Polyglottis in Latino Onkeloſi poſuerunt, *Tria caniſtra plena pane libertatis*. In Paraphraſte vero altero Jonathane Vzielide redditur, *Tria caniſtra* (דפיתא נקיא, *dephitta nakja*) *tortarum puriſſimarum*. Syrus habet *tria caniſtra* (panum) *candidorum*: quia Hebraicum חרי *chori* inter cetera *candidum* vertitur. Vulgata cum Arabe & Samaritano, *Tria caniſtra farinae*. Nec Aquila ab eadem interpretatione alienus: niſi quod ſelectiſſimum farinae genus poſuit, vertens, τρεῖς κοφίνυς γύρεως, *Tres cophinos pollinis*. Poſtremo Symmachus, de continente non de contento ſollicitus, ita reddidit, τρία κανᾶ βαϊνά, *tria caniſtra palmea*, ſive ex termitibus palmarum contexta. Theodotionis nihil ſupereſt in hunc locum. Poſtremo ex Hebraiſtis nonnulli quia illud חרי *chori*, interpretantur *Album*, vertunt *Caniſtra alba*, quia facta ex viminibus delibratis: alii quia חרי *chori* Chaldaeis notare *Foramen* norunt, interpretantur *caniſtra foraminoſa*, utique propter interſtitia viminum. Vtrumque meo judicio frigidum; nec enim de capiente Moſi cura fuit, verum de eo quod iis caniſtris inerat.

Ex his tot interpretamentis ſane illud Vulgatae Hieronymianae videtur probabilius, quippe non tantum cum Aquila, cum Samaritano & Arabe conſentiens, ſed & cum ipſo Hebraico fonte: in quo illud חרי *chori* certum eſt, plerumque *Album* aut *Candorem* notare. Ergo *tria caniſtra alba* ſunt caniſtra plena pollinis candidi. Accedit liber *Nominum Hebraicorum* in Bibliis uſurpatorum, in quibus eſt: *Chorri*, *farina*. *Chorraeus*, *farinatus*. Rectiſſime ergo Hieronymus reddidit,

tius. Ita quidem conjicientem, Auguſtini locus mire confirmabat; qui de his ipſis, quae ad manus habeo, commentanti mihi ſeſe objecit. Is Quaeſt. 131. in Gen. de hoc Italae loco ita ſcriptum reliquit: *Quod aliqui codices Latini* (horum nomine *Italam verſionem*, quae tunc ſola ad manus erat, intellige) *habent TRIA CANISTRA ALICAE*, *cum Graeci habeant*, *PANES eſſe CIBARIOS*. Ergo ex opinione Graece ſcientium ejus temporis, *Chondriti* erant ex numero panum *cibariorum*. Atqui vox *cibarii panis* dupliciter accipi poterat. Uno modo, ut panis communis eſſet, nihilque regium contineret, per quod ſe Pharaoni probare poſſet. De altero intellectu paullo poſt dicam. At contra priorem hanc acceptionem ita Doctor Hipponenſis aſſurgit: *Sed illud movet, quomodo panem cibarium potuerit Pharao habere in eſcis. Dicit enim in ſuperiore caniſtro fuiſſe omnia, ex quibus edebat Pharao, opus piſtorum*. Cui difficultati ſtatim ita reſpondet. *Sed intelligendum eſt, etiam ipſum* (*ipſum* pro *idem*, puta *ſuperius*) *caniſtrum habuiſſe panes cibarios, quia dictum eſt, tria caniſtra* χονδριτῶν, *& deſuper fuiſſe illa ex omni genere operis piſtoris in eodem caniſtro ſuperiore*. Atque ex his quae hic objecit, ſimulque eisdem reſpondit Auguſtinus, ſatis arguitur, ab eo *panes cibarios* pro vulgarib. ac plebeiis acceptos. Verum id non neceſſe erat, quia cum χονδρίτης *panis cibarius* dicebatur, hoc additamentum non ad deprimendum eum panem valebat, ſed ut χονδρίτης iſte a potione χόνδρυ ſeu *alicae* diſtingueretur, atque omnes audito *panis cibarii* interpretamento, non guttur, quaſi merae alicae, ſed dentes quaſi pani, pararent; quia panis ad mandendum, non χόνδρος ad ſorbendum erat.

Digitized by Google

Tria caniſtra farinae , & quidem (utpote in uſum regis) non niſi ſelectae , puta *pollinis* (quod in Aquila legebatur) quo nihil candidius .

AD GEN. XL. 19.

Poſt quos (tres dies) *auferet Pharao caput tuum* , *ac ſuſpendet te in cruce*] Imitati ſunt hoc poenae genus Graeci Romanique , ut ubi reis praecidiſſent caput , mox corpus patibulo ſuffigerent . Polybius lib. VIII. in Achaei ſupplicio : ἔδοξε δ' οὖν πρῶτον μὲν ἀκρωτηριάσαι τὸν ταλαίπωρον· μετὰ δὲ ταῦτα τὴν κεφαλὴν ἀποτεμόντας αὐτοῦ , καὶ καταῤῥάψαντας εἰς ὄνειον ἀσκὸν , ἀνασταυρῶσαι τὸ σῶμα . *Placuit* (poſt varias de morte ſententias) *primum ut extremis membris miſer mutilaretur* : *deinde ut poſt amputatum caput & in utrem aſininum inſutum* , *truncus tolleretur in crucem* . Julius Caeſar apud Suetonium cap. 74. *Piratas* , *a quibus captus eſt* . . . *jugulari prius juſſit*, *deinde ſuffigi*. Nec credo alia exempla talia defutura.

AD GEN. XL. 20.

Exinde dies tertius, *natalitius Pharaonis erat*] Dies ille non fuit inter natalitios tertius , ſed unus ille idemque dies fuit a ſomnio tertius , ac ſimul Pharaonis natalis ; ſicuti fons Hebraeus aperte demonſtrat . Proinde diſtinxi poſt τὸ *tertius*. Natalis autem regni fortaſſe fuit . Nam praeter natalem , quo quiſque in lucem prodiit , qui *Natalis genuinus* vocatur , erat & natalis *regni* , alteriuſve proſperi eventus , qui vertente anno celebrabatur . Nec quidquam refert quod Hebr. ſit הלדת *hulledeth*; nam & hoc & hinc derivata tam late patent , ut quaelibet alicujus facta aut dicta non raro ſignificent. Adde quod regni natalis multo celebrior genuino erat, ita ut non ſolum quot annis , ſed etiam quot menſibus alicubi celebraretur . Vide II. Mach. VI. 7. ad illud , *Ducebantur* . . . . (εἰς τὴν κατὰ μῆνα τοῦ βασιλέως γενέθλιον ἡμέραν ἐπὶ σπλαγχνισμόν) *in die natali Regis quot menſibus recurrente ad ſacrificium viſcerationis* . Ad quem locum , ſicuti & ad Eccleſiaſtae VII. 2. & ad Marci VI. 20. de *Natali* plura , uti ſpero , enotabimus .

AD GENESIS CAP. XLI.

AD VERS. 2.

De quo (fluvio) *aſcendebant ſeptem boves* . . . *& paſcebantur in locis paluſtribus*] Hoc ultimum in Hebr. eſt באחו *baachu* h. e. *in ulva* , ejuſque generis herbis quae in paluſtribus locis proveniunt . At LXX vocem hanc loco proprii nominis acceperunt , & quia *Jod* loco *Vau* in ſuo exemplari inveniſſe videntur , ea de cauſa ἐν τῷ Ἄχει (*In Achi*) tamquam ſi eſſet proprium loci nomen tranſtulerunt ; nec enim illud ἄχει ad Graecum ἄχος (*dolor* , *maeror*) retulerunt . Seniores ſecuta eſt verſio Itala his verbis apud Hieron. in quaeſt. Hebr. *Et paſcebantur in Achi* . At contra cum Hebr. conſentit Onkelos , ceteraeque verſiones Orientales , in quibus herbarum genus exprimitur .

AD GEN. XLI. 5.

Et vidit alterum ſomnium : *ſeptem ſpicae pullulabant in culmo uno plenae atque formoſae*] Genus hîc tritici deſignatur , culmo ramoſo praeditum , cujus veluti truncus culmis aliis pullulabat. Familiare genus iſtud videtur in Aegypto fuiſſe, eique fort. cauſae tribuenda mira olim illa Aegypti feracitas . Ac memini ante hos XL. amplius annos in agro Capuano tale quiddam frugis ſatum fuiſſe ad ſpecimen . Culmus major & prope arundineus erat , de quo in ſuprema parte per ambitum

Digitized by Google

ambitum ſpicae principis aliae prodibant ſpicae. Plantae ſtatura procerior, tritici grana haud paulo majora vulgaribus. Cur experimento primo facto, genus illud noſtrates non propagaverint, ignoro.

Quod in hoc ſomnio fuiſſe hujuſmodi Spicae *plenae* dicuntur, id memoriam mihi revocat ſpicarum mire turgentium, quas in nummis, gemmis, ſcalptiſque marmoribus veterum contemplari licet; cum contra, quae hodie proveniunt, cum veteribus comparatae, macilentiſſimae videantur inſtar ſeptem alterarum ſpicarum Pharaonis. Itaque eripi mihi non poteſt, quin apud antiquos fructuoſius aliud frumenti genus coleretur: quo nihil mirum ſi in tantum olim proceſſerit frumenti feracitas, ut non raro centuplum terra alicubi redderet. Dicam de hoc ad Evangelia ubi de frugum fructu centeſimo.

AD GEN. XLI. 6.

Aliae . . . ſpicae percuſſae uredine] Pro *uredine* in Hebr. eſt קדים *kadim*, h. e. *vento Orientali*. Apud nos hodieque eurus ſeu ſubſolanus verno tempore ſpicis tum primum erumpentibus eſt pernicioſiſſimus, eaſque adurit. Bene ac proprie vulgatus interpres *uredinis* vocem hic adhibuit.

AD GEN. XLI. 7.

Ver. 7. *Et vigilans Pharao poſt quietem* (ver. 8.) *Et facto mane pavore perterritus*] Fons Hebraeus ita refert: *Et expergefactus eſt Pharao* (והנה חלום *vehinne chalom*) *&* *ecce ſomnium*. Eadem verba in Onkelo, Syro, Samaritano. Non vidi, qui, quid in his lateat, evolverit. Moſes hoc ſibi vult, tanta inſomnii evidentia Pharaonem perculſum, ut quamdiu ſopore victus, viſorum veritatem, quaſi ſi vigil eſſet., certo praeſtaret. At poſteaquam evigilavit, ea prima occurrit animo cogitatio, id non niſi ſomnium fuiſſe: *Et ecce*, inquit, *ſomnium*. Etſi tamen tale id ſomnium fuiſſe conſtitit, ut prae mira evidentia aliquid mox eventurum portenderet. Hoc ergo, ut innuebam, ſibi Legiſlator vult, dum ſubjicit, *Et ecce ſomnium*. Significatur enim, Regem moleſtis inſomniis perturbatum, ubi evigilans ſe recepit, gaviſum quod merae ſomniorum praeſtigiae ſe fefelliſſent, at veri nihil: *Et ecce ſomnium*. Arabs paullo exſertior: *Deinde experrectus eſt Pharaon*, *&* *ecce ipſe ſomniaverat*, ſibi nim. gratulans quod non vera ſed ſpectra vidiſſet. LXX non minus diſerte vim hujus loci expreſſerunt: *Experrectus eſt autem Pharao* (καὶ ἦν ἐνύπνιον) *&* *erat ſomnium*. Quod Itala verſio apud Auguſtin. Locut. 148. ita interpretatur: *Surrexit autem Pharao*, *&* *erat ſomnium* h. e. ſenſit ſtatim ſibi vividas imagines illuſiſſe. Ad ultimum huic ſimillimus planeque gemellus eſt ille alter locus in III. Reg. III. 15. ubi ſic legitur: *Igitur evigilavit Salomon*, *&* *intellexit*, *quod eſſet ſomnium*. Ad quae in loco, ſi videbitur, adlinetur aliquid.

AD GEN. XLI. 8.

Et facto mane pavore perterritus, *miſit ad omnes conjectores Aegypti* *&c.*] Hoc divinationis genus ut antiquiſſimum, ſic nuſquam magis quam ubique per Orientem uſurpatum, quod ex Achmetis ὀνειροκριτικοῖς a Rigaltio editis (ſiqua modo iis habenda fides in rebus antiquis) perſpici poteſt: a quo cap. 2. Συρβαχὰμ ὁ ὀνειροκρίτης τοῦ τῶν Ινδῶν Βασιλέως, cap. 3. Βαρὰμ ὁ ὀνειροκρίτης Σαανισὰν Βασιλέως τῶν Περσῶν, cap. 4. ΤαρΦὰν ὁ ὀνειροκρίτης τοῦ Φαραὼ Βασιλέως τῶν Αιγυπτίων memoratur. Sub *Tarphane* iſto poſſet Joſeph latere, ſi Achmes teſtis fide dignus, ac niſi *Pharao* nomen commune regum illorum.

AD GEN. XLI. 12.

Erat ibi puer Hebraeus, ejuſdem ducis militum famulus] Illud *Puer* interpretatur Calmetus *un jeune Hebreu*, notatque in commentario tum annos XXX. natum Joſephum. Nimirum non animadvertit נער & Latinum *puer* hîc non referri ad aetatem Joſephi (nam 30. annos natus נער vix dici potuiſſet, multo minus *puer*) ſed ad conditionem. Servi in ſcripturis ſaepiſſime נערים *naarim*, in Vulgata *Pueri* appellantur. Haud abſimilis fuit hallucinatio Peregrinii noſtri in inſcriptione SECVNDI PVERI, cui tamen anni XXII. in marmore tribuuntur. Nihil autem refert, quod ſequatur ſtatim עבד i. e. *famulus*; nam explicandum erat, eccui ſerviret. Senſus eſt *ſervus Hebraeus, Putiphari ſerviens*.

AD GEN. XLI. 13.

Audivimus (ab Joſepho ſomniorum interprete) *quidquid poſtea rei probavit eventus*] Hebraea ſic αὐτολεξεὶ ſonant: *Et accidit: ſicut* (Joſeph) *interpretatus eſt nobis, ſic fuit*. Itala vetus apud Auguſtin. Locut. 151. *Factum eſt autem, ſicut comparavit nobis, ita & contigit*. Quid ſit illud *Comparavit nobis*, ex LXX (quorum ne ſyllabam quidem Italica verſio uſquam negligit) plane intelliges, ita ex Hebraeo interpretatis: ἐγενήθη δὲ, καθὼς συνέκρινεν ἡμῖν, οὕτω καὶ συνέβη. Nimirum, uti vides, LXX verbum συγκρίνω, de ſomniorum interpretatione ſatis (1) uſitatum, hîc uſurparunt. Cum autem huic verbo συγκρίνω recta regione apud Latinos reſpondeat *Comparo*; hinc Italae auctor *comparandi* verbo hîc uſus eſt. At quis unquam, inquis, Latinorum *Comparare ſomnia* dixit? Sane in tanto veterum librorum naufragio praeſtare quis poteſt, nulli idoneo auctori iſtud excidiſſe, maxime cum argenteo, uti loquuntur, ſaeculo, cum vix ullus eſſet, qui Graece neſciret, tot Graeciſmorum myriades in Latium inundarint? Sed age, nullus dum id uſurparit: at condonetur, cenſeo, Italicae verſionis auctori, (cui ſevera lex non latum digitum a LXX diſcedendi impoſita) iſtius inſolentis Graeciſmi novitas. Haec ad noſcendum Italae ingenium hîc maxime poſui.

AD GEN. XLI. 33. 34. 35.

Ver. 33. *Provideat rex virum ſapientem & induſtrium, & praeficiat eum terrae Aegypti*. Ver. 34. *Qui conſtituat praepoſitos per cunctas regiones*] Vnum ſapientem & induſtrium cum ſummo imperio univerſae Monarchiae praefici jubet: deinde provinciis ſingulis praefici alios juſſa unius illius rectoris univerſae rei exſecuturos. Hos LXX appoſite τοπάρχας vocant, Itala *Locorum principes* interpretatur apud Auguſtin. Locut. 155.

Ver. 34. *Et quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis* (Ver. 35.) . . . *congreget in horrea*] In Hebraeo וחמש *vechimmesh* h. e. *ET QVINTET terram Aegypti in ſeptem annis ſaturitatis*. Hebraeum *Quintandi* verbum tributi vim habere Calmeto viſum fuit, ſicuti & verbum *Decimare* ſic ſolemus accipere. Sed vereorne vir egregius fallatur; quia hujus quintae partis pretia ſoluta ab rege fuiſſe neceſſe

(1) Συγκρίνειν ἐνύπνια dativum poſt ſe perſonae (ſicuti hîc a LXX uſurpatur) tum maxime adſciſcit, quando pluribus inſomnia declarantur, maxime ſi id in contrarias partes fiat, ſicuti cum Joſephus hîc ſecum vinctis contrarias interpretationes dedit. Itaque hoc modo cum caſu tertio, quem dixi, reperitur Gen. XL. 22. XLI. 12. 13. Ceterum ſine caſu perſonae legitur tum Dan. V. 12. (ubi exſtat & σύγκρισις ἐνυπνίων) tum ſaepe hoc & ſuperiore capite. Sed & ſimplex κρίνω cum ἐνύπνια jungitur, nam κρίνασθαι ὀνείρους Homero eſt *conjicere ſomnia*, unde comp. ὀνειροκρίτης, quorum exſtat Achmetis liber.

neceſſe eſt. Alioqui ubi excandefactâ annonâ populi alimenta poſcerent, ecqua Joſephi juſtitia fuiſſet, ut ſive grandi pecunia ſive (loco pecuniae) jumentorum, imo & ſuimet corporibus traditis, tam caro divenderet populis, quae ab iis ipſis accepiſſet nullo pretio perſoluto? Ergo ne dubita, quin Joſeph quintarum pretia numeraverit: verum hoc diſpar, quod pro quibus Joſeph tradiderat minima pretia (propterea quod annona illo priore ſeptennio in dies eviluerat) pro illis ipſis tempore ingraveſcentis annonae ſummas ingentes acciperet. Ad hunc quoque locum idem Vir Cl. Artapani de Joſepho locum alioſum a vero interpretatur: de quo infra opportunius ad cap. XLVII. v. 23. 24.

Ver. 35. *Et omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur*] Frumentum illud quod ex quintis proventuum ſeptennalium fertilitatis redactum fuerat, totum id inquam, utpote Pharaonis pecunia comparatum, *ſub Pharaonis poteſtate*, qui ſoluto quamvis vili pretio ſibi priore ſeptennio quaeſierat, *condatur*.

Serveturque in urbibus] Non jubet frumenta in urbes metropoles convehi, ſed in eas ipſas urbes, ex quarum agris collecta fuerant. Sic & vecturae diſpendio parcitum, ac ſimul alimenta efflagitantium incommodo.

Verum illud eſt dictu difficilius, quo pacto poſſe in tot annos adſervari triticum ſperaſſent, cum in granariis hodie vix in annum aut ſummum duos experiamur ea citra noxam cuſtodiri. Sed multum intereſt inter veterum frumenta ac noſtra, deinde inter veterem atque hodiernam adſervandi rationem. Nam I. veterum frumenta ferre aetatem ex eo poterant, quia robuſtiora, ac longe duriore corio obducebantur, quam quibus nunc veſcimur. Scio hodie in agro Campano, praeter triticum delicatius illud, cui cutis ineſt tenerior, ſeri etiam alicubi aliud, quod *Turcicum* appellant (credo quod id genus ex Africa allatum) cui eſt corium craſſius. Nec dubium eſt vetera monumenta intuentibus veteris (2) tritici ſpicas fuiſſe ab hodiernis longe diverſas. Ea de cauſa vetera illa haud paulo durabiliora noſtris facile fuerint. II. Accedit & illud, quod infra ver. 47. jubentur ſegetes לקמצים *likmatſim* h. e. *in manipulos redactae* in horreis recondi. Atqui frumenta cum ſpicis condita diutiſſime perennare Plinius (cujus locum infra adſcribam) ex Varrone docuit. III. Poſtremo & illud maximi ad diuturnitatem momenti eſt, ſi frumenta in ſcrobibus aëri prorſus imperviis reponantur: quod quantum ad fruges in longum cuſtodiendas conferat, hodierno Apuliae, non aliter hodieque (vide infra Adnot. 5.) adſervantis, exemplo docemur: ut omittam quod in Herculanenſibus nuperis (3) effoſſionibus

(2) Spicae noſtrorum temporum cylindricae ſunt, parem in ſummo atque in imo diametrum habentes: at quas in nummis Romanis & quorumlibet populorum, itemque in gemmis, ſcalptiſque marmoribus contemplamur ſpicas, eae raro cylindri ἰσομετρίαν oſtendunt, ſed magnam partem conicae ſunt, in imo quam in ſummo craſſiores. Adhaec veterum ſpicarum ariſtae longe, quam nunc, horridiores, nec ſpicis propemodum parallelae, ſed quam maxime a παραλληλισμοῦ (ferme ut in hordeo intuemur) diſcedunt. Poſtremo quanto intervallo turgidiores veterum ſpicae ab hodiernis fuerint, eadem monumenta loquuntur. Quae omnia ſicuti maximum in ſtirpe tritici antiqui vigorem ſignificant, ita & longe majorem in ſingulis granis, & in coriis granorum παχύτητα.

(3) In Herculanenſibus effoſſionibus juſſu CAROLI (nuper utriuſque Siciliae, nunc Catholici Regis) peractis, inter ſingularia genus omne cimelia detecta, volupe fuit apparatum omnem domeſticum, imo & annonam in uſus quotidianos in domibus repoſitam contemplari. Itaque omnigenos terrae fructus, & legumina terraeque ſemina, & in his triticum in ollis

Digitized by Google

AD GEN. XLI. 40.

Vno tantum regni ſolio te praecedam] Bellerophontis apud Homerum (Il. Z.) fabulam ex hac Joſephi hiſtoria fuiſſe per omnia deformatam , jam ſupra ad Gen. XXXIX. 7. monuiſſe videor . Vltimum in ea fabella hoc fuit , quod rex Proetus Bellerophonti , tot calamitatibus injuſte ante diuque jactato , dimidium regiae ſuae poteſtatis tradidit . Sic enim Poëta ver. 193.

Δῶκε δέ οἱ τιμῆς βασιληΐδος ἥμισυ πάσης ,
Dimidium dedit ei ſuper haec regalis honoris .

Vide ſupra ad XXXIX. 7.

Vno tantum regni ſolio te praecedam] Praefectus praetorio ſub imperatoribus *ſecundus imperii* dicebatur a Macrino apud Lampridium in Diadumeno cap. ſeptimi initio . Eadem dignitas βασιλεία ἀπόρφυρος , *imperium ſine purpura* dicta Eunapio in Proaereſio . Eadem Zoſimo ἀρχὴ δευτέρα μετὰ τὰ σκῆπτρα . *Imperium poſt ſceptra ſecundum* vocatur .

AD GEN. XLI. 43.

Fecitque eum aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum] משנה *miſneh* hic poteſt ſignificare non aliam δευτέρωσιν , quam ſi intelligatur currus mutatorius aut ſuccedaneus , qui currum quo rex vehitur pone ſequitur in eum finem , ut ſi quid primo currui humanitus acciderit , poſſit rex in alterum deſilire .

Clamante praecone , ut omnes coram eo genu flecterent] Hebr. *Et clamaverunt coram eo Abrec* . Probo Vulgatae verſionis intelligentiam , ut *Abrec* ſit a ברך *barac* ; ex quo Heemantico praepoſite *Aleph* , fiet *Abrec* , hoc eſt *Genuflexio* . Hinc praecone acclamante τὸ *ABREC* , genua omnes flectebant .

Ergo Hieronymiana τοῦ *Abrec* interpretatio, ad *genuflexionem* hoc comma referens , haud dubie optima eſt . Tamen nihil vetat & alia duo huc interpretamenta

liae tribuit . *Supra terram* (ibidem ait) *granaria in agro quidam SVBLIMIA faciunt , ut in Hiſpania citeriore & in Apulia* . Quam pridem vero ſiros uſurparit Apulia , populares moneo inquirant . Hoc unum praeſtare auſim, ſiros Apulos non poſſe non antiquos eſſe , quippe quos conſtructos eſſe conſtet veterum praeceptis conformes . Nam I. hodiedum ita fiunt , nequâ prorſus ſpiritus permeare poſſit (uti Varro praecipit) ne gignatur curculio . II. Par ferme diuturnitas aſſervatarum frugum . Ad quinquageſimum annum in iis duraſſe , Varro (ſed non ex vero) affirmat . In Apulia ad quintum annum illaeſa frumenta hodie manent , diutius opinor manſura , ſi rationes herilis peculii frumenta ſine fructu tamdiu detineri paterentur . III. Quod Varro , Plinius , aliique monuerunt , antequam reponantur fruges , ſubſterni paleas oportere ; id hodieque ab omnibus in Apulia fit .

IV. Poſtremo veteres in ſiris conſtruendis eo videntur ſpectaſſe potiſſimum , uti frumenta hoſtium incurſibus ne paterent ; id quod ex Curtio VII. 4. didici . Ibi Alexander cum Caucaſo ſuperato Bactrianos peteret , toto illo plurium dierum itinere maxima frugum penuria laboravit , ita ut abſurdis neſcio quibus eſcis aleret copias . Tantae illius caritatis quas ibi Curtius rationes affert , eas ejuſdem hiſtorici verbis docendas arbitror , ut ſtudioſa ſimul ſirorum veterum obſcuritas intelligatur . Sic ergo ait : *Inopiâ frumenti prope ad famem ventum erat . . . . Tritici nihil aut admodum exiguum reperiebatur . SIROS vocabant barbari ; quos ita SOLERTER ABSCONDVNT , ut niſi QVI DEFODERVNT , INVENIRE NON POSSINT . In iis conditae fruges erant . In quarum penuria milites fluviatili piſce & herbis ſuſtinebantur* . Mitto cetera : ex quibus mecum ipſe non dubitavi , hanc fuiſſe ſatis probabilem cauſam ſirorum excogitati , ut fruges hoſti laterent . Vtut eſt , certe in Apulia cavernae illae triticeae detegi nullo artificio poſſunt , poſtquam ora foraminum , complanatâ humo imo & ſatâ ſuperne , prorſus omnium notitiam effugiunt , niſi ejus qui recondidit .

menta adjicere. Prius illud ſit quod vox *Abrech*, videtur ex duabus compoſita voculis h. e. *Ab-rach* h. e. *Pater delicatus*, aut *Pater delicatorum*. Nimirum apud Latinos antiquitus *Delicati* hodiernis pueris aulicis reſpondebant. *Delicatis* hiſce ſcatent Latina marmora. An mos hujuſmodi ab Oriente manarit, haud habeo dicere. Sed Occidente omiſſo, in principum Orientis palatiis neceſſe eſt, delicatis his, de quibus loquor, praefuiſſe praefectum aliquem, qui *Ab-rech*, ſive *Ab-racchim* h. e. *Pater* ſive *praeſes delicatorum* diceretur. Tale ne munus Joſepho datum? Tametſi huic dignitati alias plurimas adjunctas pro more aulae Aegyptiae, ſatis ex ſuperioribus cognitae adjunctas fuiſſe veri ſimile ſit.

Poſtremo prae omnibus illud arridet, τὸ *Ab-rech* videri non aliud ſonare, quam *Pater Regis*. Quin *Ab* ſit Hebraeis *Pater*, ne pueris quidem latet. At *Rech* eisdem Hebraeis olim *Regem* deſignaſſe, oſtenſum a me fuit in Comm. ad Tab. Heracl. pag. 41. & 550. col. 1. & 551. ubi vetuſtiſſimos duos Reginorum nummos ſcripturâ vetuſta inſcriptos in hunc modum : ONIϽAꟼ (*Recino*) explicavi. Atque hanc τῦ *Ab-rech* (ut ſit *Pater Regis*) notionem Judaei jam occupaverant tum in Targum Onkeloſi, tum etiam in Talmudicis, ceteriſque eorum Commentariis. Tamen quia Judaeorum auctoritas (etiam ubi vera promunt) levior apud pleroſque haberi ſolet, quam ut eorum ſcriptis ſecuri ubique fidamus; proderit & Tyrrhenos, origine Chananaeos (quod alibi millies oſtendi) Judaeis vero (praeter ſcriptores Canonicos) magno intervallo antiquiores, teſtes adducere: apud quos *Rec* tantumdem fuiſſe quod *Rex*, haud ſecus ac apud Hebraeos, oſtendi tum alibi, tum ad Tab. Heracl. pag. 41. & 550. & ſeq. Certe urbs *Regium* olim RECION vocabatur (ut ex duobus ſingularibus nummis ibi productis conſtat) ab eo ſic appellata, quod eſſet βασιλευομένη h. e. urbs regio dominatui obtemperans, cum contra ceterae circa urbes ἀριστοκρατικῶς aut δημαρχικῶς regerentur. Hinc Latini Tuſcos imitati, tantum C in G (quo Tuſci & Latium vetus carebat) mutantes, *Regis* vocabulum didicerunt. Quocirca ne dubita, quin τὸ *Ab-rech* hujus loci ſit *Regis pater*.

At, inquis, videtur hic titulus fuiſſe arrogantior, quam pro eo quod auctoritas regia pateretur. Atqui titulum a faſtu excuſat eximia illa *patriciatus* dignitas feris poſtea temporibus a Magno Conſtantino inſtituta, qua qui creabatur *patricius*, fiebat PRINCIPIS PATER; cujus dignitatis plenae ſunt veterum (8) chartae. Abſolvit etiam a faſtu Caſſiodorus, qui quaecunque hîc Joſepho vindicantur, eadem omnia Praefecto praetorio aſſignavit. Nam *Variarum* VI. 3. omnia eadem nomenclaturae ornamenta, quae olim Pharao huic Patriarchae tribuit, ipſe in praefecti praetorio formulam transfudit. Videſis Senatoris (9) locum.

AD

(8) Infra cap. XLV. 8. Joſeph ſuas omnes dignitates Deo acceptas referens, ait, *Qui fecit me quaſi patrem Pharaonis & dominum* &c. Ad hoc exemplum patriciatus dignitas a Conſtantino M. inſtituta, alio nomine βασιλειοπατορία, & Patricius βασιλέως πατὴρ ſeu βασιλειοπάτωρ dicebatur. Auctorum teſtimonia de hac appellatione prope ſunt innumera non ſolum apud Byzantinos Scriptores, ſed Latinos. Claudianus lib. 2. in Eutropium:

Non aliter poterat principis eſſe pater.

Et alibi . . . *Genitorque vocatur*
Principis, & famulum dignatur regia patrem.

Plura exempla qui velit, adeat Cangii Gloſſarium Latinum in *Pater imperatoris*, & Gloſſarium Graecum in Πατήρ. Itaque (ut initio dixi) ad Joſephi βασιλειοπατορίαν ſpectaſſe videntur Byzantini principes in hujus ἀξιώματος inſtitutione, atque appellatione.

(9) Caſſiod. Var. VI. 3. praefecturae hujus Originem ab Joſepho repetens, ait: *Tali auctore*

Digitized by Google

AD GEN. XLI. 45.

Vertitque nomen ejus , & vocavit eum lingua Aegyptiaca Salvatorem mundi : dedítque illi uxorem Aſeneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopolis] Hebraicus textus prout hodie concipitur, ſic verbis totidem Latine exprimitur : *Et vocavit Pharao nomen Joſephi* (צפנת פענח) *TSAPHNATH PAHANEACH* . Quod nomen Onkelos , & hunc ſecuti turmatim Judaei interpretantur *Abſconditorum revelator* . At vero in LXX iſtud Joſephi nomen paullo aliter ſcribitur , & quidem uno ductu , in hunc modum : Καὶ ἐκάλεσε Φαραὼ τὸ ὄνομα Ἰωσὴφ , ΨΟΝΘΟΜΦΑΝΗΧ. Id quod vetus Itala apud Auguſtinum Quaeſt. 135. & 136. in Gen. ita ex Graeco reddiderat : *Et impoſuit Pharao nomen Joſeph PSONTHOMPHANECH* . Ex his vides priorem ſaltem nominis compoſiti vocem (nam in poſteriore ע abſorbetur) non mediocriter in LXX diſcedere ab ea ſcriptura , quam & hodiernus textus Hebraicus cum Maſorethis exhibet , & Onkelos videtur ſecutus , quamque certe Syrus , & Samaritanus interpretes (fortaſſe & Symmachus , apud quem erat in Hexaplis Σααβφανὴ) & Judaei veteres litteris totidem expreſſerunt . Sed utra in priore nomine ſequenda ſcriptura ſit (LXXviralis ne , quae tempore non paullo antiquior , an Maſorethica hodierna , quae priore multo recentior) difficile dictu eſt . Haec de orthographiae incerto .

Jam quod ad interpretationem pertinet , audiendus eſt prae aliis Hieronymus , qui in Quaeſt. ita poſuit : *Et vocavit Pharao nomen Joſeph Saphanet Phanee . . . Licet Hebraice hoc nomen Abſconditorum* (10) *repertorem ſonet ; tamen quia ab Aegyptio ponitur , ipſius linguae debet habere rationem . Interpretatur ergo ſermone Aegyptio SAPHENETH PHANEE (ſive ut LXX transferre voluerunt , PSOMTHOM PHANEE) SALVATOR MVNDI , eo quod orbem terrae ab imminente famis excidio liberarit* . Haec prior nominis hujus expoſitio .

Ad alteram interpretationem quod attinet , qua *Tſaphnath paaneach* redditur *Abſconditorum interpres* (quam jure ac merito nemo non magni facit) ſcire intereſt , utra duarum iſtarum vocum τὰ κρυπτὰ , i. e. *abſcondita* , utra vero *interpretem* ſive *enuntiatorem* notet . Ac mihi videbatur ſicuti apud Hebraeos צפן *tſaphan* eſt *abſcondere* , ita & apud Aegyptios (quorum ſermonem Patriarcharum aetate ab Hebraeo non multum diſceſſiſſe , viri eruditi putant) ſic inquam apud Aegyptios *Tſaphnath* videbatur ſignare *abſcondita* potuiſſe , Vnde vox altera

ctore praefectura praetoriana gloriatur , qui & mundo prudentiſſimus , & Divinitati maxime probatur acceptus . . . Joſeph, vir beatus inventus eſt , qui & futura veraciter praediceret , & periclitanti populo prudentiſſime ſubveniret . Ipſe primum hujus (praetorianae) *dignitatis infulas conſecravit* (aevo medio *Conſecrare* accipiebatur pro eo quod eſt *Dedicare* ſive *Inchoare*) *ipſe carpentum reverendus aſcendit, ad hoc gloriae culmen evectus , ut per ſapientiam conferret populis , quod praeſtare non poterat potentia dominantis . Ab illo namque Patriarchâ & jam nunc* (praefectus praetorio) *PATER appellatur IMPERII* .

(10) Hinc apparet , aevo Hieronymi vocem alteram h. e. פענח *pahaneach* ſermone Hebraico tantundem fuiſſe quod *Repertorem* : *Licet* , inquit , *Hebraice . . . Repertorem ſonet* . At nullo in Judaico Lexico recenſetur hoc thema , quia id nunc pro Aegyptio habent nomine .

Pergit Hieronymus : *Tamen quia ab Aegyptio* (puta Pharaone) *ponitur* (ſive uſurpatur) *ipſius debet habere rationem . Interpretatur ergo ſermone Aegyptio* (Hinc patet , cur Hieronymus in ſua Vulgata illud *Lingua Aegyptiaca* de ſuo hic appenderit , quod nec in Hebraeo eſt , nec in ulla alia verſione). *Saphenet Phanee , Salvator mundi* .

(quae in Hebraearum hodie cenſu non eſt) *Paaneach* viſa eſt *interpretem* ſive *enunciatorem* ſignificaſſe.

At quid tandem Hieronymum impulit, ut *Salvatorem mundi* verteret? Neque enim temere ab aliis receſſiſſe tantum virum crediderim. Sunt qui Hieronymianam interpretationem ex Coptico ſermone, quem ex vetere Aegyptio propagatum oportet, tueantur. Bonfrerius Hieronymum in Aegypto verſatum, eam didiciſſe eſogii hujus interpretationem putat. Tametſi ex binis vocibus, ex quibus conflatur elogium, de poſterioris tantum (*Paneach*) ſignificatu poſſe ambigi puto, non item de priore, quod ab Hebr. צפן *tſaphan* eſt, & τὰ κρυπτὰ (*occulta*) notat: quae *latendi* notio optime *Mundo* (qui in Hieronymi verſione ineſt) convenit. Animadverti enim convenire in hoc Orientales linguas, ut a *latendo* nomen mundo impoſuerint: Hebraeis quippe, Chaldaeis, Arabibus, Syris עולם *Olam* aut עלמא *Alma* mundus appellatur ab עלם *alam latere*. Ergo & apud Aegyptios *tſaphnath* non tantum τὰ κρυπτὰ, ſed & τὸν κόσμον deſignaſſe videtur. Id tantum reſtaret, ut oſtendatur, alterum *Pahaneach* poſſe *Salvatorem* ſignificare: quod πολυγλώττοις permittimus integrum.

Deditque illi uxorem Aſeneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos] Sacerdotem *On* (און) Hebraeus textus fuiſſe praeſefert. At LXX verterunt Ἡλιουπόλεως. Sic etiam Ezech. XXX. 17. Νεανίσκοι Ἡλιουπόλεως (*Juvenes Heliopoleos*) in Hebr. ſunt *juvenes* (און) *On*. Et quidem in Heliopolitano Nomo τὴν Ὀνίου λεγομένην χώραν ſaepe apud Joſephum legimus, uti lib. XIV. 14. & lib. I. Belli cap. 7. Sed & lib. VII. belli cap. 30. τὸν ἐν τῇ Ὀνίου καλούμενον νεὼν vocat, illud nempe intelligens templum, quod in Ὀνίου dicta regione Onias aedificaverat. Cave credas ſive Vſſerio ſive quicumq. concinnavit ejus Annalium indicem geographicum, in quo ὀνίου χώραν ab Onia ſacerdote, qui ibidem templum exſtruxerat, nomen accepiſſe putat. At Pentateuchi LXXviralis interpretatio, haud paullo ante Oniae templum adornata, hanc totam conjecturam refellit, ut ex hoc loco conſtat, ubi *On* LXX verterunt Ἡλίου πόλιν. Cenſuerim potius Oniam templum in Aegypto aedificaturum, in Ὀνίου χώρᾳ potiſſimum excitaſſe, quippe cognomine loco delectatum. Ac de ὀνίου χώρᾳ plura etiam ad Oſ. IV. 15. adnotabimus.

AD GEN. XLI. 47. 48.

In manipulos redactae ſegetes congregatae ſunt in horrea Aegypti. Omnis etiam frugum abundantia in ſingulis urbibus condita eſt] Vtrumque hoc, tam de tritico cum paleis condito, quam de eodem in proximas urbes, non vero in metropolim aſportato, non temere eſt additum. Nam tam mira prorſus atque inaudita per illud ſeptennium feracitas terrae fuit, ut nec triturae jumenta operaeque ſuffecerint, nec vero convehendis in ſolitas apothecas regias frugibus. Itaque prae feſtinantia eo ventum fuit, ut manipuli ipſi non excuſſis granis conderentur, & horrea regia oppidatim ſtatuerentur. Sed & alias hujus facti rationes, quas ſupra attuli, ad Joſephi providentiam referas licet, qui uno eodemque tempore & curae & vecturarum expenſis pepercit, ſi quidem in apothecas in longinquo poſitas avehenda fuiſſent. Adde & illud providentiae Joſephi ſpecimen, quod *Omnis frugum abundantia* (ſeptennii prioris) *in ſingulis urbibus condita:* id quod in Hebraeo ſignificantius eſt. In mediis ergo urbibus, ex quarum agris provenerant, frumenta condidit, ne populi vectabulis gravarentur.

AD

Digitized by Google

AD GEN. XLI. 55.

Clamavit populus ad Pharaonem alimenta petens] Ad Pharaonem utique: quem enim alium principio inclamarent niſi regem, quippe cum inter munia regia non ultimum locum jam tum obtineret annonae providentia ad populos enutriendos, uti nos docet Homericum elogium, δύο ποιμένε λαῶν.

Quibus ille reſpondit: Ite ad Joſeph, & quidquid ipſe vobis dixerit, facite] Nunc demum excogitata omnia ab Joſepho conſilia patuerunt. Nec enim antea quidquam, ut arbitror, ſomniorum ab Joſepho enarratorum (de duobus ſeptenniis deque horreis oppidatim ſtatuendis, aliiſque id genus) adhuc quidquam in vulgus manaverat. Alioqui toto ſeptennio priore ſibi pro ſua quiſque parte ſepoſuiſſent, aut vero ſub finem ſeptennii prioris alius alio dilapſi fuiſſent: quorum nihil factum cognoſcitur. Nimirum in quavis forma regiminis nihil arcano cuſtodito ſalutarius, prodito exitialius.

AD GENESIS CAP. XLII.

AD VER. 5.

Ingreſſi ſunt terram Aegypti cum aliis, qui pergebant ad emendum] Hebr. *In medio venientium*. At LXX tantum μετὰ τῶν ἐρχομένων, *Cum euntibus*. Confer ſupra cap. XXXVII. 25. 28. Nam ſicut ibi Iſmaëlitae & Madjanitae mercatores turmatim procedebant; ſic & hîc quoque Iſraëlitae non ſoli ſe dant in viam, ſed junctim cum aliis, itineris ſecuritati caventes. Id & olim in illis locis obtinebat, & nunc quoque, eaque *Carovana* vulgo appellatur. Nec alia eſt συνοδία, *comitatus* apud Lucam II. 44.

AD GEN. LXII. 9.

Recordatuſque (Joſeph) *ſomniorum quae aliquando viderat*] LXX. καὶ ἐμνήσθη Ἰωσὴφ τῶν ἐνυπνίων &c. Ex quibus Itala vetus apud Auguſtin. Quaeſt. 138. in Gen. habet: *Et COMMEMORATVS eſt Joſeph ſomniorum ſuorum, quae vidit ipſe*. Verbum *Commemoror* pro *Recordor* debetur Italae hîc & in libris Sapientiae & Eccleſiaſtici & Baruch, qui non ex Hieronymo, ſed ex Latina vetere verſione ad nos pervenerunt. Simili modo verbum *Rememorari* non modo in Pſal. & N. T. legitur, ſed ne Hieronymus quidem ab eo abhorruit III. Reg. XVII. 18. Per haſce leviſſimas obſervationes agnoſcitur ſimplex Italae ingenium, ac ſimul augeſcit eloquii Latini cenſus.

Exploratores eſtis: ut videatis infirmiora terrae, veniſtis) In Hebr. eſt ערות *ervath* h. e. *nuditatem*: alii veterum interpretum *Infirma*. Aquila & Symmachus appoſite ad Hebraei auctoris mentem, τὰ κρυπτὰ habent i. e. *abſcondita* ſive ut in Hebr. *nuditatem* aut *verenda*. At quia LXX τὰ ἴχνη poſuerant; hos Itala ſecuta vertit: *Exploratores eſtis: conſiderare veſtigia hujus terrae veniſtis*. Ad ἰχνογραφίαν architectonicam Seniores ſpectaſſe videntur.

AD GEN. XLII. 15.

Per ſalutem Pharaonis, non egrediemini hinc, donec veniat frater veſter minimus] Graviſſimum id jusjurandum apud Aegyptios fuit, & violatoribus capitale, auctore Abenesdra ex ſcriptoribus Aegyptiis, & aliis Judaeis apud Fagium & Vatablum. Ex noſtris interpretibus non defuere, qui id juramentum idololatricum putarint, ſerioque laborent, ut Joſephum a peccato liberent. Etiam Cal-

metum ad hoc caput videas in his tempus terere. At Chriſtianis antiquis (hoc credo loco edoctis) religio nulla erat *per ſalutem principis* jurare, ſicut iiſdem *per Genium principis* dejerare religio ſemper fuit. Tertullianus Apol. cap. 32. *Sed & juramus, ſicut non per Genios Caeſarum, ita per ſalutem eorum, quae eſt auguſtior omnibus Geniis.*

AD GEN. XLII. 16.

Vos autem eritis in vinculis, donec probentur, quae dixiſtis, utrum vera an falſa ſint] Pro *Eritis in vinculis*, habent LXX, ὑμεῖς δὲ ἀπάχθητε (*Vos autem abducimor*) eleganter ac proprie. Nec minus elegans in Itala verſione apud Auguſtin. Quaeſt. 139. *Vos autem ducemini*, pro *abducemini*. Nam in Livio, Suetonio & aliis ſicuti noxii abſolute *duci* dicebantur (ſubaudito, *Ad ſupplicium*) ſic etiam qui in carcerem detrudebantur, dicti abſolute *duci*; nam συνεχεία haec omnia declarat. Sequitur: *Vtrum vera an falſa ſint*: quod in Hebr. ita concipitur: *An veritas vobiſcum* (האמת אתכם, *veim lo*) *& an non*. Id Homerus exprimere plurimis in locis ita ſolet, ἠὲ καὶ οὐχί: quod unum eſt ex Homericis Hebraiſmis, qui ſunt ſane plurimi.

AD GEN. XLII. 27. 28.

Apertoque unus ſacco, ut daret jumento pabulum in diverſorio, contemplatus pecuniam in ore ſacculi (ver. 28.) *dixit fratribus ſuis: Reddita eſt mihi pecunia*] Apparet hinc, non omnes tritico ſaccos fuiſſe repletos (quod triticum ſicuti hominibus maximo in uſu, ita jumentis noxium) ſed & hordeo aliiſque ſeminibus levioribus, quae non tantum hominibus, ſed & jumentis in pabulum utiliter miniſtrantur; omniaque ſub communi *frugum* aut *frumentorum* vocabulo veniunt. Ergo etſi plerique ſaccorum tritico pleni erant: at in aliis interim hordeum, aliaeque fruges atque legumina, & quidquid in hominum juxta ac jumentorum uſum terra profert, continebantur. Quia ergo hic de pabulo quadrupedum agebatur, haud mirandum, ſi is unus tantum ſaccum aperuerit, qui id genus eſcas afferret, ceteri ab apertione curioſa abſtinuerint.

AD GEN. XLII. 37.

Singuli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias] Hebraea ſic ſonant: *Et ecce viri* (Heb. *viri* pro uniuſcujuſq.) *ligamen pecuniae ſuae in ſacco ſuo*. Heb. צרור (*tſeror*) non raro de pecunia uſurpatur, & *faſciculus* verti ſolet; nim. enim ante ſignatam pecuniam argenteae virgae appendebantur conſtrictae funiculo. Quo facit Itala vetus, quae apud Auguſtin. Locut. 168. totidem ex Graeco verbis ita reddiderat: *Et erat uniuſcujuſque alligatura argenti in ſacco eorum*. Vox *Alligatura* Columellae uſurpata fuerat. Deinde, quo magis de vocabuli uſu conſtaret, in nupero Latino Theſauro S. Ambroſius eo nomine uſus producitur, ac facile in lib. de S. Joſeph: in quo non aliunde quam ex Itala in Joſephi hiſtoria videtur Ambroſius hauſiſſe vocabulum. At Itala interpretatio duobus tribuſve ſaeculis Ambroſio vetuſtior.

AD GENESIS CAP. XLIII.

AD VERS. 7.

Et nos reſpondimus ei conſequenter juxta id, quod fuerat ſciſcitatus] Illud, *Juxta id* &c. in Heb. ſic exprimitur: *Al pi* (על פי) *haddebarim haelleh* h. e. *ſecundum*

dum OS verborum iſtorum : id quod eisdem plane verbis uſurpatur Ex. XXXIV. 27. In his פִּי *Pi* i. e. *Os* παρέλκει (*abundat*) non ſecus ac ϛόμα (ejusdem notionis) apud Homerum Il. X. 8. ubi Jupiter, cum fulgurat, *parare* dicitur ***aut imbres aut grandinem nivemque*** . Ac tandem

Ἠέ ποθι πτολέμοιο μέγα ϛόμα πευκεδανοῖο.
Seu parat OS MAGNVM atque exitiale duelli .

Quo loco, ſicuti & non ſemel (1) alibi τὸ ϛόμα vacat, tamquam ſi ſimpliciter πόλεμοι dixiſſet. Sic etiam ubi Homerus aliique Graeci ϛόμα, *Os*, gladio tribuunt, id quoque ex Hebraeis (2) ſumptum, ut alia prope innumera.

AD GEN. XLIII. 11.

Sumite de optimis terrae fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera, modicum reſinae & mellis &c.] Heb. eſt *ſumite* מִזִּמְרַת *mizzimrath* i. e. *de cantatione &c.* aut *de decantatis terrae fructibus*, non iis tantum qui in Chanaanitide proveniebant, verum & his qui extrinſecus illuc tamquam in commune mercatum afferebantur, quales pars magna horum, qui hîc nominantur, erant; qui propter affluentiam *cantatio terrae*, tamquam ibi nati, dicuntur. Ceteroqui & I. Sam. IX. 11. munus omne תְּשׁוּרָה *thesburah* i. e. *cantatio* dicitur (vide ibi dicta) quia nempe de πολυθρυλλήτοις *decantatiſſimis* terrae, unde munera deferuntur, offerre in more fuit. Sic Magi ex recepta Orientis conſuetudine nato Regi *Aurum, thus & myrrham* detulere, quorum Arabia maxime ferax erat.

AD GEN. XLIII. 16.

Occide victimas & inſtrue convivium] Hebr. טבח טבח *tebach tebach* h. e. *macta mactationem*. Nec aliter hoc verbum LXX hîc & plerumque alibi quam verbo σφάττω i. e. *macto* commutarunt, ſicuti & verbale *tebach* plerumque σφαγὴν reddiderunt: quae media verba ſunt ad quamcumque ſive ſacram ſive profanam mactationem pertinentia. Verum quia hîc Seniores Hebraicas voculas duas reddiderunt, σφάξον θύματα: quia, inquam, verbale *tebachim* (quod quaslibet mactationes notat) verterunt θύματα, quod a θύω *ſacrifico* venit; idcirco Hieronymus *Occide victimas* reddidit: quo facto curam injecit interpretibus (ne Calmeto quidem excepto) ecquo pacto licuerit hîc Iſraëlitis victimas in convivio deguſtare.

Non una adhiberi reſponſio poteſt. I. Cum Grotio arbitror, non conſtare de idololatria in Aegyptum Joſephi tempore invecta, quamvis divinandi artes, & ſuperſtitiones aliae in eorum quosdam irrepſiſſent. Itaq. publica idololatriae profeſſio aberat (etſi jam privatim, uti dixi nonnulli in eam propenderent) quae poſtea Moſaicis temporibus in publicum erupiſſe perſpicitur. II. Verba haec θύματα, ἱερεῖα, & horum Graeca interpretatio *Victimas* (qua hîc Hieronymus utitur) ſunt quidem verba ſacrificalia: ſed quis ignorat, proprias rerum aliquot voces interdum

(1) Homerus Il. T. πρὶν πολέμου ϛόμα δύμεναι αἱματόεντος. Et Il. Υ. οὐδὲ κ' Ἀθήνη Τόσσης ὑσμίνης ἐφέποι ϛόμα. In quibus omnibus ϛόμα vacat; ſicuti hîc apud Moſem τὸ פי (*pi*) redundat.

(2) Ejusdem, inquam, naturae eſt illud quod gladio aliiſve armis antiqui Graecorum ϛόμα tribuunt: quod ipſum ex Moſe ſumptum, in cujus Pentateucho quinquies פי חרב (*pi chareb*) *os gladii* legitur, ut ceteros ſacros ſcriptores taceam.

Schemata nonpauca nominum ſaepe apud Graecorum antiquos, quaſi ſi ex Hebraeis deſumpſiſſent, pariter inveniuntur. Hujuſmodi parallelarum obſervationum grammaticalium, in quibus Homerus aliique profani veteres cum Hebraeis faciunt, inchoaveram olim ſylvam: qua neſcio quid factum.

Digitized by Google

interdum latius *καταχρηστικῶς* accipi, ita ut *victimarum* vox univerſe ad animalia quaevis porrigatur, tunc etiam cum ad convivia, non vero ad ſacra facienda mactantur? Ac vel Homeri Odyſſea documento eſſe poteſt, in qua *ἱερεῖα* (*victimae*) vocantur animalia ea, quae in procorum epulas adhibebantur: neque id rarum eſt in aliis paſſim Scriptoribus. III. Adhaec τὰ טבחים *tebachim* hujus Hebraei textus ita generale eſt, ut univerſe *mactationes* quaslibet ſive ſacras ſive profanas notet: nec quia LXX id *θύματα* vertunt, & Hieronymus *Victimas*, ideo ſacrificalem notionem in eam vocem inferre valuerunt, quandoquidem ea notio in Hebraeo *Tebachim* vocabulo generica eſt; contextus autem verborum animalia ad epulandum, non victimas ad litandum quaerit. Ad ſummam hoc loco non tantum ad convivium haec parantur, ſed etiam parantur Iſraëlitis & ab Iſraëlita Joſepho: ob quas circumſtantias hinc ſuſpicio idololatrica quaevis abeſſe debuit. IV. Fortaſſe dicas, animalia etſi ad epulandum mactata, non temere tamen dici conſueviſſe ab ethnicis *ἱερεῖα*, & *θύματα*, *victimas*, quia horum ſanguis & *ἀπαρχαὶ* quaedam diis offerebantur, antequam cetera in epulas cederent. Atqui iis veſci, quae diis delibata fuiſſent, illicitum Hebraeis erat. Sed reſpondetur, nihil horum Hebraeis cum Aegyptiis fuiſſe commune, quia Joſephi fratribus ſeorſum ab Aegyptiis paratum fuit, ut infra ver. 32. Moſes diſerte commemorat: quod non alia de cauſa ſcripſiſſe videtur, quam ne Hebraeos contraxiſſe ex eo epulo immundi aliquid, oriri cuiquam ſuſpicio poſſet.

AD GEN. XLIII. 30.

Et (Joſeph) *introiens cubiculum*, *flevit*] חדר, *chadar* quod hîc in Hebr. legitur, eſt illud ipſum quod Hieron. reddidit, *Cubiculum*. Sed aptius LXX *ταμιεῖον* uſurparant, quod *Promptuarium* verti ſolet, aut *Penetrale*. Itala vetus apud Ambr. lib. de S. Joſeph: *Torquebantur autem viſcera ejus . . . ingreſſus in promptuarium ploravit*. *Promptuarium* aptiſſima eſt vox ad exprimendum locum a Joſepho petitum. Is promptus, & ad manum eſſe debuit, ſimulque talis, ut ſine arbitris ſatis urgenti cuivis negotio faceret: Dicta quaelibet ſuum videtur habuiſſe receptum hujuſmodi: qui Hebr. חדר (*chadar*) Gr. *ταμεῖον*, Lat. tum *Promptuarium*, tum etiam *Penetrale* vocabatur. Vox *Penetrale* eum locum fuiſſe *intimum* notat: *Promptuarium* deſignat fuiſſe talem, ut ex eo quae magis ad quotidianos uſus neceſſaria viderentur, *prompta* & ad manus haberet habitator cubiculi.

AD GEN. XLIII. 32.

Illicitum eſt enim Aegyptiis comedere cum Hebraeis, & *profanum putant hujuſcemodi convivium*] Locus pro difficillimo habitus, quinam ſcil. illi Hebraei ſint, quibuſcum non licebat Aegyptiis inire convivium. Quem locum peculiari Diſſertatione (quae videtur futura num. VII.) enucleabimus.

AD GENESIS CAP. XLIV.

AD VER. 2.

Scyphum autem meum argenteum . . . pone in ore ſacci junioris] Pro *ſcyphum* LXX verterant *τὸ κόνδυ μου*. Quod Itala ſecuta ita vertit (apud Hieron. in quaeſt. Heb.) *Et condy meum argenteum mitte in ſacculum junioris*. Ad quem locum Hieronymus adnotavit, iſtud *Condy* etiam in Iſaia reperiri: in quo legitur apud LXX cap. LVII. 17. & 22. *τὸ κόνδυ τοῦ θυμοῦ*. Condy quid ſit, ita Heſychius

Heſychius expoſuit: ΚΟΝΔΥ, ποτήριον βαρβαρικὸν, κυμβίον, h. e. *poculum barbaricum, ſimile cymbio*. *Cymbium* ab eo dicebatur, quod eſſet navigio ſimile. Sed H. Steph. notat κόνδυ a cymbio diſtinxiſſe Hipparchum apud Athen. lib. XI. Nicomachus Perſicum eſſe poculum ſcripſit, Athenaeus Aſiaticum, decem cotylarum capax. Verum quod in omnibus domeſticae ſupellectilis nominibus uſuvenit, ut quae propria ſunt ſive nationis, ſive formae vocabula, ea proceſſu temporis communia fiant, idem & τῷ Κόνδυ accidiſſe puto, ut tandem de univerſo poculorum genere uſurparetur. Atque id ſibi Diodorus Tarſ. voluit, ubi ad hunc locum de Κόνδυ adnotat, Κόνδυ μὲν τὸ λεγόμενον ἁπλοποτήριον λέγει h. e. Vbi hîc *Condy* audis, ne barbaricum hujus illiusve loci interpretare, verum ſimpliciter poculum, cujuſvis formae locive ſit. Idq. in Vulgata ſecutum Hieronymum puto, utpote communi *ſcyphi* vocabulo uſum hoc toto capite.

Scyphum . . . argenteum] Itala: *Condy meum argenteum*. Pancrates poëta vetus item *argenteum* τὸ κόνδυ dixit: Σπένδων ἐκ κόνδυος ἀργυρέοιο Νέκταρ. *Argenteo libans ex condye nectar*. Porro τῦ *Condyos* vocabulum verſio Itala omnium prima, quod ſciatur, in Latialem ſermonem intulit.

AD GEN. XLIV. 5.

Scyphus, quem furati eſtis, ipſe eſt, in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet: peſſimam rem feciſtis]. Hoc quod hîc dicitur, apertius ipſe de ſe fatetur Joſeph ver. 15. *An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in* (1) *augurandi ſcientia*? Et quidem auguria per ſcyphos, per pelves, per pocula, facta, aut omnino per aquam fuiſſe antiquitus inſtitutas divinationes, docent vetera vocabula ὑδρομαντείας, κυαθομαντείας, λεκανομαντείας, de quibus multa in lexicis veteribuſque grammaticis mentio. Vide prae ceteris Suidam in Κοτταβίζειν. In veteribus ἀναγλύπτοις auguria (2) per Scyphos & pelves me obſervaſſe memini.

Verum quid hoc ſibi vult, quod augurandi conſuetudo Joſepho tribuitur? *In quo* (ſcypho) *augurari ſolet*. Ac rurſus ver. 15. ita gloriatur: *Non ſimilis mei in augurandi ſcientia*. Alterutrum admittas neceſſe eſt, ſive Joſephum ſeſe augurandi arte re vera exercuiſſe, ſive cum augur non eſſet, mentitum ſe talem fuiſſe, imo & in eo gloriatum. Aeſtuant hîc ſane interpretes: quorum plerique mentitum quam auguratum malunt, ſed ejuſmodi tamen mendacio mentitum volunt, quod (quia jocoſum, aut aliter leve & excuſabile putant) a culpa immune fuerit. Atqui ego contra, quia Joſephum a mendacio prorſus abſolvo, malo fateri auguratum, ſed augurio non diabolicae ſed Divinae inſtitutionis.

Et quidem verbum, quo in hiſce utuntur plerumque ſacri Scriptores, eſt in Hebr. נחש *nachas*, in LXX οἰωνίζομαι, quae ſibi invicem reſpondent, ſicuti & his Latinum *Auguror*. Ea vero ſunt mediae ſignificationis vocabula, quia non raro

(1) Verbum נחש *nachash*, quod hoc capite non ſemel uſurpatur, & cum verbo *Auguror* commutatur, etſi non raro in magicis praeſtigiis locum habet; tamen verbum eſſe puto mediae ſignificationis. Vide Gen. XXX. 27. ubi primum uſurpatur, & quidem in meliorem partem. Sic & οἰωνίζομαι, quod illi plerumque in Graeca verſione reſpondet.

(2) Ante complures annos apud veterem Capuam (ubi hodie *Sancta Maria* dicitur) apud V. Cl. Franciſcum Ciccarellium Capuanae Cathedralis Canonicum me pluries vetus marmoreum praeſtantiſſimi operis anaglyptum inſpexiſſe commemini. In eo marmore virgo quaedam (quam equidem pro Pythia habui) dextra quam poſſet elatiſſima ex pulcherrimo urceo ſeu gutturnio in pelvim latices effundebat, idque totum eo habitu corporis, ut videretur non obſcure auguria captare, idque aliquod eſſe ὑδρομαντείας aut λεκανομαντείας genus.

raro in meliorem partem ſumuntur, ut Gen. XXX. 27. & XLI. 15. & 3. Reg. XX. 33. ac fortaſſis alibi. Cumque verbum τεχνικὸν (*artis*) ſit, interdum de auguriis bonis, interdum de illicitis uſurpatur; nam οἰωνιστικὴ facultas in Joſepho, in Prophetis, in Pont. Maximo, in aliis, quos ſacrae paginae memorant, ars bona Deoque accepta erat: at in ariolis prava. Vtrique plerumque ſignis viſibilibus utebantur: verum qui a Deo miſſi, ii ſigna ſenſibilia a Deo ſibi monſtrata adhibebant: pravi vero augures utebantur ſignis a diabolo ſibi praeſcriptis, quem diviniſſima quaeque aemulatum, nemo non ſponte fatetur.

Quod dixi, ſacros Veteris Foederis vates in divinando ſignis viſibilibus plerumque uſos, id ex millenis utriuſque foederis locis conſtat. Etiam Pontifex Max. interrogatus, inclamabat, *Applica Ephod*, ac ſtatim per *Vrim* & *Thummim* edebat abſcondita. Etiam in N. T. Agabus Act. XXI. 11. per viſibiles actus docebat Paulum caſus abſconditos. Pagina vetus hiſce ſignificationibus, per ſigna viſibilia collectis, ubi non ſcatet? Nec enim finis erit, ſi exempla de Vetere Cod. congerere fatagam, in leprae omnium generum ſanationibus, in aqua zelotypiae, in ſexcentis aliis. Lege Prophetarum vitas.

Ergo beatus Joſeph augurandi artem a S. Spiritu edoctus, tenebat; eamque artem plerumque per ſymbola viſibilia (cujuſmodi Veteris Foederis ſacramenta ipſa fuiſſe ſcimus) exercebat. Vnum ex hiſce Joſephi ſymbolis *ſcyphus* erat ille, de quo multus jam nobis hactenus ſermo fuit. Nec video cur mendacia potius Proregi ſanctiſſimo affingenda ſint, quam admittenda ſigna corporea, quae Divina Sapientia & olim ante adventum Domini, & interdum in Lege Gratiae in exercendo ſpiritu prophetiae Sanctos uſurpare docuit ad pandenda rerum arcana.

AD GEN. XLIV. 7. 9.

Ver. 7. *Qui reſponderunt: Quare ſic loquitur dominus noſter*] Sic etiam mox ver. 9. *Et nos erimus ſervi domini noſtri*: Hieronymus quod erat in Hebr. *Meus* & *Mei*, ipſe in *Noſter* & *Noſtri* mutavit, nequem τὸ *Meus* & *Mei* offenderet, praecedente verbo plurali. Quamquam ceteroqui Hebraica ſyntaxis rectiſſima eſt, ſic nempe explicanda, ut poſt *Dixerunt* & *Reſponderunt* ſubaudiatur *Pro ſe quiſque*.

AD GEN. XLIV. 10.

Ipſe ſit ſervus meus] Ideſt ſervus ejus, cujus perſonam gero, ſive ex cujus perſona loquor. Nam ceteroqui is, qui eſſet furti deprehenſus, non iſtius curatoris ſervus futurus erat, ſed ipſius Joſephi, ut infra ver. 17. diſerte dicitur. Ergo hinc apparet per illa tempora legatos ex perſona eorum, a quibus miſſi eſſent, locutos. Quid porro miramur, quod Angelus ille legiſlator, qui cum Moſe fuit tamdiu congreſſus, non ex perſona ſua qui ſervus eſſet, ſed ex perſona Dei ſic ſemper loqueretur, tamquam ſi ipſe Deus eſſet. Itaq. quemadmodum hic ver. 9. Joſephi fratres ita cum procuratore agunt, tanquam ſi ipſe eſſet Joſeph (*erimus*, inquiunt in Hebraeo, *domino meo ſervi*) ita Moſes cum Angelo Legiſlatore loquitur, quaſi ſi ipſe Angelus Deus eſſet. Ita etiam Gen. XVIII. Abraham & Angelus a Deo miſſus ultro citroque agunt.

AD GEN. XLIV. 15.

An ignoratis, quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?] In Hebr. ſenſus idem, verba diverſa: *Nonne noviſtis quod augurando augurabitur* (is tantummodo

modo) *qui ſicut ego ?* Hebraeo proxime adhaerent LXX οὐκ οἴδατε ὅτι οἰωνισμῷ οἰωνιεῖται ὁ ἄνθρωπος, οἷος ἐγώ. Quos & preſſe ſequitur Itala apud Auguſtin. quaeſt. 145. *Neſciebatis quia augurio auguratur homo qualis ego ?* Niſi quod in LXX eſt futurum οἰωνιεῖται, *augurabitur* : cum auctor Italae in ſuo legerit οἰωνίζεται. Sed tamen nunc quoque in Aldino cod. legitur praeſ. temp. & S. Auguſtin. loc. cit. conſtanter firmat Italae & Aldini lectionem, dum ita ſubjicit : *Nec illud vacare arbitror, quod non ait, Auguror ego, ſed AVGVRATVR homo qualis ego*. In his (iterum dico) ſupplendum eſt *tantum*. *Auguratur* (is tantum) *homo qualis ego*.

AD GENESIS CAP. XLV.

AD VERS. 1.

Non ſe poterat ultra cohibere Joſeph, multis coram adſtantibus : unde praecepit, ut egrederentur cuncti foras, & nullus intereſſet alienus agnitioni mutuae] Vltimae voces duae in Hebr. ſic habent, בהתודע (*behitvaddah*) *in ſe notificando fratribus ſuis*. Hebraeum *Hitvaddah* Seniores verterunt verbo ἀναγνωρίζεσθαι. *Et nemo* (inquiunt) *Joſepho adſtitit, quando* (ἀνεγνωρίζετο) *recognoſcebatur a fratribus ſuis*; quia antequam ſe agnoſcendum ſuis praeberet, alienos expulit. Ab hoc LXXvirali verbo hunc celeberrimum vitae Joſephi actum Graeci ἀναγνωρισμὸν (*mutuam agnitionem*) vocarunt. Sicuti ſimilem Vlyſſis poſt diutinos errores agnitionem (quando ſcil. ſe patri ſuiſque noſcendum praebuit, Od. Ω. ver. 320.) Homeri enarratores, quaſi ſi hunc Seniorum locum imitarentur, Ὀδυσσέως ἀναγνωρισμὸν vocarunt. Nec difficile eſt, heroica aetate profanos, in hoc praeſertim vitae Vlyſſis ultimo actu informando, Moſaicam Joſephi hiſtoriam ob oculos habuiſſe.

Interim qui Vlyſſis Ἀναγνωρισμὸν Homericum cum hoc Moſaico conferre voluerit, non ſine voluptate id ſe feciſſe ſentiet. Locus Poëtae incipit lib. XXIV. ver. 20. (1)

AD GEN. XLV. 3.

Et dixit (Joſeph) *fratribus ſuis : EGO SVM JOSEPH: ADHVC PATER MEVS VIVIT ? Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti*] Stylo Moſaico nihil excogitari poſſe nativius, duo commatis hujus ſenſa, non plus octo

(1) Quod Vlyſſis ἀναγνωρισμὸς ex Joſephi ἀναγνωρισμῷ loci hujus videatur fuiſſe translatus, cognoſcitur ex Od. XXIV. ver. 20. ubi ita Vlyſſes ad Laërtem patrem orditur :

> Κεῖνος μέντοι ὅδ' αὐτὸς ἐγὼ, πάτερ, ὃν σὺ μεταλλᾷς,
> Ἤλυθον εἰκοστῷ ἔτεϊ ἐς πατρίδα γαῖαν·
> Ἀλλ' ἴσχεο κλαυθμοῖο γόοιό τε δακρυόεντος.
> *Ille ego ſum, genitor, vigili quem corde requiris,*
> *Bis decima repetens patrios aeſtate penates.*
> *At tu parce queri, longoque abſiſte ululatu.*

Sicuti autem apud Moſem τὸν ἀναγνωρισμὸν ſequuntur mutui amplexus, non ſecus apud Poëtam ver. 346. Laërtes in nati ſui complexus ruit :

> Ἀμφὶ δὲ παιδὶ φίλῳ βάλε πήχεε· τὸν δὲ προτὶ οἷ
> Εἷλεν ἀποψύχοντα πολύτλας δῖος Ὀδυσσεύς.
> *Nec mora, in amplexus jacientem brachia patrem*
> *Semianimem ulnis implicuit divinus Vlyſſes.*

Tandem ſicuti hic apud Moſem, ita & in Homero poſt ἀναγνωρισμὸν laetae demum epulae celebrantur. Mitto plura.

ſyllabis a Moſe in Hebraeo expreſſa, quam apertiſſime oſtendunt. Nec aliis plane verbis (quia nec pluribus, nec paucioribus poterat) uſum Patriarcham ipſum, ubi ſe detexit, pro certo affirmaverim. Nihil enim magis quam haec duo Joſeph cupiebat: I. ut hoc tandem ſcirent fratres, ſe illum eſſe Joſephum, quem ipſi, quia tamdiu non comparuit, de medio periiſſe credebant: II. ut hoc tandem certo (2) ſciret ipſe, an Pater adhuc in vivis eſſet. Haec duo inquam, quia quantocyus ſciri ac ſcire percupiebat; exordiis abſtinet, ſyllabis quam potuit pauciſſimis utitur. Ad primum, quod fratrum intererat, EGO SVM, inquit, JOSEPH, nihil addens, quo citius veniret ad illud alterum (quod ipſe compertiſſimum habere volebat, ac prae deſiderio non ſatis adhuc crediderat) ADHVC PATER MEVS VIVIT? Anne aliis pluribus aut paucioribus verbis vir deſiderantiſſimus uti hoc articulo temporis potuiſſet?

AD GEN. XLV. 6.

Biennium eſt enim . . . & adhuc quinque anni reſtant, quibus nec arari poterit nec meti] Iſtud *nec arari*, *nec meti* de remotioribus ab amne locis interpretare, in quibus durata nimium tellus, quia vomeris ſtricturam non admittebat, ideo nec ſe arari nec meti patiebatur; at in amni proximioribus, utpote fluvio exeunte humectatis, mediocriter utrumque licebat. Id tamen ſiccitatis incommodum (quod tellurem dente vomeris appeti non ſinebat) quotannis longius a flumine proſerpebat. Vide dicenda rurſus ad cap. XLVII. 19.

AD GEN. XLV. 7.

Praemiſitque me Deus, ut reſervemini ſuper terram, & eſcas ad vivendum habere poſſitis] Difficile erat Hebraea verbis totidem apte reddere; nam Hebraica verba ſi numeres, ita ſonabunt: *Et miſit me Deus ante vos ad ponendum vos* (nam dativum לכם praeſtat hîc, ſicuti & mox ſtatim, pro accuſativo habere, non praeter morem) *ad ponendum*, inquit, *vos reſiduum* (generis) *in terra*, *& ad vivificandum vos in evaſionem* (generis Abrahamici) *magnam*. Conſulto equidem Hebraicorum verborum vim ita αὐτολεξεὶ reddendam putavi; nequis miretur, cur Hieronymus ab interpretatione tam ſalebroſa abſtinens, alteram cuderit, per quam aptiſſime partim Hebraica verba ipſa, partim ſententiam expreſſit. Ceterum Seniores Fontis ipſius verbis κατὰ πόδα inhaerere jam olim ſtuduerant in hunc modum: Ἀπέςειλε γάρ με ὁ Θεὸς ἔμπροσθεν ὑμῶν, ὑπολείπεσθαι ὑμῖν κατάλειμμα ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐκθρέψαι ὑμῶν κατάλειψιν μεγάλην. Quae verba vetus (apud Auguſtinum Quaeſt. 148. in Gen.) verſio Itala ſic expreſſit: *Miſit enim me Deus ante vos, remanere* (pro eo quod eſt, *Vt remaneant*) *veſtrûm* (in LXX ὑμῖν, *vobis*, ſed in MS. Alex. rectiſſime ὑμῶν, *veſtrûm*) *reliquias ſuper terram, & enutrire* (pro *ad enutriendum*) *veſtrûm reliquiarium magnum*. Iſtud *Reliquiarium* cave barbarum putes, cum ſe ſatis Italae auctoritate tueatur; de quo brevem in imo paginae (3) actionem inſtituo.

Verum

(2) Patrem ſuum adhuc in vivis agere, quamquam a fratribus audierat Gen. XLIII. 29. & XLIV. 20. tamen de re, in qua apud Joſephum, prae amore ac deſiderio, ſumma rerum & caput erat, numquam ſe ſatis certum putabat. Ea de cauſa hoc feſtine & praecipitanter ſcitatur; *Adhuc Pater meus vivit?*

(3) *Voci* Reliquiarium *jus Latii aſſeritur. Vera nominis ſcriptio, veraque hoc loco ejusdem notio.*

Non puto de vocis *Reliquiarii* jure civitatis fore dubium, ubi oſtenſum fuerit, non tam ea uſum Auguſtinum in Confeſſionibus (quas ſero circiter annum Chriſti quadringenteſimum

Verum quae hactenus de vocabulis loci hujus diximus, ita ſunt refricanda, nihil ut obſcuri ſuperſit. In Hebr. ita legitur: *Miſit me Deus ante vos ad ponendum vos reſiduum* (Hebr. לכם שארית *lachem sheerith*: Gr. ὑμῶν κατάλειμμα: Itala, *Veſtrûm reliquias*) *in terra*, & *ad vivificandum vos* (ſequitur in Hebr. לפליטה *liphletah*, *in evaſionem*, quod idem eſt ac Italae *Reliquiarium*, quia quod evadit, id ſupereſt in reliquiarium) *ad vivificandum*, inquit, *vos in reliquiarium magnum*. *Magnum* vocat, habita ratione gentis Iſraëliticae in immenſum auctae ex illo puſillo *Reliquiario* in Aegyptum deducto: quod ſic quaſi *fermentum*, *acceptum mulier abſcondit in farinae ſatis tribus*, ut cum Evangelio loquar. Re enim vera *Reliquiarium* quamvis de quovis reſiduo accipiatur; tamen hîc quia in Hebraeo *in Evaſionem magnam* reſervari dicitur, translatio eſt ducta a tantulo fermento ad panificium magnum relicto.

Ac mihi quidem, dum ſive שארית *sheerith*, ſive Seniorum Κατάλειμμα aut Κατάλειψιν, & Italae *Reliquiarium* loci hujus, illuſtrare unde unde adnitor, prope exciderat hujus plane germanus locus alter, qui exſtat Sam. 2. XIV. 7. in apologo a muliere Thecuitide excogitato, quo regis Davidis animum Abſalomo conciliare fatagit. In eo apologo cogi fingitur Thecuitis tradere ad necem filium ſuperſtitem unicum: *Trade*, inquiunt, *eum qui percuſſit fratrem ſuum*, *ut occidamus eum pro anima fratris ſui* . . . & *deleamus heredem*. *Et quaerunt extinguere ſcintillam meam*, *quae relicta eſt*, *ut non ſuperſit viro meo nomen* & *RELIQVIAE SVPER TERRAM*. Eadem enim in hoc altero loco apud LXX phraſeologia eſt, maxime in extremo commate, ubi apud Graecos extrema verſiculi haec ſunt: καὶ μὴ θέσθαι τῷ ἀνδρί μου ΚΑΤΑΛΕΙΜΜΑ καὶ ὄνομα ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς. *Ita ut non ponatur viro meo reliquiarium* & *nomen ſuper faciem terrae*. Vides eamdem utriuſque loci concluſionem: in qua quod Hebraice eſt שארית *sheerith* (h. e. *reſiduum*) id Graece eſt κατάλειμμα. Iſtud autem κατάλειμ. ſicuti *Reliquiarium* in Itala vertebatur, ita & hîc quoque verti licebit. Ad ſummam autem utroque in loco de *Reliquiario* poſteritatis, ſive *Proſapiae*, uti Syrus vertit, agitur.

V 2 *AD*

ſimum ſcripſit) quam uſum auctorem Italae verſionis Geneſeos, quem ineunte altero ſaeculo haud puto recentiorem. Altero autem Chriſti ſaeculo infuſcaverat quidem aliqua ex parte Latium φρασεολογίας peregrinitas, ſed non eo uſque proceſſum, ut inaudita ante vocabula tam cito uſurpari inciperent.

Ergo in Itala verſione (obſervante Sabbaterio, cujus laboribus Italae translationis reſtitutionem debemus) in ſelectiſſimis quibuſque & optimae notae ſcriptis codicibus iſtud *Veſtrûm RELIQVIARIVM magnum* legitur. Accedit Auguſtinus in Confeſſ. V. 8. ita loquens: *Arguebatur in ea RELIQVIARIVM Evae*, *cum gemitu quaerens*, *quod cum gemitu pepererat*. Antea in Auguſtini Confeſſionibus *Reliquarum* aliiſve modis lectio immutata fuerat: ſed Benedictini ex Cod. veterrimo Corbejenſi reſtituerunt *Reliquiarium*. Atque haec eſt vocis vera ſcriptura.

At in Philoxeni Gloſſis non *Reliquiarium*, ſed *Reliquarium* legitur, quinque ſyllabis in hunc modum: *Reliquarium*. ἔκθεσις λοιπάδος. Vbi ἔκθεσις λοιπ. eſt *Conceptio Reliqui*, ſive ea verba, quibus reliqua debiti concipiuntur & exponuntur. Atq. hanc veram eſſe Gloſſographi mentem, intellexi poſtea ex aliis Gloſſis MSS. quas affert Cangius in *Reliquarium*, quae ſic habent: Λοιπαδάριον, ἔκθεσις λοιπάδος· *Reliquarium*. Ex quibus intelligitur, τὸ *Reliquarium* eſſe librum, in quo *Reliqua* debiti exponuntur. Ergo inter *Reliquiarium* ſenis ſyllabis Italae verſionis, interque Gloſſarum *Reliquarium* quinque ſyllabis, hoc intereſt, quod prius fit a *Reliquiis*, alterum vero a *Reliquis*, quae qui debet, *Reliquator* vocatur. At hoc Gen. loco quia non de *reliquis*, ſed de *Reliquiis* Abrahamici generis agitur (nec ſecus in loco Auguſtini Confeſſionum) idcirco *Reliquiarium* ſex, non quinque ſyllabis ſcribi in hoc Geneſeos loco oportuit.

AD GEN. XLV. 10.

Et habitabis in terra Geſſen : eriſque juxta me tu & filii tui . . .] Scriptio nominis terrae hujus variat apud antiquos. LXX : Καὶ κατοικήσεις ἐν γῇ Γεσὲμ Ἀραβίας. Iſtud Ἀραβίας ſicuti addidere (& quidem ex vero) LXX ; ita & Itala vetus apud Ambroſium de S. Joſeph cap. 12. *Et habitabis*, ait, *in terra Geſem Arabiae*.

Jam vero quia ſcriptionem terrae hujus variare apud antiquos dixi ; quot ea modis uſurpetur, & a quibus, videamus. Fons Hebraeus גֹּשֶׁן *Goshen* exhibet, quod Onkelos eisdem litteris & vocalibus retinet . Syrus, qui *Goſan* ſcripſit, ſola vocali ultima diſcrepat. Nec niſi vocali prima Vulgatae auctor, ſicuti & Samaritanus ab Hebr. abeunt, dum *Geſſen* ſcripſerunt: motionum autem diſcrimen in Orientalibus parvi penditur. Poſtremo & Artapanus apud Euſebium conſonis cum Hebraeo facit, dum Κασὰν ſcripſit (nam C cum G permutatur) motionibus diſſonat. In LXX & Itala *Geſem* (quod pluviam notat) ſcribitur : M autem & N in propriis Orientis nominibus in fine ſaepiſſime alternant. Ex his concordiam potius, quam diſcidium interpretum animadvertis : niſi quod Arabs unus immenſum abit, dum *Sadir* hanc terram ab Iſraëlitis cultam hoc loco vocat.

At ſitum terrae cognoſcere, id quidem maxime omnium intereſt. Verum eo nos labore levant tum alii viri doctiſſimi, tum Chriſtoph. Cellarius tom. 2. Geogr. initio *Aegypti S. Scripturae* pag. 50. & ſeq. ubi ſatis perſpicue docet, terram *Goſen*, in qua incolatus Iſraëlitarum fuit, circa *On* ſive Heliopolim eſſe ſtatuendam : in quem ſitum recte omnia quadrant, in primis autem vicinitas Taneos, ſive Aulae Pharaonicae, in qua Joſephus commorans, vicinos habere Patrem fratreſque voluit.

AD GEN. XLV. 22.

Singulis quoque (fratribus) *proferri juſſit binas ſtolas : Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque ſtolis optimis*] De munere Benjamini in Hebr. ſic : *Dedit trecentos argenti, & quinque mutationes veſtium*. De pecunia ante agemus ; poſtea de ſtolis viderimus. Joſeph Benjamino dedit *shelosh meoth cheſeph*. Iſtud *cheſeph* ſi pro metallo argenti capias, erit *trecentos argenteos* : quo ſane modo in Vulgata exprimitur. At ſi γενικῶς pro pecunia accipias, erit *trecenta numiſmata*, & quidem ex eo metallo, ex quo in Aegypto tunc nummi cudebantur. Atque hoc alterum LXX ſpectarunt : qui utpote in Aegypto alti, noſſe ex vetere Aegypti hiſtoria poterant, aevo hujus Pharaonis ex auro maxime nummos in Aegypto conflatos, eoq. verterunt τριακοσίυς χρυσῦς *trecentos aureos*. Hos ſecuta eſt Itala vetus, apud Ambroſium in de S. Joſeph cap. 13. his verbis : *Trecenti AVREI, & quinque ſtolae diverſi coloris conferuntur*. Iſtud *diverſi coloris* in LXX erat ἐξαλλασσύσας, h. e. *permutantes*. At ex Budaei Comment. & ex H. Stephano in Ἐξαλλάττω diſcimus, in hoc verbo abſolute poſito interdum ſubaudiri χρῶμα i. e. *Colorem*. An iſtae ſtolae *ambigui coloris* ſunt eae veſtes, quae colorem pro vario appulſu luminis variant, hodieq. vulgo in Italia veſtes *di color cangiante* appellantur ? Sed in Hebraeo hîc ſunt *Mutationes veſtium*, ſive *veſtes mutatoriae*.

AD GEN. XLV. 26.

De Jacobo, ubi nuntium ſuperſtitis Joſephi cognovit, in LXX ſcribitur : ἐξέστη τῇ διανοίᾳ . . . ὐ γὰρ ἐπίστευσεν αὐτοῖς. Illud ἐξέστη τῇ διανοίᾳ quis non recte verteret, *Exceſſit mente* ? Recte quidem : ſed Ambroſius loco ſupra cit. poſuit :

ſuit : *De Jacob ſcriptum eſt* (in Scriptura ſcil. & quidem Italae verſionis) *Expavit mente* : qui & mox addit , *Expavit* (quidem) *affectu* , ſed poſtea . . . (ἀνεζωπύρησε τὸ πνεῦμα) *reſumpſit ſpiritum* . Nemo de hac verſione miretur , quia in Cyrilli Gloſſis verbum ἐξίσταμαι inter cetera verbo *Paveſco* (h. e. mente excedo) exponitur. Adhaec Plin. IX. 30. *Novitatem expavere cuſtodes* h. e. ad novitatem obſtupuerunt. Et alibi credo non raro alii.

AD GENESIS CAP. XLVI.
AD VERS. 33. 34.

Ver. 33. *Cumque* (Pharao) . . . *dixerit* , *Quod eſt opus veſtrum ?* (Ver. 34.) *reſpondebitis* : *Viri paſtores ſumus . . . ab infantia noſtra uſque in praeſens* , *ET NOS ET PATRES NOSTRI* . *Haec autem dicetis* , *VT HABITARE poſſitis IN TERRA GESSEN* (utpote ſegregatâ a reliquo Aegypti) *quia deteſtantur Aegyptii omnes paſtores ovium*] Cum Aegyptus aut jam in idololatriam prolapſa , aut in eam , uti ſe dabant initia , mox prolapſura Joſepho videretur ; cavendum putavit ne qua fratribus eorumque poſteritati communio cum Aegyptiis intercederet , ex qua aliquando polluerentur. Hinc cauſam excogitavit , cujus obtentu ſegreges ab Aegyptiis in Geſſen habitarent . Nec ſane alia probabilior ab Joſepho cauſa excogitari potuit , quam ſi ſe paſtores (quales re ipſa erant) profiterentur : quos paſtores ab Aegyptiis ex antiquo tempore odio haberi, ex Manethone Aegyptio, patriarum hiſtoriarum ſcriptore colligi non obſcure poteſt : qui ſub Ptolemaeo Philadelpho florens , tradidit , multis retro ſaeculis Aegyptum ab *Hycſorum* quorumdam multitudine fuiſſe occupatam , artem paſtoritiam exercentium : hos vero per annos DXI. Aegypto potitos , tandem excedere regione coactos . Rem totam ex Manethone Joſephus tradidit , quo ex fonte , quae huc pertinere poterant , in pauca contraxi . Ac primum *Hycſorum* etymon ex iiſdem inferne (1) adtexui .

Etſi vero Manethos in ſuis apud Joſephum fragmentis nuſquam diſertis verbis de odio *Hycſorum* apud Aegyptios ſuperſtite meminit : tamen res ipſa loquitur . Nam ex ejus narratione quis non veriſimillimum dixerit , poſt ejectos formidabiles illos Aegypto *Hycſos* , regnumque ab indigenis fundatum longe florentiſſimum , reſediſſe in Aegypto implacabile adverſus eas gentes , quae paſtoritiam vitam (& quidem ex univerſae nationis inſtituto) profiterentur ? Sed tamen quod Manethos non verbis exſertis docuit , id aperte hîc S. Joſeph opportuneque ſignificavit : quo & majorem adſtruit Manethoni fidem . *Deteſtantur* (inquit S. Patriarcha) *Aegyptii omnes paſtores ovium* . Pro *Ovium* in Hebr. eſt צאן *tſon* , quod patet (2) latius .

Illud

(1) Manethos Sebennita Dioſpolitanus qui ſub Ptol. Philadelpho ſcripſit Aegyptiacam hiſtoriam (ex qua fragmenta quaedam protulit Joſephus lib. 1. contra Apion. praeter ea quae Africanus , Euſebiuſque dederunt) in illo inſigni fragmento , quod idem Joſephus loc. cit. affert , *Hycſorum* etymon κατ' ἱερὰν γλῶσσαν (*ex ſacra lingua*) ita ponit : *HYC enim in ſacra lingua regem notat* : *SOS vero paſtorem ſive paſtores communi dialecto notat* . Cui originationi Joſephus de ſuo ſubjicit , ſe alibi repetiiſſe , compoſitam illam vocem non *Reges* ſed *Captivos paſtores* ſonare , idque ſibi verius & cum antiqua hiſtoria magis videri conſonum .

(2) Hebraicum צאן *tſon* , non tantum ad greges

Illud quoque notandum eſt, ex Manethonis narratione non ſequi, Aegyptios odiſſe quoslibet ſingulares paſtores, ſed eos odiſſe qui ex inſtituto gentis, non tum primum orto, ſed a patribus accepto paſtoritiam exercerent, tales enim *Hycſi* illi invaſores Aegypti fuerant. Quo ſpectat illud Joſephi hîc v. 34. *Reſpondebitis: Viri paſtores ſumus* (& quidem deſtinato conſilio tales: unde addit) *ab infantia noſtra uſque in praeſens* (ac ne ſic quidem rem totam ſe deſignaſſe ratus, adhuc addit, *Ex* πατροπαραδότῳ *inſtituto*) *ET NOS*, inquit, *ET PATRES NOSTRI*. Hoc ultimum quis non videt otioſum non eſſe? Conſentit enim hoc omne cum tota illa Manethonis hiſtoria: ex qua ſequitur, putaſſe S. Joſephum, rem valde ſuſpectam Aegyptio Regi fore, ſi turma juvenum paſtorum (& quidem talium ab infantia & ex inſtituto a majoribus tradito) in viſcera regni perreperet? Proinde hiſce Pharaoni ſignificatis, facillime fratres impetraturos, uti ſeorſum ab Aegyptiis in Geſſen, regni angulo, habitarent.

Adde quod plura alia ſuſpicionum argumenta ſuboriri Regi poterant, quae Manethonis (in Joſephi contra Apionem lib. I. cap. 14.) hiſtoria ſuppeditat. Nimirum non ignorabat Pharao, paſtorum illam multitudinem *ex partibus Orientalibus* (ἐκ τῶν πρὸς ἀνατολῶν μερῶν) ut ib. traditur, olim irrupiſſe in Aegyptum. Chanaanitis autem regio *partibus Orientalibus* (reſpectu Taneos) continebatur. Verum hoc levius: illud fortius quod Manethos idem (apud Joſephum eodem lib. in fine cap. 14.) Paſtores illos ex Aegypto ejectos, *in Judaeam* (quae olim rei geſtae tempore *terra Chanaan* vocabatur) ſe recepiſſe dicit, imo initio cap. 15. *Hieroſolyma* petiiſſe: quae omnia κατὰ πρόληψιν dicta, quia tempore Ptol. Philadelphi, ſub quo Manethos ſcripſit, ita deſignabatur ea regio, quae antiquitus *Chanaanitis* dicebatur. Atque haec omnia paullo minutius ad Moſem ac Manethonem comparandos, & invicem illuſtrandos obſervaſſe non poenitet.

AD GENESIS CAP. XLVII.

AD VER. 2.

Extremos quoque fratrum ſuorum quinque viros (Joſeph) *conſtituit coram Rege*] Pro *extremos fratrum* in Hebr. eſt מקצה אחיו (*miktſeh echau*) *de extremo fratrum.* Huic *Miktſeh* nihil in LXX peculiare reſpondet, ratis, opinor, id tantumdem eſſe quod ſimplicem particulam *Ex*, nempe *Ex fratribus ſuis*; ſic enim Senes interpretantur: Ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν αὐτῦ. Nec aliter Syrus, & Arabs. Idque verius. Tamen quia Hieronymus, quamvis minutioribus ſuperſedere ſolitus, diſerte id expreſſit, quod τῷ *Miktſeh* peculiare eſſet (*Extremos*, inquit); quis ſcit an non rituale putarit aulae Pharaonicae, ut in defungendis legationibus ultimi deligerentur? Id ſi forte verum ſit, tum id quoque ſuſpicor dici poſſe, non *Extremos QVOQVE* ſcripſiſſe hîc Hieronymum, ſed *Extremos QVOSQVE*; ita ut delectu habito, ultimis permiſſa legatio fuerit.

Jam vero quia Onkelos reddidit, *Vmiktſath achochi*, h. e. *partem fratrum ſuorum*;

greges minutos ovium atque caprarum pertinere, ſed etiam *jumenta* atque animalia majora notare colligitur, ſi non aliud, ex uſu Seniorum, in quibus modo κτῆνος, *jumentum*, modo ποίμνιον, *grex*, redditur. Hoc ideo monetur, nequis ad ovium tantum caprarumve paſtores odium iſtud Aegyptiorum extendat.

Digitized by Google

ſuorum ; ea mihi videtur verior Hebraici quoque *Miktſeh* interpretatio , ut non aliud quam *Partem* deſignet . Ac memini , id vocabulum in LXX *μέρος* haud raro verti ſolere . Idque hîc ſequor .

Porro ad numerum legatorum quod attinet , apud Romanos, aliosque reperi non incelebrem quinarium fuiſſe numerum . Apud Livium certe , apud Tullium aliosque plures ita invenio , in rebus momenti majoris denos legatos mitti conſueviſſe , in minoribus vero negotiis quinos: huic vero conſuetudini paria & alias factitaſſe gentes , Exemplis corradendis non me nunc delaſſabo , quae alibi (locum non teneo) me contraxiſſe non pauca memini . Non temere ergo conjiciemus , hunc legatorum numerum facile ex Hebraeis ad alias manaſſe nationes .

AD GEN. XLVII. 4.

Ad peregrinandum in terra tua venimus : quoniam non eſt herba gregibus ſervorum tuorum , ingraveſcente fame in terra Chanaan : petimuſque ut eſſe nos jubeas ſervos tuos in terra Geſſen] Filii Jacob cauſantur ſe divertiſſe in Aegyptum , eo quod in terra Chanaan ingraveſcente fame paſcua deeſſent gregibus . Ex quo manifeſte patet , cauſſam famis fuiſſe ſiccitatem, propter quam nec triticum proveniret , nec paſcua ad alendos greges ; in paluſtribus autem Aegypti locis [qualem fuiſſe terram Geſſen crediderim] paſcua non defuiſſe .

In hujus commatis fine multo plura in LXX reperies , quae nec in Hebr. nec in Vulgata , nec in aliis verſionibus ſunt : ac ne in Itala quidem , praeter haec ultima appendicis LXXviralis verba : *Venerunt autem in Aegyptum ad Joſeph , Jacob & filii ejus , & audivit Pharao rex Aegypti* . Haec Italae verba apud Auguſt. ſunt quaeſt. 154. in Gen. qui ibid. obſervat , ex more Senum illorum ad eamdem rem *ſaepe per recapitulationem rediri* . Jam enim ea , quae LXX hîc addunt , Scriptura dixerat : *Sed* [Auguſt. inquit] *hoc nunc velut ab initio repetivit, ut inde contexeret narrationem ab his verbis , quae ſoli Joſeph Pharao dixit* (vide v.5. & ſeq.) *quorum omnium in codicibus Graecis , qui a diligentioribus conſcripti ſunt , quaedam obeliſcos habent (& ſignificant ea quae in Hebraeo non inveniuntur , & in LXX inveniuntur) quaedam aſteriſcos , quibus ea ſignificantur , quae habent Hebraei , & non habent LXX* . Aſteriſcorum & obeliſcorum Origenianum inventum nemini inauditum eſt .

AD GEN. XLVII. 12.

Et alebat eos (Joſeph) *omnemque domum patris ſui , praebens cibaria ſingulis*] Hebraice ita haec concipiuntur : *Et alebat eos* (. . . לפי הטף *lephi battaph* , i. e. *ad os parvuli*) *ad os parvuli* . Nim. hoc intereſt inter alimenta , quae praebentur grandioribus & ea quae parvulis ſubminiſtrantur: illis enim eſcae in ſolidum dantur , ac fere in menſem : contra vero parvulis recens a lacte depulſis boli ſinguli in os immittuntur , nec niſi prius (1) confecti dentibus . Hinc ergo pulchra translatio eſt curae illius , quam Joſeph domus paternae gerebat : quae quia recens in Aegypto plantata ac veluti prognata fuerat , eâ cura opus habuit , quae ſe ad minima quaeque demitteret .

At aliud videntur LXX ſpectaſſe , dum ita tranſtulerunt : καὶ ἐσιτομέτρει Ἰωσὴφ τῷ πατρὶ αὐτȣ̃ , καὶ τοῖς ἀδελφοῖς , καὶ παντί τῷ οἴκῳ τȣ̃ πατρὸς αὐτȣ̃

(1) Hoc nim. illud Ciceronis de pueruiis eſt in 2. de Orat. lib. II. 162. *Omnes tenuiſſimas particulas , atq; omnia minima MANSA , ut nutrices infantibus pueris , in os inſerant* .

τῦ σῖτον κατὰ σῶμα. *Et dimetiebatur Joſeph patri ſuo & fratribus, & omni domui patris ſui triticum ſecundum corpus*. Quis non putaſſet, in LXX reſidere mendam, ac pro κατὰ σῶμα legi debere κατὰ στόμα, *ſecundum os*, ſive *ad os*, ita ut reſpondeat Hebraico לפי הטף *lephi battaph*, quod hîc legitur, quodque initio explicavimus? Tamen nulla vetus lectio huic correctioni favet: imo auctores Italae veteris haûd aliter legerunt, quam in LXX legitur hodie. Nam in Italica apud Auguſt. qu. 158. ita hic locus habet: *Et metiebatur triticum patri ſuo Joſeph . . . triticum ſecundum corpus*. Apparet igitur LXX eamdem voluiſſe ſententiam exponere, quae in Hebraeo eſt, ſed aliâ veſtiviſſe figurâ. Κατὰ σῶμα idem eſſet ac *corporatim*, ſi ſic loqui liceret; nam κατὰ hîc diſtributivum eſt. Scitum eſt ſervos pro σώμασιν i. e. meris corporibus habitos (exempla plurima H. Steph. in Σῶμα ſuppeditabit) quibus quia nihil aliud quam nutrimenta debebantur, hinc illa locutio in vet. epigrammate, Σώματα πολλὰ τρέφειν, *famulos multos alere*, ſive copioſam *familiam*; nam *familia* ſervile eſt nomen. Ceteroqui in ſuperiore hiſtoria Jacob ejuſque filii veluti in ſervitutem Pharaoni ſe dedunt, ſi minus re, at ſaltem ſubjectiſſimae demiſſionis inſtar: vide Gen. XLVI. 34. & hîc ſup. v. 3. & v. 4. Ergo domui Jacob, tamquam ſervili familiae, demenſa famulis debita Joſeph ſubminiſtrabat; eoque Seniores verbo utuntur ἐσιτομέτρει h. e. demenſum ſingulis veluti famulis diſtribuebat. Apud Romanos in menſes ſingulos frumenti modii quaterni ſervis debebantur, teſte Donato ad Phormionem; id vero σιτομέτριον vocabatur.

Vix haec ultima a me ſcripta cum jamjam compingenda typographicis formis traditurus eſſem; me tamen adhuc de ultimo monoſyllabo טף (*taph*, *parvulus*) cura ſollicitabat, quaerentem cur *Seniores* pro *parvulo*, σῶμα i. e. *corpus* reddiderint. At tandem apparuit, totam hujus loci maculam non in LXX (apud quos locus eſt incorruptus) verum in Hebraico monoſyllabo טף *taph* reſidere, cujus loco tempore Senum illorum גוף *guph* i. e. *corpus* puto fuiſſe lectum. Qui ſcis, inquis, in Hebraeo, ac non potius in deſcribendis LXX erratum fuiſſe? Res ipſa loquitur; quia de duabus tantum Hebraeis litteris, mutationem longe leviſſimam paſſis, agitur. Nam *Gimel* & *Vau* juxta ſe poſitae ſyllabam גו *Gu* efficiunt: quod ſi eaedem litterae paullum in imo coëant, jam littera *Teth* ex binis illis exſiſtet, & addito *Pe*, fiet *Taph* i. e. *parvulus* loco τῦ *Guph* i. e. *Corpus*, quod in Hebraeo erat tempore Seniorum. At nihil tale in LXX tranſcribendis factum comminiſci poſſumus. Ergo in Hebr. olim haud dubie legebatur (ſicuti & nunc quoque puto legendum) לפי הגוף *lephi bagguph*: quod rectiſſime ſeniores κατὰ σῶμα i. e. *ſecundum corpus* (ſive *corporibus ſingulis*) verterunt. Nam τὸ לפי *lephi* non tantum hîc, ſed etiam Lev. XXVII. 16. apud LXX cum κατὰ permutatur; ſicuti & כפי (*chephi*) & על פי, *al pi* (quae duo idem ac *lephi* ſignificant) Seniores paſſim per κατὰ reddunt.

Si quaeras quam mox poſt LXX Hebraeum illud monoſyllabum depravatum fuerit; admodum mature ajo id videri factum, quia Onkeloſum non aliter in Hebraeo legiſſe quam hodie exſtat, ex ejus paraphraſi conſtat, in qua extremo hoc commate ſcribitur: לפום טפלא, *lephum taphla*, quod exacte reſpondet Hebraeo hodierno *lephi battaph*. Par de ceteris interpretibus ratio, ac maxime de Hieronymo: qui duo haec ultima fontis Hebraici verba (ceteroqui minime neceſſaria ſententiae) tranſilire maluit, quam parum exacte reddere.

AD

Digitized by Google

AD GEN. XLVII. 18. 19.

Ver. 18. *Venerunt quoque* (ad Joſeph) *anno ſecundo* (calamitatis) *& dixerunt* . . . *nec clam te eſt , quod, abſque corporibus & terra, nihil habeamus* (v.19.) *Cur ergo moriemur te vidente? Et nos & terra noſtra tui erimus : eme nos in ſervitutem regiam , & praebe ſemina , ne pereunte cultore redigatur terra in ſolitudinem*] *Annum ſecundum* non ab initio primo calamitatis auſpicari oportet , ſed ex quo greges Pharaoni divenditi fuerant . Quare qui hîc *ſecundus* dicitur, facile quartus ab initio ſterilitatis erit . Ergo divenditis omnibus , quarto demum quintove anno terram univerſam ſeque ipſos in ſervitutem regiam tradiderunt , acceptis ſeminibus tam ad alimenta (nam de his quoq. vox *ſeminum* & σπερμάτων fort. uſurpatur) quam ad ſerendum , ſed in humilioribus tantum novalibus , quae poſſent vomeris ſtricturam admittere . At de remotioribus ab amne latifundiis (quae longa ſiccitate durata , dente vomeris appeti minus poterant) capiendum eſt illud ſup. cap. XLV. 6. *Adhuc quinque anni reſtant , quibus nec arari poterit , nec meti* . Quamvis hoc ceteroqui videretur univerſe dictum , ita ut excipiantur excipienda; ſiquidem in talibus effatis non ſingularia , ſed τὸ καθόλον ſpectari ſolet . Τὸ καθόλον quidem h. e. agri pars maxima non admittebat prae ſiccitate culturam . At quia hîc inclamant Joſephum , *Praebe ſemina* ; id argumento eſt , in demiſſioribus locis , quoad exire Nilus inundans potuiſſet , fuiſſe ſemper ſemina fulcis commiſſa . Praeſertim cum hîc *Semina* de eſculentis (2) accipi poſſe , incertiſſimum videatur .

Ver. 19. *Cur ergo moriemur , te vidente? Et nos & terra noſtra tuî erimus : eme nos in ſervitutem regiam*] Haec eadem ex Hebr. in Polygl. Waltonianis ita redduntur : *Vt quid moriemur in oculis tuis ? (Etiam nos , etiam terram noſtram) eme & nos & terram noſtram pro pane: & erimus nos & terra noſtra ſervi Pharaonis.* Quae ſub initium uncis interpoſui , ea in polyglottis ad ſequens *Eme* referuntur, unde & quarto caſu redduntur : at prave , quia ad priora pertinent hoc modo , *Cur moriemur in oculis tuis tam nos quam* (3) *terra noſtra?* Deinde ſeorſum ſequitur: *Eme & nos & terram noſtram pro pane* . Ita Rex tum capitum tum totius Aegypti dominus evaſit . In fine ſequitur : *Et erimus nos & terra noſtra ſervi Pharaonis* ; recte : quia tam nos quam terram noſtram Pharaoni pro pane diſtraximus . Quod tam ſe quam terram ſuam *ſervos* Pharaonis pro pane ſore ajunt, ut in Heb. dicitur, id etiam Seniores (apud quos pulchre hic totus locus vertitur) eleganter expreſſerunt : Καὶ ἐσόμεθα ἡμεῖς , καὶ ἡ γῆ ἡμῶν ΠΑΙΔΕΣ τῷ Φαραῷ . Vbi non minus Terra , quam cultores Aegyptii dicuntur παῖδες, *Pueri* i. e. ſervi Pharaonis . Haec ſervitus capitum cujuſmodi fuerit mox diſcutiemus . At fundorum ſervitutis hoc antiquiſſimum exemplum reperio , in quo non modo rem , ſed etiam nomen ipſum *ſervitutis* praediorum, plane ut apud Romanos , invenio . Nam , ſi de

(2) Vox *Semen* Graece ac Latine non tantum de iis quae feruntur , ſed & de ἐδωδίμοις ſive eſculentis uſurpatur . Apud Graecos legumina vix aliter quam σπέρματα dicuntur , ut παρεψήματα ἐκ σπερμάτων ſunt *pulmenta ex leguminibus* . Memini & Latinos *Semina* in eſculentis uſurpaſſe , ſed loca ad manum non ſunt . Plin. Paneg. cap 30. pro *frugibus* h. e. alimentis poſuit: *Aegyptus alendis augendiſque ſeminibus ita gloriata eſt* . At Hebraeos hac notione uſurpaſſe non reperio : ita ut hîc *ſemina* non tam ad alimoniam , quam ad ſerendum peti videantur.

(3) Agri dum ſterileſcunt , *perire* dicuntur. Martialis: *Suburbanus ne moriatur ager.* Nec ſecus dicuntur ſata ingruente calamitate *interfici* . *Interfice meſſes* , Virgilius dixit .

Digitized by Google

Graecis agitur; apud horum antiquiſſimos rem quidem ſervitutis hujus (4) licet animadvertere, ſed tacito ſemper, quod ſciam, *ſervitutis* vocabulo, niſi forte in Baſilicis aliiſq. Graecis quidem, at Juris Romani libris. Itaq. non niſi in jure Romano *ſervitutis* fundorum vocabulum celebratiſſimum video: in quo tritae ſunt illae locutiones, in quibus *locus*, *praedium*, *fundus ſervire* dicuntur, quoties hanc illamve ſervitutem debent: unde *ſerviens fundus*, vel *ſerviens praedium*, item *ſervus fundus*, aut *ſervae aedes* tritae ſunt juris locutiones. Venuſtum eſt illud Ciceronis in Agrar. *Libera* (praedia) *meliore jure ſunt quam SERVA*. Harum inquam ſervitutum praediorum pleni ſunt JCtorum Romanorum libri: quarum vocabulum (nam rem, ſat ſcio, Graeci ab antiquo tenebant) ſed earum, inquam, nomen principio ex fonte Moſaico profectum, poſtea ſive per Tyrrhenos ſive per alios quoſcumque rivos perveniſſe ad Romanos dicerem, niſi vererer ne futuri ſint, qui reprehendant, me rebus in omnibus digitum ad Moſaicos fontes intendere.

Atque hîc praeſtat animadvertere, non dici campos fore in totum regii peculii, verum fore παῖδας (h. e. *ſervos*) Pharaonis: id quod & ex eo cognoſcitur, quia quintam frugum partem regi admetiri ab eo uſque tempore veteres fundorum domini tenebantur: de quo in ſequentibus commentabimur. En quo *ſervitus* agrorum Aegypti pertinet.

Poſtremo ad capitum ſervitutem quod attinet, ſcire intereſt, ecquod iſtud genus ſervorum fuerit. *Eme nos*, inquiunt, *in ſervitutem regiam*. Ajo Aegyptios ſeſe regi mancipantes in ſervitutem, fuiſſe ſervis illis ſimillimos quos Tabula I. Heracleenſis ver. 88. ΓΕΩΝΑΣ vocat, quos ibi in Commentario pag. 225. pluribus deſcripſimus. Γαιῶναι cum ſint ex Γαῖα & ex ὤνιος (*venalis*) dicti [ſi quidem novum comminiſci nomen ad interpretandum liceat] *Terrivenalicios* dixeris. Servi hujuſmodi *glebae* addicti (ut interdum vocantur) ubinam aut ecquando non uſitati fuerunt? Eorum antiquitas ex Patriarchae Joſephi uſque aetate hîc arceſſitur. Iidem in Graecia antiquiſſimi & uſitatiſſimi, ubi θῆτες jam inde ab Homeri & Heſiodi temporibus nuncupabantur: quod nomen ab Heſychiani Lexici verbo θῆσαι, quod eſt *paſcere*, deductum oſtendi ad Tabul. Heracl. pag. 226. Adnotat. 27. & 28. Hos Athenis civium ultimi cenſus loco habitos, conſtat. Nuſquam vero hoc genus ſervorum uſitatius quam apud Romanos fuit, apud quos ſervi *Adſcriptitii* vocabantur, quorum conditionem honeſtiorem ſervis urbanis fuiſſe non eſt dubium. Verum de hoc ſervorum genere, ad quod hic Scripturae locus digitum intendit, pauca nunc hic delibaſſe ſufficiat: nam longe plura invenies ad Tab. Heracl. I. ver. 88. pag. 225. 226.

AD GEN. XLVII. 20. 21. 22.

Ver. 20. *Emit igitur Joſeph omnem terram Aegypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas prae magnitudine famis, ſubjecitque eam Pharaoni.* [Ver. 21.] *Et cunctos populos ejus a noviſſimis terminis Aegypti uſque ad extremos fines ejus* [V. 22.] *praeter*

[4] Inter leges Atticas quas Petitus accurate collegit [ac poſtea ex Petito Potterus in collectione legum, quas inſeruit extremo lib. I. ſuae Archaeol.] plures extant ſub titulo *Finium regundorum*, quae de meris fundorum *ſervitutibus* agunt. Tamen nuſquam invenias δουλείας (*ſervitutis*) uſurpatum nomen. Ex quo liquido conſtat apud illos jura quidem ſervitutum comperta & obſervata fuiſſe, at ſervitutis abfuiſſe nomen. Quod ſane vocabulum Latini facile ex Tuſcis arripuerant, qui huc ex Oriente illud attuliſſe videntur.

Digitized by Google

praeter terram Sacerdotum . . .] Non ſimul unaque vice *Emit* . . . *omnem terram* , ſed ab eo uſque tempore exorſus, quo (ſup. ver. 19.) populi ſe Joſepho venales obtulerant (*Et nos* , dicentes , *& terra noſtra tui erimus* , *EME nos* &c.) ab eo inquam tempore per vices ſe & agros (prout iis Joſeph fruges ſuppeditaret) vendebant , ita ut in fine ſeptennii poſterioris jam terra omnis & capita per iteratas venditiones regii peculii evaſerint . Itaq. illud ver. 19. *Et nos & terra tui erimus* , *eme nos* . . . dicta fuerant famis, non ſterilitatis *Anno ſecundo*, ut aperte a v. 15. ad 20. refertur ; & ab eo anno ſecundo coepit Joſeph, prout frumenta ſubminiſtrabat, capita & agros regi acquirere . At quod hîc narratur uti jam factum (*Emit igitur Joſeph omnem terram Aegypti & cunctos populos ejus*) hoc ad annum ultimum ſterilitatis pertinet . Vide & in imo (5) adnotata .

Subjecitque eam Pharaoni] Poſt haec verba Calmetus ait in Chaldaeo , Syro & Arabe haec praeterea reperiri : *Populum vero tranſtulit de civitate in civitatem ab extremitate terminorum Aegypti uſque ad extremitatem ejus* . At equidem in Polyglottis Waltonianis in nullo interpretum trium illorum talia reperio: quae quidem verba novam κληρουχίαν , agrorumque partitionem invehunt ; cum tamen ea nova ſortitio auctore idoneo careat . Etſi veriſimilitudine minime ſpoliatur . Nam quia divenditorum fundorum , capitumque pretia ſummis acceptarum frugum non ubiq. pariter & ex aequo reſpondebant ; huic malo non aliud quam nova κληρουχία mederi potuit, uti ſcil. in fine rationes pariarent. Atque hanc novam κληρουχίαν, quam viſus mihi ſum neceſſariam ad pariandum oſtendiſſe , videtur & Artapanus firmare: qui cum illam pro prima diviſione habuiſſet, non mirum ſi ſcriptum reliquerit , Aegyptiacum agrum, cum antea ἀδιαίρετος (*indiviſus*) fuiſſet, Joſephum omnium primum populis terram Aegypti fuiſſe partitum . At quo pacto Artapani locus apud Euſebium cum Moſe componi poſſit , excuſſum in imo (6) vide.

X 2 *AD*

(5) Septennii totius oeconomia ita procedit. Ex Gen. XLVII. 15. patet, deficiente pecunia, coactos Aegyptios pecora pro pane diſtrahere. Mox v. 18 *Venerunt* . . . *anno ſecundo* (puta a diſtractis pecoribus) i.e. anno IV. ſeptennii. Tum vero paullatim agros , tandemq. ſe ipſos pro alimentis coacti vendere .

[6] *Artapani de Joſepho locus diſcutitur , cumque Moſe conciliatur* .

Euſebius in IX. Praepar. c. 23. ſic habet: *Artapanus in ſuo de Judaeis commentario , ait* . . . *Joſephum paullo poſtquam Aegyptum attigiſſet , uſque eo ſe Regi commendaviſſe , ut regni totius adminiſtrationem nactus ab eo fuerit : eumdem vero , cum Aegyptii terram ad id uſque tempus magna perturbatione coluiſſent , quod* (διὰ τὸ τὴν χώραν ἀδιαίρετον εἶναι) *NEC DVM DIVISA REGIO ESSET , ac tenuiores a potentioribus iniquius haberentur ; agrum ante omnia diviſiſſe, certiſque fines terminis deſcripſiſſe : adhaec magnam ſoli partem antea ſylveſcentem ad culturam ſubegiſſe , ſuoſque ſacerdotibus agros aſſignaſſe peculiares : menſuras praeterea inveniſſe : quibus benefactis Aegyptiorum ſibi voluntates majorem in modum devinxiſſe* . Mitto ejus auctoris cetera ad Joſephi hiſtoriam pertinentia , nec magnopere a Moſe diſſentientia .

Niſi quod in his , quae adſcripſi, a Moſe in eo diſcrepat , quod agrum ante Joſephum ἀδιαίρετον & in indiviſo cultum fuiſſe ait: contra quam hic in Moſe legitur . Quae tu ſic accipe . Agri ut ab initio ubique gentium , ita & in Aegypto indiviſi fuerant , & in indiviſo colebantur: Sed poſtea Joſeph adventu ſuo jam ab antiquo diviſos reperit: niſi quod ἀτάκτως ἐγεωργοῦντο , auctore hîc Artapano h. e. *inordinate colebantur*: id quod ad incompoſitum culturae genus , non ad partitionem pertinet. Ac ſane quod Joſeph diviſos invenerit , id ex eo colligitur , quod ſeptennio fertilitatis unuſquiſque partem frugum a ſe in ſuo collectarum Regi diſtraxerit, ut in horrea regia conveherentur. Mox iidem durante ſterilitate , eſcarum comparandarum ſtudio ſortem quiſque ſuam cum frumento regio permutare , & ſic agris ſpoliari coacti ſunt . Poſtremo ubi in fine alterius ſeptennii ſe ſimul & agros regi in ſervitutem jam vendidiſſent (uti Moſes teſtatur hoc capite) eo maxime tempore , ut rationes dati & accepti pariarent,

AD GEN. XLVII. 23. 24. 25. 26.

Ver. 23. . . . *Accipite ſemina & ſerite* . . . Ver. 24. *Quintam partem regi dabitis : quatuor reliquas permitto vobis in ſementem , & in cibum familiis & liberis veſtris* . Ver. 25. *Qui reſponderunt : Salus noſtra in manu tua eſt* . Ver. 26. *Ex eo tempore uſque in praeſentem diem in univerſa terra Aegypti regibus quinta pars ſolvitur ; & factum eſt quaſi in legem : abſque terra Sacerdotali , quae libera ab hac conditione fuit* .

Ver. 23. 24. *Accipite ſemina & ſerite . . . Quintam partem regi dabitis*] Poſtquam Rex terram, quam ſibi pro frugibus datis acquiſierat, ad ſerendum reſtituit Aegyptiis , *ſervam* non liberam dedit , uti dictum ad ver. 19. quocirca quintam fructuum admetiri Pharaoni cultores debebant . Eodem jure Romani utebantur , ubi confecto bello , agrum ex hoſtibus captum victores victis ipſis elocabant ſub praeſtatione quintae aut decumae frugum : de quo exſtat luculentus Appiani Alex. locus in I. τῶν ἐμφυλίων . Ergo ſecundum hoc jus Rex quintam ipſe praecipiebat : cetera cultoribus tamquam *γεώργαις* ſive adſcriptitiis in ſementem & alimenta relinquebat ; ſicuti ſtatim ſequitur .

Ver. 24. . . . *quatuor reliquas* (partes) *permitto vobis in ſementem & in cibum familiis & liberis veſtris* . (Ver. 25.) *Qui reſponderunt : Salus noſtra in manu tua eſt : reſpiciat nos tantum dominus noſter , & laeti ſerviemus regi*] In Hebr. pro *ſalus noſtra* eſt החיתנו (*hecheitanu*) *vivificaſti nos* . LXX σέσωκας ἡμᾶς . Itala vetus apud Ambroſ. in II. offic. *Sanaſti nos* &c.

Et laeti ſerviemus regi . Ver. 26. *Ex eo tempore . . . Regibus quinta pars ſolvitur , & factum quaſi in legem*] Recurrunt ſemper ſervitutis & ſerviendi vocabula , ex quo intelligitur , haec non dicis cauſa inculcari , ſed quia re vera ſervi adſcriptitii Pharaonis evaſerant. Hoc jure ille alter Pharao , qui Joſeph non norat , abuſus fuit , dum Hebraeos veluti mancipia tamdiu operibus duris afflixit . In pluribus antiqnis nationibus quaedam his ſimilia obſervantur : imo & hodie in pleràque Septentrionis parte id valde perſpicuum , in qua totae agricultorum familiae loco mancipiorum ſunt .

AD GENESIS CAP. XLVIII.

AD VER. 22.

Do tibi partem unam extra fratres tuos] שכם *shechem* , quod in Hebraeo legitur , LXX pro loci nomine habuiſſe videntur , quippe ſic interpretati , δίδωμί σοι Σίκιμα ἐξαίρετον ὑπὲρ τοὺς ἀδελφούς σου . De qua interpretatione vide inferne (1) adnotata . At ſi urbem intelligebat , cur *unam* addidit ? quaſi plures haberet pariarent , non dubito , quin Joſeph neceſſarium duxerit , uti per novam κληρουχίαν , novaque inſtituta partitione , coëgerit Aegyptios priſtinas permutare ſedes . Hoc modo Artapanus componi cum Moſe poteſt .

At vero ager partitione noviſſima ſingulis aſſignatus retinuit priorem *ſervitutis* naturam, de qua nos plura paullo ſuperius ad v. 19. (ubi in Hebr. legitur : *Erimus & nos & terra noſtra Servi Pharaonis*) ex qua ſervitute quintam Pharaoni ſolvere tenebantur. De quo vide mox ver. 24.

(1) Quod hîc in Hebr. legitur שכם אחד (*shechem achad*) recte Hieronymus vocem priorem non pro loci nomine habuit , quia numerale *Unam* vetat de proprio nomine cogitare . Cum Hieronymo faciunt Onkelos , Syrus , Samaritanus , Arabs .

Tamen LXX nomen illud quaſi proprium retinuerunt . Vide ſuperne eorum locum .

Digitized by Google

haberet cognomines urbes ? Melius Noſter *partem* reddidit , quomodo & illud Pſalmi LIX. 8. poteſt intelligi , *Laetabor & partibor Sichimam* i. e. portionem . Nam שכם *shechem* primario humerum ſive armum ſignificat . Tum quia armus eximia habebatur in viſceratione portio (uti conſtat ex Sam. IX. 24. ubi Sauli שוק *shok*, *armus*, tanquam praecipua pars apponitur : vide ibi dicta) iccirco *shechem* κατ᾽ ἐξοχὴν , *partem* ἐξαίρετον notat non tantum in epulo , ſed etiam in agris urbibuſve aſſignandis . Verum alii haec ad litteram de urbe *Shechem* Joſepho a genitore deſtinata intelligunt .

AD GENESIS CAP. XLIX.

AD VER. 2.

Congregamini & audite filii Jacob , audite Iſraël patrem veſtrum] Eadem & apud gentes profanas conſuetudo heroicis temporibus uſurpabatur , ut extrema morientis verba praeceptaque memorabilia filii aut cognati exciperent , quae in reliquum vitae tempus menti inſculperent . Eoque hoc ſibi negatum conqueritur Andromache , quippe quae Hectori morienti non adſtiterit ; ſic enim expoſtulat Il. XXIV. 744.

Οὐδέ τί μοι εἶπες πυκινὸν ἔπος , ὅ τέ κεν αἰεὶ
Μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα .
Nec mi aliquod dixti moriens memorabile dictum ,
Cujus ego uſque memor flerem noctesque dieſque .

Hinc porro uſque ad Benjamini benedictionem poëſis eſt , ut patet ex perpetua epexegeſi (de qua alibi a me dictum) & ex ſtylo poëtico . Ope ejus epexegeſeos varii loci illuſtrari poſſunt, ut experimento didici , docuique ubi id egimus.

AD GEN. XLIX. 6.

Quia in furore ſuo occiderunt virum , & in voluntate ſua ſuffoderunt murum] In membro altero potior eſt eruditis LXXviralis verſio ἐνευροκόπησαν ταῦρον , & Italae , *ſubnervarunt taurum* ; voluntque prius membrum ad Sichemitas ab his fratribus interfectos referri , poſterius ad Joſephum eorumdem machinatione perditum ; Joſephum enim bovis ſymbolo deſignatum multis argumentis evincunt . Equidem , ut cetera dem , illud certe aſſentiri non poſſum , ut duo haec membra diſtrahantur in diverſas ſignificantias . Nam ab initio hujus capitis tota Jacobi vaticinatio poëtico ſtylo decurrit , uti tum ex orationis ſublimitate & inſperſis

cum . Senum verba fideliter Itala vetus tranſtulit apud Ambroſium in *de bened. Patr.* cap. 3. in hunc modum : *Do tibi Sichimam praecipuam ſuper omnes fratres tuos , quam accepi de manibus Amorrhaeorum in machaera mea & arcu* . Item apud eumdem in III. *de Interpell. Patr.* & apud Hier. in quaeſt. Hebr. & Auguſt. quaeſt. 167. in Gen.

Cum autem non ſemel in Pſalmis Vulgatae verſionis *Sichimam* pro *Parte* accipiatur (ut Pſal. LIX. 8. *Partibor Sichimam* , & CVII. 8. *Dividam Sichimam* , prorſus ut in Graeco repererunt) hinc aperte conſtat , hic quoque apud antiquos *Sichimam* tantumdem fuiſſe quod *portionem* , ſed tamen ἐξαίρετον , *praecipuam* . Quod ex eo factum , quia שוק *shok* aut שכם *shechem* ſive *armus* in epulis pro eximia portione haberetur , id quod exemplo Samuelis Sauli honorem habituri oſtenditur.

Sed eo redeo . Quod ſupra dixi , a Senioribus vocem שכם *shechem* pro loci nomine uſurpari , id non eſt perpetuum , quia ab eiſdem non raro pro νῶτος *dorſum* , pluries autem pro ὦμος humerus , aut pro ὠμία ſumitur , pro ea ſcil. animalis parte quae in epulis ἐξαίρετος [*praecipua*] putabatur .

& inſperſis ubique poëticis ſchematibus conſtare arbitror, tum potiſſimum ex perpetua ἐπεξηγήσει, quae poëſeos Hebraicae praecipuus character eſt διηγηματικός. Ea autem eſt vis ἐπεξηγήσεως, ut idem per diverſas locutiones bis inculcetur. Ergo, ſi me audis, aut etiam alterum ad Sichémitas refer (quorum boves enèrvati ſint, ut uſibus colonicis redderentur inepti) aut de Joſepho utrumque interpretare, etiam prius, quem hi germani priore animi propoſito jam occiderant, niſi Ruben & Judas intercеſſiſſent.

AD GEN. XLIX. 8.

Juda te laudabunt fratres tui] In Hebraeo pulchra annominatio perſentiſcitur his verbis: יהודה יודוך (*Jehudah joducha*) quae in Latino deperiit, revictura ſi ſic transferas, *O Laus* (nam *Judae* nomen id proprie ſignat) *laudabunt te fratres tui*. Pares nominum alluſiones inſunt & in ſequentibus pleriſque filiorum Jacobi benedictionibus: quarum quaedam apertae. ſunt (cujuſmodi haec eſt de Juda, & infra ver. 16. in *Dan*, & ver. 19. in *Gad*, & ver. 22. illuſtris illa de Joſeph) aliae paullo obſcuriores uti ver. 20. in *Aſer*, ad cujus beatitatem regionis, qua nihil opimius [id quod אשר *Asher* notat] alluditur. Poſtremo in *Zabulon* obſcuriſſima eſt alluſio, de qua meram divinationem afferam ad v. 13. Nam de *Iſſachar* ad ver. 14. apertiora dabimus.

Juda te laudabunt fratres tui: manus tuae in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui] Ex Hebraeo ſic verti ad litteram poteſt: *Juda tu es: confitebuntur tibi* (ſive laudabunt te) *fratres tui: manus tua in cervice inimicorum tuorum: adorabunt te* (aut incurvabuntur tibi) *filii patris tui*. Hoc totum ſicuti ſublimiore intelligentia in Chriſto impletum fuit: ſic quomodo in Judae poſteritate verum fuerit, videamus. Davidica tempora vates reſpicit. Is rex devictis omnibus circa gentibus, Dei cultum & adorationem Hieroſolymis in Judae portione conſtituit. Adhaec, Davidem ipſum ſecundum litteram a propheta ſpectari, nihil magis oſtendit, quam quod eum a gigantis caede revertentem *laudaverunt fratres ſui*, & carmen epinicium ei cecinerunt illud, *Percuſſit Saul mille, & David decem millia*, & quae ſequuntur. Idem poſt debellatum cum hoſtibus, ab omnibus Iſraëlis tribubus rex *adoratus* fuit.

AD GEN. XLIX. 9.

Catulus leonis Juda: ad praedam, fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti, ut leo, & quaſi leaena: quis ſuſcitabit eum?]

Catulus leonis Juda] Judae adhuc juvenis virtutem bellicam praedicturus, non *leonem*, ſed juventae habita ratione, *Catulum leonis* vocavit; ſicuti & Deut. XXXIII. 22. *Dan catulus leonis*. Nec rarum eſt, in Moſe, & in Prophetis ducum fortiſſimos animalium pugnaciſſimorum nominibus deſignari: id quod antiquiores poëtae ſunt imitati: prae ceteris autem Lycophron qui ver. 1033. de Aenea vaticinans, hanc ipſam locutionem integram uſurpavit.

Τοίωσδ' ἐμός τις σύγγονος λείψει διπλοῦς
Σκύμνους λέοντας, ἔξοχον Ῥώμης γένος.
Tales relinquet congener meus duos
Catulos leones, maximum Romae genus.

Legantur ejusdem poëtae ſequentia: cujus vatis eſt hic unus ex perpetuis characteribus, ut vix aliis quam martialium animantium nominibus exornet fortes viros.

Catulus leonis Juda: ad praedam, fili mi aſcendiſti] Membrum prius *Cat.*

leon.

leon. Juda aut recto caſu & abſolute, ſubaudito *Eſt*, accipitur; aut vocandi caſu (quod magis eſt) & ad *Aſcendiſti* refertur. Deinde quod ſequitur, *Ad praedam* videbatur vertendum *De praeda*, quia in Hebr. uſurpatur particula מן (*min*) quae in omnibus lexicis non aliud quam *De* vel *Ex* notat. Atque hanc communem particulae notionem LXX ceterique interpretes amplexi fuerunt. Favet etiam quod ſequitur, *Requieſcens accubuiſti*; quia qui de venatu defaſſati redeunt, non qui vadunt, iis maxime convenit quieti ſe tradere. Tamen non eſt ſollicitanda interpretatio Vulgatae, quia, ut in Fulleri Miſcellaneis oſtenditur, τὸ *Min* pro AD non raro accipitur. Hanc vero particulae vim ſi ſequimur, ſaltem ſequentia paullo aliter ex Hebraeo transferri neceſſe erit in hunc modum: *Incurvavit ſe, accubuit quaſi leo*. Quorum explicatio videtur ejuſmodi. *Incurvavit ſe*, id enim τὸ כרע *cara* ſignificat. Nec dubito quin de incurvatione genuum ad procumbendum apte intelligatur; quia ſequitur, *Accubuit quaſi leo, & ſicut leo annoſus* (id enim לבי *labi* notat) *quis ſuſcitabit eum* (a requiete)? In his parta perpetua Judae victoriis requies deſignatur, ac requies ejuſmodi, quam nemo turbare auſit, memor ferociae, ac bellicae virtutis prioris. Atque ex his ita intellectis ſequens decantatiſſimum vaticinium pulchre fluit, *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus* &c.

Haec quidem ſimpliciter, uti poſui, enarrata pulchre ſe habent. Tamen fieri etiam poteſt, ut verba haec *Incurvavit ſe, accubuit* complectantur elegantem hypotypoſin leonis ambientis praedam, ac meditantis aſſultum; qui modo ſpinam in modum arcus circinando, modo terrae ſe applicando, ſic demum in praedam inſilit. De dorſi totius incurvatione elegans eſt Theocriti locus Idyl. 26. quod inſcribitur Ἡρακλῆς λεοντοφόνος. Ibi leo ut Herculem eſt conſpicatus, praeter alios ad pugnam ſe comparantis geſtus,

> ... Κυρτὴ δὲ ῥάχις γένετ' ἠΰτε τόξον,
> Πάντοθεν εἰλισθέντος ὑπαὶ λαγόνας τε καὶ ἰξύν.
> *Olli ſpina ingens ſeſe ſinuavit ut arcus,*
> *Vndique per lumbos per & ilia circumflexo.*

Addit deinde egregiam comparationem. Sicut, inquit, carpentario ramum magno niſu inflectente, ramus nonnunquam elapſus e manibus, longiſſime exſilit; ſic leo ille poſtquam ſe toto corpore arcuaverat, in Herculem proſilivit.

Fieri etiam poteſt, ut ſit in textu hyperbati genus, Hebraeorum poëtis familiare. Nam ſicut illud Canticorum *Nigra ſum ſed formoſa ... ſicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Salomonis*, hoc ordine recenſeri debet: *Nigra ſum ſicut tabernacula Cedar* (ex ciliciis confecta) *ſed formoſa, ſicut pelles Salomonis* rubricatae, aut elegantis coloris. Sic etiam & illud Pſalmi: *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit, in caelo & in terra*, hac verborum ſerie digeritur: *Qui in altis habitat in caelo, & humilia reſpicit in terra*. Haud aliter hoc loco corporis incurvatio ad leonem vegetum pertinebit, at accubatio & requies ad leonem annoſum. *Incurvavit ſe ut leo* (virilis aetatis) *accubuit ad quietem ut leo annoſus*. Hoc ultimum ſi non diſplicet, en totius oraculi intelligentiam: *Catulus leonis Juda* (nulla adhibenda heic diſtinctio, ſed uno ſpiritu cum ſequentibus nectendum) *ad praedam fili mi aſcendiſti*. Judae tribum cum leone animantium bellicoſiſſimo collaturus, initio ait eam jam ab incunabulis bellicae ſuae virtutis ſpecimina edidiſſe. Deinde per poëticam perſonae enallagen: *Incurvavit*

vavit ſe, *ut leo* (virilis aetatis , aſſultum meditaturus) . Hujus tribus, numeroſioris jam factae, expugnationibus urbium praeclariſque facinoribus plena eſt ſacra hiſtoria . Deinde *ut leo annoſus accubuit* , parta ſibi quiete : id quod ſub ultimis Davidis annis , & toto Salomonis regno verum fuit . Vel ſic tamen requieſcentem *quis ſuſcitabit* ? h. e. quis bello audeat laceſſere ?

AD GEN. XLIX. 10.

Non auferetur ſceptrum de Juda , *& Dux de femore ejus* , *donec veniat qui mittendus eſt*] In hoc celebratiſſimum vaticinium dabitur in fine Diſſertatio num. VIII. qua tum hoc tum forſitan ſequens etiam comma explanabitur .

AD GEN. XLIX. 12.

Pulchriores ſunt oculi ejus vino , *& dentes ejus lacte candidiores*] In Hebraeo pro *pulchriores* eſt חכלילי *haclili* , vox controverſae notionis . Sed in id ferme convenire videntur antiqui interpretes, ut in hoc vaticinio ſicuti dentes a lacteo colore commendantur , ita & in oculis per vocabulum *haclili* non aliud quam coloris elegantia in laude (1) ponatur . Niſi quod antiquitas ſatis habuit gratum amabilemque oculorum colorem in Juda hic agnoſcere : verum genere coloris deſignando ſuperſedit , aut nemo liquido expreſſit .

Me tamen plura ſuadent , uti per Hebraicum *Haclili* nigrorem potius oculorum , quam quidquam aliud in Judae oculis notari credam . Nam I. candori lactis niger color e regione opponitur : in his autem Jacobeis carminibus aut eadem ſententia bis repetitur , aut contraria dicta e regione opponuntur . II. Non temere color oculorum ſimilis vino dicitur , ut dentium lacti ; quia vinum apud antiquos *nigrum* dicebatur, idque epitheto perpetuo, ut illud ψαμμακόσιοι Homericum αἴθοπα οἶνον , *Nigrum vinum* , & ſimilia . III. Adhaec oculorum nigritudo in maxima laude ponebatur . Hor. *Et Lycum nigris oculis nigroque Crine decorum*. Quod & alibi verbis totidem repetit : *Et Lycum nigris oculis nigroque capillo* . Hinc non immerito Vulgatus interpres poſuit *Pulchriores oculi ejus vino* , quia in oculis niger potiſſimum color ſe ſemper probavit . IV. Poſtremo non leve illud eſt , quod , ut alibi me oſtendiſſe memini , ab hac Hebraica voce *Haclili* & AQVILVS color id eſt fuſcus (de quo vide [2] Voſſium) & *Aquila* avium regina nomen eſt adepta , nim. a nigrore pennarum . Id enim nomen Tuſci omnium primi in Latio videntur *Aquilae* impoſuiſſe , quia apud hos Aquilae in auſpiciis ſupra ceteras aves obſervabantur . Atqui a Chanaanitide primum , aut ab Oriente certe in Italiam venere Tuſci, ut alibi ſaepe oſtenſum fuit. Vocarunt autem

(1) LXX χαροποιοί reddiderant: quod Irenaei interpres l. 4. c. 10. vertit , *Laetifici* : Ambroſ. de Ben. Patr. *Hilares* : Hier. in Iſa. *Gratioſi* : Rufinus l. 1. de Ben. Patr. preſſius quam alii, poſuit *Gratifici*, ne latum unguem a χαροποιοί diſcederet . At Auguſt. non ſemel *Fulvi* expoſuit. Ceterum quo ſpectet illud Cypriani l. 1. Teſt. *Formidoloſi* , non video, niſi cum quibusdam editis legatur *Formoſi* . Haec de LXX , & eorum Itala verſione .

Ceterum Onkelos hunc locum non attigit . Syrus poſuit , *Rutilantiores ſunt oculi ejus vino* . Samaritanus Judam vocat , *Gratum oculis prae vino* Arabs : *Pulcher oculis magis quam vinum* . Ex quibus efficitur , antiquos interpretes nihil aliud quam laudis argumentum in illo ignoto חכלילי *haclili* periiſſe .

(2) De colore *aquilo* i. e. *nigro* videatur Voſſius Etymologico : cui tamen non accedo in eo quod Feſto aſſentitur , qui *aquilum* colorem ab Aqua deducit , *Aquilam* autem ab Aquilo colore ἐτυμολογίζει, cum utrumque nomen ὁλογραμμάτως ab חכלילי *Haclili* h. e. *Niger* fiat .

autem חכלילי *Hachli* (unde ὁλογραμμάτως eſt *Aquila*) a nigrore utique. Ceterum vel ſi detur, Prov. XXIII. 29. per *Hachluth* rubedinem potius quam nigrorem ſignificari, id eo fit quia *niger* & *ruber* color ſibi mutuo accedunt: etenim rubrum ſaturum continuo nigrum evadit; ſicuti nigrum dilutum rubeſcit. Quocirca eadem vox utrumque colorem ſignificabat. Ac videntur antiqui Hebraeorum duo ſumma genera diſtinxiſſe colorum, *Album* & *Nigrum*: ad hos vero ceteros interjectos reduxiſſe, nempe ad illum, ad quem magis accederent. Ita factum ut ſub *Hachli* (qui proprie in hoc Jacobeo carmine niger eſt) contineretur etiam ruber, ubi maxime ad nigrum accedit, veluti ſanguis concretus. Proverbiorum locus, qui huc nos coëgit divertere, obſcurior eſt, quam ut inde certa vocabuli notio erui queat. Eum tamen locum, utpote pluries a me ſupra laudatum, in ima (3) pagella adtexui.

AD GEN. XLIX. 13.

Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione navium, pertingens uſque ad Sidonem] Conſueta annominatio hic nulla viſitur: quae tamen commodiſſima exſiſtet, modo duo ſtatuantur. I. Primum cum bis in hoc commate legatur vox חוף *choph* i. e. *portus*, idque parum venuſte, nec ſatis (4) vere; videtur priore loco (*Pe* tantum in *Lamed* permutato) legendum חול *chol*, *arena*. Nec aliud in Hebraeo legiſſe videntur ſuo tempore Seniores, ſi eorum (5) interpretatio perpendatur. II. Deinde cum ſermo Latinus pleraque vocabula, maxime ad artes pertinentia, a Tyrrhenis primis Italiae incolis hauſerit, quorum idioma non aliud quam mera dialectus (6) Hebraica fuit; hinc radix זבל *zabal*, ſive *ſabal* praeter *habitandi* & *habitaculi* notionem (quae una hodie ex ſacris Bibliis noſcitur) etiam *arenam* ſignificaſſe videtur. Ex rad enim זבל *zabal* ſive *ſabal* voces *Sabuli* & *Sabulonis* (arenam minutam ſignificantes) non aliunde, quam per Tyrrhenos in Latium pervaſiſſe neceſſe eſt.

His vero poſitis, ita & annominatio venuſta exſtabit, & prior commatis hujus pars perquam commode totidem verbis ita reddetur: *Zabulon ad arenam ma-*

[3] Prov. XXIII. 29. in Vulgata exſtat: *Cui ſuffuſio oculorum?* Nimirum חכלילות עינים *hachluth enaim* [quod Hebraiſtae hodierni interpretantur, *Rubor oculorum*] ſcite Hieronymus de eo rubore accepit, quem morbus ſuffuſionis efficit: quam Hieronymi verſionem juvat, quod ver. 30. ſtatim ſequitur: *Nonne his, qui . . . ſtudent calicibus epotandis?* Is tamen color, quem ſanguis ſuffuſus reddit, inter nigrum rubeumque medius interjicitur.

[4] Non ſatis proprie, quia non totum id littus, quod ea tribus tenuit, dici *portus* potuiſſet.

[5] LXX hunc locum ita interpretantur: Ζαβυλὼν ΠΑΡΑΛΙΟΣ κατοικήσει, καὶ αὐτὸς παρ᾽ ὅρμον πλοίων. *Zabulon ad mare habitabit, & ipſe ſecus acceſſum navium*. In quibus vides, pro לחוף ימים *lechoph jammim* i. e. *ad portum marium*, videri LXX in ſuis codicibus habuiſſe ſcriptum, לחול ימים, *lechol jammim*, *ad arenam* [ipſam] *marium*. Quid ita? quia cum Senes textûs Hebraei veſtigia ſequi plerumque preſſiſſime conſueverint; vocem *portûs* non omiſiſſent, ſi quidem in ſuis eam exemplaribus nacti eſſent: at vocem חול, *chol*, *arenam* ſeorſum exprimere non neceſſe putarunt; quippe quam vox παράλιος abunde complectitur; quia *ad oram maris* [quod eſt παράλιος] & *ad arenam maris* adſidere ne lato quidem capillo diſcrepant.

Onkelos על ספר ימיא *al ſephar jammaja*, *ad oram marium* reddidit [nec aliis verbis Syrus] quod tantumdem eſt atque ad extremam oram, ſive *ad arenam marium*. Nam id proprie ספר in Targumiſtis notat, non autem *portum*, ut in Chald. quibusdam lexicis.

[6] Tyrrhenos ex Chanaanitide, ejuſve vicinia in Italiam veniſſe, & Hebr. dialecto uſos, in Tyrrhen. Originibus [quae quidem Romae inter Cortonenſia apud Pagliarinum prodierunt] & in aliis meis opuſculis, copioſiſſime oſtenſum fuit.

Digitized by Google

rium (plurative *marium* uſurpatur , quia tribus Zabulonitis hinc Mare internum , illinc Mare Tiberiadis accolebat) *habitabit* ; *&* *idem ad ſtationem navium* (habitabit) . In iis , quae ſequuntur (*Pertingens uſque ad Sidonem*) *Sidonis* nomine non ea urbs ſola celeberrima venit , ſed univerſa Phoenicum gens . Etiam apud Homerum Phoenices paſſim in Odyſſ. Σιδόνιοι (imo & Il. ψ Σιδόνες) appellantur. Non raro enim antiquitus urbs primaria nomen genti univerſae impertiebat: primaria vero antiquitus non Tyrus (quae multo recentior) ſed Sidon erat , idque non tantum Moſaicis , ſed & (uti ſupra dictum) Homericis poſtea temporibus. Poſtremo quod *Sidonis* nomine non urbs , ſed gens intelligatur , ex eo liquido conſtat , quod Zabulonis limes (de quo hîc agitur) Carmelum non exceſſerit , qui ab urbe Sidone aberat ſaltem XL. millibus , obſervante Bocharto in Phaleg. IV. 35. Quare Zabulon non ipſam Sidonem urbem pertingebat , ſed fines Sidoniorum ſive Phoenicum .

AD GEN. XLIX. 14. 15.

Iſſachar , *aſinus fortis* , *accubans inter terminos*] Pulchre ad nomen alluditur; nam ſi τὸ *Iſſachar* in ſua componentia reſolvas , exſtabit איש שכר , *Iſh-ſachar* , *vir mercedis*; quia cum eum Lia peperit, agnovit ſibi *in mercedem* a Deo datum, eo *quia* (inquit Gen. XXX. 18.) *dedi ancillam meam viro meo* . Verum hîc altera nominis ratio notatur . *Iſſachar* enim eſt *vir mercedis* , ſive *mercenarius* , ad laborem aptiſſimus , eaque de cauſa cum aſino , laborum perferentiſſimo comparatus . Nec vero quivis aſinus , ſed *aſinus garem* in Hebr. dicitur , h. e. aſinus ex validis oſſibus compactus , qui proinde perpeti quidvis operum queat .

Accubans inter terminos] Vltimam vocem (משפתים *mishpetaim* , quae eſt inter δὶς λεγόμενα , quia in Bibl. bis tantum occurrit) quidam *binas ſarcinas* (ne forte ab aſini allegoria diſcedatur) interpretantur . At malo ſequi Seniores , qui [κλήρων] *inter ſortes* poſuerunt . Haec enim ſolis tribus *terminis* [ea vox ab Hieronymo hîc uſurpata] ſibi in κληρουχίᾳ aſſignatis contenta , aliena non appetiit , ſed operum ruſticorum aſſiduitate detenta , ſuis finibus ſeſe continuit .

Ver. 15. *Vidit* (idem Iſſachar) *requiem* (a belli tumultu) *quod eſſet bona* . *&* *terram* (quae ſibi ſortito obtigerat) *quod optima* (ad agricolationem) *&* *ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum* [velut *aſinus fortis* , ut ſupra dixit] *factuſque eſt tributis ſerviens* , nec reluctans . Haec de tributis quando impleta , alii docuerint . Sed rurſus eo redeo . *Vidit requiem quod eſſet bona* , *&* *terram quod optima*. Iſtud *Optima* , quod in omnibus Vulgatae exemplaribus legitur , non mihi ſe plane probat , nec niſi errore amanuenſium pro *Opima* [quod rectiſſimum eſt] intruſum fuiſſe , perſuaſiſſimum habeo . Cur ita ſentiam, in ima (7) pagella, oſtendimus .

[7] Pro vocula , de qua litigatur , in Hebraeo eſt נעמה , *naema* : quod , ſi lexicis hodiernis credimus , eſt *Amoena* , *jucunda* , *delectabilis* , *pulchra* . At vero antiqui interpretes aut pro *Pingui* cum LXX , aut pro *Fructuoſa* cum Onkelo acceperant . Nunc ſi Hieronymus aut lexica , aut antiquiores interpretes ſecutus eſſet , non refragarer . At quid iſtuc ſibi vult , quod poſuit , *Optima* ? *Vidit requiem quod eſſet bona* , *&* *terram quod OPTIMA* . An gradatione iſta leviſſima [ex *Bona* ſcil. ad *Optimam*] dicemus delectatum Hieronymum ? At puerilia iſta a maſculo viri magni ingenio abhorrere ſcimus . Deinde cum Doctori maximo bini praeluxiſſent probatiſſimi interpretes , Chaldaeus Onkelos [qui *Fructifera* vertit] nec non LXX Seniores omnium vetuſtiſſimi [in quibus redditur πίων : quod recte Itala vetus apud Ambroſium traduxit *Pinguis*] cur neutri interpretamento veriſſimo Hieronymus acceſſit ? Quid cauſae eſſe dicam ? niſi quod Hieronymus quidem OPIMA

Digitized by Google

dimus. *Requiem*, inquit, *quod eſſet bona*, *&* *terram*, *quod OPIMA*. Ita prorſus Hieronymus ſcripſiſſe videtur.

AD GEN. XLIX. 16. 17.

Ver. 16. *Dan judicabit populum*, *ſicut & alia tribus in Iſraël*] Aperta eſt annominatio, nimirum quia *Dan* Hebr. eſt *judicare*. Hoc totum vaticinium de Sampſone judice exponitur, in quem & ſequentia conveniunt.

Ver. 17. *Fiat Dan coluber in via*, *ceraſtes in ſemita*, *mordens ungulas equi*, *ut cadat aſcenſor ejus retro*] Haec pulchre in Sampſonem quadrant, non minus inſidiis, quam vi & inaudito membrorum robore hoſtes proſtrantem. Videtur hoc comma non inauditum Tyrrhenis fuiſſe, utpote ex Chanaanitarum genere profectis. Nam hinc ortum videtur, ut inter laeva iter agentium auguria anguis occurrens haberetur. Horatius III. Od. 27. inter alia quae imprecatur impiis profecturis, hoc etiam poſuit:

Rumpat & ſerpens iter inſtitutum,
Si per obliquum ſimilis ſagittae
Terruit mannos.

Hoc enim ex Jacobeo iſto oraculo fluxit: *Mordens*; inquit, *ungulas equi*, *ut cadat aſcenſor ejus retro*.

Nec dubito quin multa talia a ſerpentibus auguria Orientales ceperint; quando apud eos a נחש *nachas* (*ſerpente*) Hebraicum augurandi verbum deducitur: niſi vero contra a *nachas* (quod eſt *augurari*) quaeſitum apud Judaeos fuerit *ſerpenti* nomen.

AD GEN. XLIX. 24.

Diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum illius (Joſephi) *per manus Potentis Jacob*] Joſephi eductionem e carcere *Potenti Jacobi* i. e. Deo oraculum tribuit. Et quidem τὸ אביר יעקוב *Abir Jaacob*, i. e. *Potens* aut *Fortis Jacobi* unum eſt ex Dei nominibus pluries in Scripturis obvium, ut Iſaiae XLIX. 26. & LX. 16. Item bis Pſ. CXXXI. [Heb. 132.] 1. & 5. Adde Iſaiae X. 13. ubi tamen litera *Caph* ab initio additur, ut ſit כאביר, *Cabir* inſerto א. Poſtremo ſemel apud eumdem Iſaiam I. 24. alterum Jacobi nomen nempe *Iſraël* cum *Abir* nectitur, ſcribitur enim *Abir Iſraël*. Crediderim autem ex lucta Angeli [qui Dei perſonam ſuſtinebat] cum Jacobo id Deo nomen quaeſitum. Quamvis enim Jacob Deo praevaluiſſe dicatur ex eoque *Iſraëlis* nomen inveniſſe; tamen idem iſchiadicus ex palaeſtra diſceſſit, unde Deus *Potens Jacobi* aut *Iſraëlis* vocatus.

Ceteroqui τὸ אביר *abir* interdum etiam de hominibus uſurpatur, qui & כברים, *cabirim* ſaepius dicuntur: quae vox in Hebraeo Jobi XXXV. 36. bis ponitur, ſed ita ut uno eodemque loco ſemel Deo, rurſus hominibus tribuatur. *Ecce*, inquit, *Deus* (Hebr. *Cabir*) *Potens*, *& non abjiciet* (Hebr. *Cabir*) *potentem*.

Haec eo pluribus enarravi, ut appareat, quo ex fonte *Cabirorum* religio ad plurimas orbis partes manarit, qui Graecis quidem Orientali retento vocabulo

 Κάβειροι,

MA ſcripſerat [qua interpretatione & cum LXX conſentiebat, & tamen voculâ tenus, non notione, ab Itala paullum diſcedebat, idque more ſuo, ne videretur Italam deſcripſiſſe] ergo, uti dixi, Hieronymus OPIMA haud dubie ſcripſerat: at mox primum amanuenſium, deinde typographorum inſcitiâ, ignotius illud *Opima*, inſerto T, in *Optima* perverti contigit. Haec adnotanda cenſui, ne typographicum σφάλμα Doctori Maximo tamquam auctori tribuatur.

Κάβειροι , Latinis autem *Divi potes* dicti inveniuntur . Mihi non eſt dubium quin veri Dei nomine , quo ſive *Abir* , ſive *Cabir* vocabatur , abuſus de more diabolus fuerit , nomenque iſtud ad ſalſa numina traducere ſtuduerit . Id primum ex eo evincitur , quod non aliorum ope quam Phoenicum , *Cabirorum* ſuperſtitio propagata fuerit : quos utpote Hebraeorum accolas , & Hebraica dialecto uſos , & cognoviſſe theologiam Iſraëliticam , & eam more ſuo corrupiſſe , notiſſimum eſt . Hinc Sanchoniathon apud Euſebium Saturnum ait Berytum aſſignaſſe Neptuno & Cabiris . Ergo primum religionis Cabirorum ὁρμητήριον (*arx*) Phoenice fuit : deinde primaria *Cabirorum* ſedes Samothracia fuiſſe ſcribitur , hiſce numinibus ſacra , quibus & Lemnus & Imbrus , aliaeque plures tum continentes tum inſulae item ſacrae fuerunt . Sic enim ſe res habet . Phoenicum navigationibus cum nullus Aſiae , nullus Europae receſſus impervius fuerit , hinc nuſquam non impreſſa Cabirorum ſuperſtitionis veſtigia reperiuntur . Videatur Bochartus in Phoenicum coloniis , praecipue ubi de Samothracia , Huetius aliique . Ne Tyrrhenos quidem expertes ſacrorum iſtorum fuiſſe , alicubi reperio , perque hos Latium eisdem imbutum : niſi quod *Cabiri* in vetere Latio *Divi potes* reddito Latine vocabulo dicebantur . Haec de *Cabiris* gentilium ſumma capita : quorum nomen atque religio haud dubie a Sacri Codicis אביר *Abir* , & כאביר *Cabir* , itemque pluries כביר *Cabir* (is eſt *Jacobi Potens* , ſive *Fortis*) ad gentiles traducta , ſimul autem corrupta a Phoenicibus auctore diabolo fuit .

AD GEN. XLIX. 32.

Collegit (Jacob) *pedes ſuos ſuper lectulum* , & *obiit*] *Colligere* αὐτολεξεὶ ex Hebr. אסף *aſaph* expreſſit Vulgata aptiſſime ad id, quo de agitur . Nam morituros niſus ipſe , quo ſpiritus exhalat e corpore , cogit crura quamlibet divaricata colligere atque diſtendere (unde apud Italos *Stendere i piedi* tantumdem eſt , quod emori) atque ita directos artus ad poſitum honeſtatis componere . Ac ſi quo caſu morituri id minus feciſſent , hoc vitâ functis , dum adhuc membra calentia obſequerentur , vivi praeſtabant officium , idque Graecis dicebatur ὀρθοῦν , *dirigere* . Euripides *Hippolyto coronato* ver. 776.

Αγγ. Ο'ρθώσατ' ἐκτείνοντες ἄθλιον νέκυν ,
Πικρὸν τόδ' οἰκούρημα δεσπόταις ἐμοῖς .
Χο. Ο'λωλεν ἡ δύστηνος , ὡς κλύω , γυνή ,
Η'δη γὰρ ὡς νεκρόν νιν ἐκτείνουσι δή .
Nuntius. *Miſerum cadaver dirigentes tendite :*
Miniſterium acerbiſſimum heu heris meis .
Chorus. *Jam periit infelix mulier , ut audio ,*
Eamque tendunt gratia , utpote mortuam .

AD GENESIS CAP. L.

AD VERS. 2. 3.

Ver. 2. *Praecepitque* (Joſeph) *ſervis ſuis medicis , ut aromatibus condirent patrem* . Ver. 3. *Quibus juſta explentibus , tranſierunt quadraginta dies ; iſte quippe mos erat cadaverum conditorum . Flevitque eum Aegyptus ſeptuaginta diebus .*

In Jacobi funere enarrantur Juſta ejus Patriarchae duplicia , quorum deſcriptionem hoc caput complectitur . Priora fuere Aegyptia : quae ita dico , quia ab

Aegyptiis ,

Digitized by Google

Aegyptiis, inq. Aegypto perſoluta, de quibus hîc v. 2. & 3. agitur. Altera Iſraëlitica voco; quia ab Iſraëlitis in Chanaanitide (in qua Jacob foderat ſibi ſepulcrum) poſt reportatas illuc Patriarchae reliquias peracta fuerunt: de quibus agitur hoc ipſo cap. a ver. 7. ad 11. Atque haec altera nihilo minus hîc *Planctus Aegypti* ver. 11. vocantur; ſed non alia de cauſa niſi ob frequentem comitatum aulicorum & nobilium Aegyptiorum exſequias ad uſq. Chanaanitidem deducentium.

A prioribus ordior. Haec ergo a quibus hoc caput incipit, vocari Aegyptia juſta volui, non tantum quia in Aegypto, ſed etiam quod more Aegyptiaco ab Joſepho Aegypti prorege peracta: quod totum oſtenditur ex verbis illis, *Praecepit* (Joſeph) *ſervis ſuis medicis* (Aegyptiis utique) nec non ex illis, *Flevitque eum Aegyptus LXX diebus*, haud dubie Aegyptio ritu: quos ritus in illo nationis exordio omni ſuperſtitione caruiſſe, jam ſupra monui ad Gen. XLIII. 32.

Atque haec Aegyptia juſta hîc deſcripta duabus conſtabant partibus, primum curatione corporis, deinde luctu. Conditura corporis quadraginta diebus, luctus ſeptuaginta hoc ver. 3. perfici dicitur. Tamen haec ſpatia temporum, totamque juſtorum funebrium rationem ſub Joſepho quidem Aegypti prorege hîc ſervatam dicendum eſt: at eamdem poſtea variaſſe apud Aegyptios, ex duobus hiſce Moſaicis commatibus cum Herodoti Muſâ II. cumq. Diodoro collatis fatendum eſt. Nam I. in Herodoti lib. II. cap. 85. a luctu tum mulierum tum virorum initium capitur, quem ſequitur ταρίχευσις (*curatio*) cadaveris: at contra in Moſe ταρίχεια (*conditura*) de qua ver. 2. prior eſt luctu. II. Condiendo corpori hîc XL. tantum inſumuntur dies, at in Herodoto tempus (1) immenſum utpote in opere longiſſimo. III. Contra vero Herodotus luctui a ſe deſcripto parum impendit (2) temporis: at Moſes luxiſſe Joſephum Aegyptios dies ipſos LXX (3) docet. Si in paucis hiſce rebus quas ſolas tetigit Moſes, tanta Herodoti tempore invecta mutatio; quantum in cetero rituum apparatu, quos Herodotus & Diodorus deſcribunt, at Moſes tacet, variatum, praeſertim poſt mille, & quod excurrit, annos cenſebimus? His in univerſum explanatis, jam in verba ſacri ſcriptoris haud pluribus animadvertam.

Ver. 2. *Praecepitque ſervis ſuis medicis*] In Hebr. רפאים *rephaim* i. e. *medicis*. Et ita ceteri veteres omnes interpretes exceptis Senioribus, qui ἐνταφιαςαῖς maluerunt, h. e. (ut Itala reddidit) *ſepultoribus* (4). Herodotus quidem

(1) Conditurам Aegyptiam primi generis in optimatibus adhibitam, qualem Herodotus deſcribit, non dierum ſed plurium menſium opus fuiſſe, ex eo conjici poteſt, quod in ſimpliciſſima tertiae ταριχείας ratione, in inferioris fortunae perſonis adhibitâ, tamen per LXX dies corpora condiuntur, atque ita reportanda traduntur. Quid ergo de operoſiſſimâ primi generis conditura putandum?

(2) Nec enim ille ſaeviſſimus ſeſe nudos per vias verberantium planctus potuit eſſe diuturnus.

[3] Certe in hoc luctu nullae in ſe plagae, nihil tragicum, nihil in ſemet ſaevitum, ſed uti puto, abſtentum dumtaxat a voluptatibus: in ceteris maxima ſerietas. Tamen luxerunt per dies LXX.

[4] Seniores pro רפאים *rephaim* [quod apud omnes interpretes notat *medicos*] cur ἐνταφιασταῖς poſuerint, ea cauſa fuit, quod etſi apud Aegyptios ipſoſque Hebraeos *Medici* nomen tam late pateret, ut etiam de cadaverum conditoribus uſurparetur; at ſibi ipſis, qui Graece ſcriberent, id non permitti putarint: unde proprium funeratoribus nomen ἐνταφιαστὰς uſurparunt: quod in Anthol. lib. 2. aperte a medico diſtinguitur, Ἰατρὸς Κρατίας, καὶ Δάμων ἐνταφιαστής. Hoc vero nomen non merum *Sepultorem* [quod Itala vetus hîc pro ἐνταφιαστὰς adhibuit] hîc notat, ſed etiam *pollinctorem*, cumque qui cadaver ad ſepulturam curat: quod Ennius pulchre expreſſerat:

Tarquinii.

Digitized by Google

dem apud Aegyptios narrat ſingulis morbis partibuſque corporis ſuos fuiſſe peculiares medicos : id quod etiam apud Romanos (5) uſurpatum . Ceterum qui hîc ad condiendum delecti fuerunt , ad quodnam eos medicorum genus referemus ? Sane ſi inciſionibus ad interanea extrahenda iſti utebantur , hos non immerito inter medicos chirurgos referemus, ſin ablutionibus & unguentis in curando Jacobo fuere contenti, tum licebit eos *pollinctores* nuncupare , aut γενικῶς funeratores.

Atqui hoc , inquis , ipſum ſcire praeſtat , utrum lotiones , aromata , aliaque adſtringentia , aut quodlibet genus unguinis dumtaxat uſurparint hi medici , quos curando corpori paterno Joſephus admovit , an more Aegyptiorum Herodotei temporis eviſceraverint antea ſenem , uti poſtea exſiccarent medicamentis & commendarent aeternitati . Equidem ita ſtatuo, non exenteratum fuiſſe Jacobi cadaver : id quod ſub Joſepho nondum in Aegyptiorum mores inductum arbitror . Ac vel ſi jam tum uſurpari coepiſſet , tam cruentam condiendi rationem Joſephi in parentem pietas haud paſſa eſſet ; praeſertim cum duo alia ſimpliciora ταριχεύσεως genera ab Herodoto deſcribantur , quae minus operae , nihilque ſimul lanienae continent . Equidem Jacobi conditurام ad tertium genus illud retulerim , quod Herodotus lib. II. cap. 88. pauciſſimis deſcribit : cujus ſumma rerum haec eſt : συρμαίῃ διηθήσαντες τὴν κοιλίην &c. *Syrmaeâ* (6) *ubi ventrem percolaverunt* ,

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit ,

ad ſepulturam ſcil. Ergo hoc totum officium ἐνταφιάζειν dicebatur : exempla apud H. Steph. reperies . Ergo recte Seniores ἐνταφιασταῖς ſcripſerunt pro *pollinctoribus* : tametſi funeratores Aegyptii & Hebraei multo plura quam ceterarum nationum facerent , itaut in fines medicorum irrumperent , ſibique arrogarent *medicorum* nomen .

[5] In veteribus marmoribus non ſatis eſt vocari aliquem *medicum* , niſi etiam quodnam medicinae genus fecerint, doceatur . Itaque alius inſcribitur MEDICVS OCVLARIVS , alius MEDICVS CHIRVRGVS , alius MEDICVS CLINICVS . Atque erat aliquis qui ad plura ſimul valebat , ut ille apud Grut. CD. 7. *P. Decimius . P. L. Eros. Merula. Medicus. Clinicus. Chirurgus. Ocularius* . Is dicebatur *Clinicus* , qui [quod ea vox Graece notat] in lecto jacentibus medebatur , quod patebat latiſſime . Martialis ita de Diaulo quodam jocatur :

Chirurgus fuerat, nunc eſt veſpillo Diaulus .
Coepit, quo poterat, Clinicus eſſe modo.

Veſpillonem ideo *Clinicum* ridendo vocat, quia non niſi in lecto decumbentes a veſpillonibus efferebantur .

[6] *De ſyrmacae viribus , magnoque apud Aegyptios uſu, maxime in purganda ope clyſteris mortuorum alvo .*

Syrmaea quid hoc loco ſit , conjici magis , quam certo affirmari poteſt . Videatur prae ceteris H. Steph. in Ind. Theſauri in hac voce , ubi & veteres plures novoſque ante ſe laudat . His jam licebit & ſequentia adjicere . Porro συρμαίαν praeter cetera ad alvum dejiciendam imo & ad ciendum vomitum valuiſſe , inter antiquos convenit . In uſu vero maximo apud Aegyptios fuiſſe , conſtat ex Ariſtophane Pace ver. 1252. & ex Theſmophor. ver. 864. Vtrobique vero vetera ſcholia & Biſetus conſulendi , ac maxime Suidas in Μελανοσυρμαῖον λεών . Quo loco nolim cum Kuſtero vertere , *Populum nigrum & ſyrmaea potione utentem* [Aegyptus autem intelligitur] ſed potius , *Populum nigra Syrmaea utentem* .

Verum his omiſſis , ad locum Herodoti, qui ad manus eſt , redeo . *Syrmaeâ* , inquit , *ubi alvum percolaverunt* . Syrmaeam fuiſſe ad purgandum efficaciſſimam , ſatis ex omnibus antiquis conſtat . Verum hic de cadaveribus agitur : in quae quis unquam audivit, ſive ſuperne per gulam , ſive inferne per ſedem remedia ingeri licuiſſe ? imo & revera ingeſta fuiſſe , ac mox percolationem ſecutam, eumque primum fuiſſe gradum ad tertium illud ταριχεύσεως genus ? Tamen locus hic non aliter exponi poteſt , quam ſi re vera injecta ſyrmaea in mortuos fuerit . Imo ea injiciendi ratio paulo ſuperius h. e. cap. 86. ab Herodoto traditur , ubi de mediocri condiendi ratione loquitur in hunc modum . *Eos autem qui mediocria volunt , nimium fugientes ſumptum , ita apparant . Poſt clyſteres unguine , quod e cedro gignitur , completos, idemque in mortui*

colaverunt, condiunt per dies ſeptuaginta, atque ita demum iis, qui cadaver attulerant, tradunt reportandum. Haec eſt Herodoti ſimpliciſſima non exenterato corpore ratio, cui tamen hiſtoricus ſeptuaginta dierum ſpatium praeſcribebat. Atqui mihi, cum hic videam S. Patriarchae condituram non plus XL. duraſſe dies, dubium non eſt, quin Jacobum, intactis interaneis, ſatis viſum fuerit vino palmeo aliove lavacro de more perlui, dein myrrha, cedro, & ſalibus adſtringentibus in Aegypto uſurpatis durari per dies XL. quos hîc Moſes Jacobi condituræ aſſignat.

Flevitq. eum Aegyptus ſeptuaginta diebus] Expleta corporis conditura, ſequitur ſollemnis LXXdialis luctus ab Aegyptiis perſolutus. Numerus LXX illam hebdomadam dierum unam, qua luctus ſimplex perſolvebatur (ut infra ad v. 10. dicam) decies continet. Non potuit hîc celebrior luctus excogitari, quam is qui ſimplicem decies contineret. Ex his porro indiciis aliiſque ſequentibus (infra a v. 7. ad 11.) pietatis Aegyptiorum in Jacobum ac filios veri Dei cultores, addita Regis eximia in eoſdem clementia, ſatis apparet, Aegyptios non dum ſeſe idololatria polluiſſe, uſque ad Joſephi ſaltem proregis tempora.

AD GEN. L. 10.

Vbi celebrantes exſequias planctu magno atque vehementi, impleverunt ſeptem dies] Planctus hic refertur non ad ſolam Jacobi familiam, ſed ad omnem Aegyptiorum comitatum proxime deſcriptum. Atqui ſup. ver. 3. Aegyptiorum luctus decluplo major fuerat. Cur hic ad ſeptimanam reſtringitur? Sane luctum illum qui a recenti adhuc obitu perſolvebatur, decuit longe diuturniorem eſſe hoc, qui diutule poſt interitum inſtauratur. Jam vero inter longiſſimum decem hebdomadarum breviſſimumque unius, reperio & medium alium luctum trium hebdomadarum, ut in inſcriptione Norica apud Fleetwood pag. 181. num. 1. CILINENSES · XXI · DIES · ATRATI · LVCSERVNT. Item ead. pag. n. 2. NOREENSES · XXI · DIES · ATRATI · LVXERVNT. Nego tamen perpetuum hoc fuiſſe, ut lugendi tempora ex tot hebdomadibus dierum componerentur. Vt ecce Num. XX. 30. ſcribitur, *Omnis autem multitudo videns occubuiſſe Aaron, flevit ſuper eo triginta dies*. Et Deut. XXXIV. 8. *Fleveruntque eum* (Moyſen) *filii Iſraël . . . triginta diebus, & completi ſunt dies planctus lugentium Moyſen*.

AD GEN. L. 19.

Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?] Heb. התחת אלהים אני *batahat Elohim ani. Num pro Deo ſum?* Hoc idem Gen. XXX. 2. totidem verbis ſcribitur, ſed ita, ut ibi optime fluat Hebraica verborum conceptio: hîc non item. Niſi forte vocem *Helohim* hîc pro judicibus (quod non raro occurrit) ſumas. Num ſeveri judicis partes agam erga vos? Minime. Maxime quia cum Deus vobis propitium ſe praeſtiterit, & me quoque vobis placabilem fieri conveniens eſt.

AD

mortui alvum injectum, ipſum neque ſcindentes nec interiora extrahentes (κατὰ δὲ τὴν ἕδρην ἐνθέντες) *ſed per ſedem inferentes unguen, & impedientes lavationem eâdem via relabi, propoſitis diebus condiunt*. Vide ibi cetera de vi unguinis cedrini, qua alvus & inteſtina tabefacta percolantur, ita ut ſola cutis & oſſa remaneant. Quo ergo modo in ſecunda ταριχεύσει cedrinum unguen intro per clyſterium inducitur, eodem & in tertia conditura per clyſteres ſyrmaca infertur.

AD GEN. L. 22.

Et vidit Ephraim filios uſque ad tertiam generationem] Hebraea decurrunt felicius breviuſque. *Et vidit Ephraim* (בני שלשים *bene ſhilleſhim*) *filios tertianorum*, aut *tertiorum*, ſive pronepotum filios, qui *abnepotes* dicuntur. Jungit *tertianos* & (רבעים *ribbaim*) *quartanos* eodem ſignificatu Moſes etiam Ex. XX. 5. & XXXIV. 7. Num. XIV. 18. Deut. V. 9. quibus locis omnibus Seniores παραφράζουσι dictionem: hîc quidem ἕως τρίτης γενεᾶς, *uſque ad tertiam generationem*, illic vero *Ad tertiam & quartam generationem*. In quo laudandi quod perſpicuitati ſervierunt: nam ceteroqui τρίτοι pro iis qui tertia generatione naſcuntur, ſive pro abnepotibus, elegans dictio eſt, & aevo meliore (7) uſitata. Mitto quod Orientalibus ceteris Bibliorum interpretibus Hebraica loci hujus locutio imitationi fuit, ut ex Polyglottis apparet.

[7] Vſurpat ea notione τρίτον Lycophron ver. 860.

Πενθεῖν τὸν εἰνάπηχυν, Αἰακοῦ τρίτον.

Lugere tertium Aeaci cubitûm qui novem.

Tertium Aeaci dixit pro Abnepotem. Quin imo, quod huc magis facit, utitur Ezechiel quidam poëta Judaeus, qui ſub Ptolemaeis floruit, quemque nonnulli unum ex LXX Senioribus Scripturae interpretibus fuiſſe exiſtimant, teſte Dan. Huetio in Dem. Evang. Is igitur in eo dramate, quod Ἐξαγωγὴ inſcriptum adhuc exſtat [nam in eo Exitus Iſraëlitarum ex Aegypto deſcribitur] adhibet vocem τρίτος eadem notione, qua Lycophron, & qua hic *ſhilleſhim* Moſaicum. Eum locum equidem olim excerpſeram, ſed nunc non eſt ad manus. Sed in non longo dramate haud aegre a cupidis reperietur, ſi tanti ſit.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIONES
AD QVAEDAM GENESEOS LOCA SPARSIM PROMISSAE.

DISSERTATIO I.

AD GEN. I. 2.

DE CHAO DEQVE OVO PRIMIGENIO

Promiſſa fuerat ſup. pag. 15. ver. 4.

T*Erra autem erat inanis & vacua*] Pro *Inanis & vacua* in Hebr. eſt תהו ובהו *Thohu vabohu* : quae duo vocabula hic tantum a Moſe uſurpata (etſi poſtea Iſaias XXXIV. 11. uſus utroque fuit) Chaos illud a gentilibus decantatum notant, praecipue vocabulum prius, de quo ante dicendum.

PARS PRIOR
Quid Thohu Moſaicum ethnici interpretati fuerint, & quemadmodum vocem perverterint. Chaeos notio, ejuſque a profanis petitae deſcriptiones.

Gentilium interpretatio eo potiſſimum vertitur, ut initio quoddam Mundi ſeminarium extiterit, quod ipſi *Chaos* appellaverunt. Quibus gradibus ex *Thohu* Moſaico ad vocem *Chaos* fingendam deſcenſum fuiſſe putem, operae pretium eſt evolvere. Initio ubi eruditis Graecorum nonnihil de *Thohu* Moſaico ad aures accidiſſet, ac ſimul etiam exotici nominis interpretationem, ut ſit ὕλη ſive mundi rudimentum, didiciſſent; venit in mentem ex *Thohu*, addita terminatione Graeca, *Thobule* comminiſci, ita ut id nomen compoſitum ſit ex Hebr. *Thohu* & Graeco ὕλη, idem ſignificantibus, ſicuti nomen *Artapani* vetuſti ſcriptoris ex duabus notionis ejusdem vocibus conflato factum (1) videbatur. Cumque Θούλη nomen inſulae fuerit; hinc Pytheae apud Strabonem extſtat *Thules* illa deſcriptio, quae videtur ex *Thohu* Moſaico non obſcure profecta: quam proinde in ima (2) ora ſubjeci.

(1) *Artapanus* videbatur ex ἄρτος & πάνος (quod Graecis Italiotis itidem *panis* erat) compoſitum: ſed poſtea ſubiit fieri poſſe, ut *Artapani* hiſtorici nomen corruptum fuerit ex *Artabono*, qui Hiſtaſpis filius fuit.

(2) Aut egregie fallor, aut quae Pytheas vetuſtiſſimus, idemque mendaciſſimus auctor de Thule commemoravit, ea *Thohu* Moſaicum redolere prorſus videntur. Strabo lib. 2. pag. 104. Προσιστορήσαντος (Πυθέου) καὶ τὰ περὶ τῆς Θούλης, καὶ τῶν τόπων ἐκείνων, ἐν οἷς οὔτε γῆ καθ' αὐτὴν ὑπῆρχεν ἔτι, οὔτε θάλαττα, οὔτ' ἀήρ, ἀλλὰ σύγκριμά τι ἐκ τούτων, πλεύμονι θαλαττίῳ ἐοικὸς, ἐν ᾧ φησι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλατταν αἰωρεῖσθαι, καὶ τὰ σύμπαντα, καὶ τοῦτον ὡς ἂν δεσμὸν εἶναι τῶν ὅλων &c. *De Thule porro & his locis ita narrare, neque terram ibi eſſe, neque mare, neque aëra, ſed quippiam ex his omnibus mistum atque concretum, pulmonis marini ſimile, in quo terra & mare ſublimia pendeant, atque univerſa, hocque eſſe quaſi vinculum univerſi* &c. Sed & Johannes Tzetzes (in iis iambis quos antea ineditos Morellus affert in ſpicilegiis animad. in Strab. lib. I.) primigenium Chaos ab Aegyptiis ita deſcribi ait, perinde ut Pytheas Thulem fuiſſe dixerat. Ibi Tzetzes poſtquam Aegyptios non acute vidiſſe mundi originem prae Moſe ſcripſit, ſubjungit iſta:

Ἀλλ' εἰς ὀλισθοὺς ἐκτραπέντες καὶ χάος,
Ὕλας τυποῦντες τοὺς κενοὺς τάχα λόγους,
Ἀφέντες εἰπεῖν ἐν διαυγεῖ τῷ λόγῳ,
Ὡς ἦν ἀὴρ, θάλασσα, γῆ, πυρὸς φύσις,
Ὁμοῦ κατ' ἀρχὰς πάντα συμπεφυρμένα,
Οἷα τὰ Θούλης Πυθέας διαγράφει,
Πέριξ δὲ τὴν ἄβυσσον ἐν κρυπτὸν σκότος.
Sed in ruinas flexerint cum ſe & Chaos,
Fortaſſe fingentes modos hyles novos,

Quaſi

jeci . Atque haec prima interpolatio vocabuli fuit , in qua ferme integrum *Thobu* ſupereſt .

At deinde vocabuli Moſaici mutari prima littera coepit , non tamen inuſitato modo. Nam ſicuti in vetere Carthaginis nomine Carthada, ſive Graeco more Καρθήδων, & in ὄρνιθες, & aliis a me obſervatis , Θ in Χ vertere in mentem venit , ut Καρχήδων & ὄρνιχες fieret ; ita & Moſaicum *Thobu* in *Chobu* evaſit Tyrrhenicum nomen (3) quod & Latini poſtea adoptarunt .

Ac poſtremo ex Tyrrhenico Latinoque *Cohum* vox *Chaos* prodiit , Latinis juxta Graeciſque familiaris : cujus tamen vocis peculium Graeciſne an Latinis Tyrrhenorum diſcipulis ſit vindicandum , paucis inquiramus . Scio equidem viros Graece doctiſſimos aeſtuare in vocis Χάος derivatione in Graeci ſermonis latifundiis reperiunda : cujus difficultatis ſatis fidem fecerit ipſa H. Stephani (4) petita ex inaudito themate derivatio . At contra cum ex *Thobu* Moſaico fluxiſſe Tuſcum COHV , atque hinc deinde *Cohum* ſuum Latinos didiciſſe oſtenderimus ; quid facilius quam ut ex eodem ſive Tyrrhenico ſive Phoenicio *Cobu* Graeci etiam Χάος derivarint ſuum ? O tantum ſcil. in A mutato ; quae apud illos mutatio perfrequens , ut ex Voſſio in *de litterar. permutatione* diſces .

Jam ergo patefactum habes , quo ex fonte ad Graecorum aures τοῦ χάεος Heſiodei Orphicique doctrina manarit . Ab utroque enim vate Χάος primitivum mundique incunabula deſcripta habemus . Sed Heſiodus (5) Orphicis carminibus multo eſt antiquior . Nos hic ex utroque poëta & ex aliis Χάεος deſcriptiones carptim guſtabimus , ab Heſiodo , utpote omnium antiquiſſimo exorſi . Qui ita incipit Θεογ. ver. 116.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα Χάος γένετ᾽, αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ᾽ εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ . . .
Τάρταρά τ᾽ ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης .
Rerum principio Chaos exſtitit , inde ſecuta eſt
Terrae planicies , conſtans habitantibu' ſedes ;
Tartara dein imo terrae tenebroſa receſſu.

Vides hinc praeceſſiſſe Chaos , tamquam ὕλην naturis poſtea procreandis ſubjectam , ex cujus διακοσμήσει extitit mox rerum univerſitas . Quare

---

Quaſi nequeant ſermone claro dicere ,
Vt aër , unda , terra , & ignis fervidus
Ab initio confuſa fuerint omnia ,
(Vt Pytheas Thulem fuiſſe ait inſulam)
Et circa Abyſſum occulta caligo foret .

(3) Feſtus : *COHVM poëtae caelum dixerunt a Chaos , ex quo putabant caelum eſſe formatum*. Vides , Feſtum , cui nihil de Divinis Hebraeorum libris innotuiſſet , in quibus de *Thobu* ſive *Cobu* ſermo eſt , poëtas auctores vocabuli habuiſſe . Ennium autem intelligit , cujus haec ex membrana quadam Scaliger ad Feſtum produxit : *Pilam vix* . Finis hic hexametri eſt : in quo ſubſiſto ; ut intelligas *Pilae* nomine *Orbem* ſive *Mundum* intelligi . Ovid. Met. VI. *Terra pilae ſimilis*. Lipſius ad Tacitum ex neſcio quo ſic affert : *In hac mundi pila* . Sic ergo Ennius cecinit :

. . . . . *Pilam vix*
Sol mediam : complere cohum terroribu' caeli.

Jam vero quod Feſtus *Cohum* a *Chaos* deducat , ab eo diſſentio . Quis enim non videt , *Cohum* Ennianum eſſe a *Thobu* Moſaico , T tantum in C verſo : quod paſſim in Graecis Latiniſque vocibus factum , ex Voſſio in *De litter. permut.* diſces . Hujuſmodi vero leviuſcula mutantur tum maxime , ubi ex peregrino ſolo verba tranſierunt . Ergo Latini quidem a *Thobu* Moſaico *Cohum* per Tyrrhenos transduxerunt : at Graeci per Phoenices idem *Cobu* Moſaicum in Χάος μετεσχημάτισαν .

(4) Ante Stephanum Χάος *ex* χαίνω *Hio* deducebatur . Sed cum χαίνω in ſuis ſtolonibus N ſemper retineat , acute Stephanus ex inuſitato themate Χάω derivavit , ſed nullo auctore grammatico qui iſtius thematis inuſitati meminerit . Mitto alia , quae Stephani derivationem demoliantur . At illud omittere nequeo , quod antiqui philoſophi aliunde prorſus quam ab inaudito Χάω , arceſſivere Χάος . Plato & Ariſtoteles , dum Χάος interpretantur locum rerum creandarum capacem , ſatis prae ſe ferunt ſeſe a Χανδάνω, *capio* , derivaſſe Χάος . Loca horum philoſophorum reperies contracta ab eodem Stephano . At Stoici a Χέω malebant adſciſcere ; *Chaos* enim eſſe *aquam* primigeniam illam (de qua Moſes) volebant , παρὰ τὴν χύσιν , teſte Philone , nomen χάεος (nim. a verbo χέω , *fundo*) inclinantes .

(5) Aetas Heſiodi par ferme Homero habetur . At Orphicorum carminum longe poſterior eſt . Tametſi enim Orpheus Troicis temporibus anteceſſiſſe perhibetur : tamen quaecumque ei adſcripſit antiquitas , ea magnam partem auctorem habuere Onomacritum quemdam , qui ſub Piſiſtratidis (h. e. Olymp. LXV. uti Voſſius in de poët. Graecis colligit) vixit , Athenagora auctore : alia vero ab aliis facta dicuntur , quorum nomina refert Suidas in Ὀρφεὺς , & copioſe Fabricius Bibl. Gr. lib. 1. cap. XIX. num. V.

Digitized by Google

Quare ne credas ſermonis Graeci magiſtris, qui, quia Χάος vocem Graecae nativitatis putarunt, interpretati fuere *Hiatum* quaſi a χαίνω. Non hoc ſignificat, ſed materiam incompoſitam, cujuſmodi elegantiſſime & ex vero interpretatus eſt Naſo:

> *Vnus erat toto naturae vultus in orbe,*
> *Quem dixere CHAOS, RVDIS INDIGESTAQ. MOLES,*
> *Nec quidquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem*
> *Non bene junctarum diſcordia SEMINA RERVM.*

Vides, vir ſummus quid *Chaos* interpretetur. Non plura hîc ex doctiſſimo vate adſcribam, cum pueris omnibus Metamorphôſεις ejus ad manus ſint: Ac fatendum eſt, quae prima haec Ovidiana fabula continet, adeo cum Moſaica ἐξαημέρῳ conſentire, ut ſuſpicer ab Ovidio, iſta ſcribente, primum Geneſeos LXXviralis caput omnino fuiſſe lectum, &, qua potuit, elegantiſſime expreſſum. Faceſſat igitur illa graeciſſantium opinio, *Chaos* idem eſſe atque *hiatum*. Imo *Chaos* Graecorum, ex *Cohu* illo Tuſeo ac Phoenicio fluxit, hoc vero ἀμέσως ex Moſaico *Thohu* manaverat.

Apud Heſiodum paucis interjectis, ita ſequitur:

> Ἐκ Χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο,
> Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ καὶ ἡμέρη ἐξεγένοντο.
> *Inde Chaos genuitque Erebum, genuitque nigrantem*
> *Noctem: ab Nocte Aetherque ſatus, ſpatiumque Diei.*

Quae de *Erebo* heic ſubjicit, ea ad *Veſperam* (in Hebr. ea dicitur ערב *Ereb* unde *Erebus*) Moſaicam pertinent, qui *Veſper* teſte Legislatore, Diei praeceſſit, perinde ut hîc *Erebus* cum *nocte* Aetheri & diei praeivit. Haec vero mire cum Orphica κοσμοποιΐᾳ cohaerent, quam ſupra ad *Geneſeos* titulum Parte I. a Timotheo chronographo tranſmiſſam expoſuimus: ex qua didieimus & Noctem diei praeceſſiſſe, & Aetherem principio creatum.

PARS II.

De Bohu, & quomodo ex eo Ovum primigenium antiquitas finxerit.

Ex duabus Moſaicis vocibus loci hujus jam priorem *Thohu* enucleavimus, & quibus itineribus ex ea primum *Cohum* ſive *Choum* Tyrrhenicum, deinde ex *Coho* iſto *Chaos* tum apud Graecos tum Latinos exſtiterit, demonſtravimus. *Chaos* vero non *hiatum* interpretati ſumus, quaſi a χαίνω derivetur, ſed peregrinae potius nativitatis eſt & in Oriente ſatum, cum verior ſit illa philoſophorum & Ovidii χάεος definitio, *Rudis indigeſtaque moles*, & quae ibidem porro canit. Nec diſſimile illud eſt quod, quia in *Thule* inſula nomen τῷ *Thon* Moſaico ſimile reperit Pytheas; ea de cauſa inſulae illi adjuncta χάεος tribuit, ut in principio Partis I. expoſui. Ergo ex *Thon Cohum* Tyrrhenicum, ex hoc deinde Chaos philoſophicum & poëticum exſtitit, uti ſupra expoſui.

Sequitur vox altera *Bohu*. Hanc vero quid dicemus veterrimos philoſophos atque poëtas, Moſaicis temporibus propinquiores, fuiſſe interpretatos? Scio Orphicos, Pythagoricos itemq. Platonicos duo potiſſimum agnoviſſe τοῦ παντὸς (*univerſitatis*) principia, *Chaos* primum: huic vero alterum adjunxerunt, *Ovum*: illud ſcil. primigenium, ex quo τὰ πάντα prodierunt. Hoc illos non ſuo ductu affirmaſſe, ſed habuiſſe dogmatis ejus vetuſtiſſimos auctores, veluti Palaeſtinos, Phoenices, alioſque indidem illorum temporum eruditos, certum habeo: alioqui quo pacto Moſaicos loci hujus imbibere latices potuiſſent? Nam ſicuti ex *Thohu Cohum* ac demum *Chaos* μετεσχηματίσαν, ita in *Bohu* ſive *Vohu* Moſaico ὠὸν ſive *Ovum* ſibi videre viſi fuerunt. Nam uno aut etiam duplici digammate adhibito (quod quidem tum loco *Vau* ſeu V conſoni; tum etiam loco aſpirationis antiquitus infundebatur) ex Vohu fiebat FOFV, ſeu Graeca terminatione FΩFON, ac demum abjecto utroque Digammate, ὠόν. Apud Latinos vero Aeolicae pronuntiationis tenaciores alterum digamma manſit, dum *OFVM* ſive *Ovum* pronuntiant. Atque hinc omnis antiquitas, ſicuti in *Thohu* ſeu *Cohu*, Chaos, ita & in *Vohu* (Moſaicis duobus Mundi principiis) *Ovi* vocabulum agnoviſſe videtur; atque ob eam cauſam in id omnium gentium & aetatum ſapientiſſimum quemque coiviſſe reperio, ut *Ovo* in Κοσμοποιΐᾳ locum praecipuum aſſignarent. Quidni facerent, qui ex Moſaica παραδόσει noſſent *Vohu* i. e. Ovum in Mundi opificio primas agere? Quod dixi, in terras genteſque omnes hanc pervaſiſſe ratam opinionem de *Ovo* Mundi principio, res jam trita eſt; ac tamen ſi cui libet aliquid ea de re diſcere, id non invitus agam. Ac primum de Sanchuniathonis ſententia paullo accuratius atque limatius agam:

Fuit enim eſtque adhuc illuſtre nomen Sanchuniathonis, h. e. Phoenicis ſcriptoris celeberrimi illius Troicis temporibus vetuſtioris (imo, ſi credimus) Gedeoni judici Iſraëlitarum aequalis: quem Philo Byblius ex Phoenicio ſermone Graece loquentem fecit: cujus interpretationis laceras tantum hodie reliquias

in Porphyrio, Origene, Euſebio & aliquot aliis antiquis habemus. Ex his illuſtre fragmentum illud eſt, quod Euſebius in primo Praeparationis cap. 10. poſuit, ubi inter cetera haec hujus Scriptoris verba prodit: Εἶτά φησι γεγενῆσθαι ἐκ τοῦ Κολπία ἀνέμου καὶ γυναικὸς αὐτοῦ Βάαυ (τοῦτο δὲ νύκτα ἑρμηνεύειν) Αἰῶνα καὶ Πρωτόγονον. *Tum ſcribit ex COLPIA vento, & ejus uxore Baau* (*quam* Graeci νύκτα *h. e. Noctem interpretantur*) *Aevum & Primogenitum procreatos*. Hinc volui de Ovo incipere; quia etſi haec in ſpeciem aegri ſomnio quam ſimplici narrationi ſimiliora videntur, plura tamen ſub fabulae involucro Moſaicis conſentanea continent. Ac primum quis dubitat, quin illud *Baau* idem ſit quod *Bohu* Moſaicum? Phoenicibus enim (Chaldaeorum inſtar, quorum imitabantur dialectum) familiare fuit O Hebraicum in A commutare: quo circa nil mirum ſi ex Βόου Hebraico Phoenicium Βάαυ exſtiterit, duplici O in A geminum verſo. Atque illud *Bou* non aliud eſſe quam Orphicorum & aliorum genitale Ovum, jam ſupra demonſtratum fuit.

At cetera in Sanchuniathonis loco mire percellunt, quid nempe ſit *Colpias* ille τῆς Βάαυ maritus, tum & alia quae porro addit. Jam alii viderunt τὸ Colpia ex tribus conſtare monoſyllabis; eſt enim ipſiſſimum Hebraicum קול פי יה (*kol-pi-jah*) i. e. *Vox oris Dei*, illa ſcil. per quam omnia principio exſtiterunt, uti Moſes cap. 1. narrat. Hunc vero *Colpiam* Ἄνεμον h. e. *Spiritum* vocat, quia vim effectricem in eo agnoſcit, ſicuti Βάαυ non niſi ὕλης ſive *materiae* loco eſt, ſeu verbis aliis, ille veluti maritus, haec loco conjugis; nec enim aliter Sanchuniathon vocat. Ad ſummam *Colpias* τὴν Βάαυ (h. e. *Ovum*) veluti *incubando* fovendoque fecundavit. Ac ne locutiones haſce faſtidias; ecce Gen. I. 2. pro eo quod legitur in Vulgata, *& ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Hebr. eſt מרחפת, *merachepheth*, h. e. (uti Hebraei volunt) *incubabat*, columbae ſcil. aut gallinae inſtar, cum ovis aut pullis incubat. Ad ſummam *Colpias ventus* ſive *ſpiritus* dicitur, quia eſt vis illa imperatrix oris Dei, quae Ovum primitivum mundi ut excluderetur, effecit.

Jam vero & ceteris paullum adſpergamus lucis. Ait enim ex *Colpia* & *Baau* (h. e. ex Divina voce & ex Ovo) prodiiſſe ante omnia (αἰῶνα) *aevum*, & (πρωτόγονον) *primogenitum*. *Primogeniti* nomine quid intelligatur, plane certo tenere mihi videor; eſt enim *Lux* apud Moſem rerum creatarum natu prima: quam Orphica carmina *Phanetis* nomine videntur notaſſe, de quo & plura ſatis vulgata praedicant, & illud in primis quod *Phanes* omnium primus ex Orphico illo ovo prodierit, ut Lux Moſaica certe fuerit. At *Aevi* nomine quid accipiemus, niſi tempus? Nam ubi primum ex Nocte (quam diei praeiviſſe, poſt Moſem tum Orphici in Timothei fragmento, quod ad Titulum Geneſis recitavimus, tum Sanchuniathon hic agnoſcit) ubi ex Nocte, inquam, & *primogenita* luce dies primus exſtitit; jam tum αἰὼν (*aevum*) h. e. tempus procedere coepit. Habes explicationem egregii loci Sanchuniathonis Berytii: qui quidem *Jerombalo* (i. e. Gedeoni, ut eruditi colligunt) aequalis fuit. Quod ſi verum; tum Sanchuniathon Berytius σύγχρονος fuerit neceſſe eſt Orpheo, quippe qui a Timotheo chronographo (quem ad titulum Geneſis pag. 3. tranſcripſimus) eidem Gedeoni coaevus traditur. Quare poſtquam de Sanchuniathonis fluentis hauſimus; non ab re erit ſi de ovo Orphico (quod peculiare hujus loci Moſaici eſt) pluſcula admetiamur.

Nihil autem Orphicis Ovo (illo utique genitali ovo, quod Moſes *Vohu* vocaverat) decantatius. Nam plura feruntur Orphica carmina, in quibus multa eſt hujus Ovi mentio. Hoc ovum (quod apud Timotheum dicitur ex Aethere, Chao, & Nocte productum) receptaculum commune fuit Mundi νοητοῦ pariter & αἰσθητοῦ (h. e. ſive ſub intellectum ſive ſub ſenſum cadentis) qui duo ex illo primum prodierunt, ſi antiquos audimus. Huc pertinent & Ὠοθυτικὰ (6) & Ποιμενικὰ, quae Orpheo tribuuntur, & quod *Phanes* deorum Orphicorum ſummus ex Ovo primigenio primus prodiit, dictus propterea in Orphicis verſibus Πρωτόγονος, *primogenitus*. Adhaec Mundus (cui ovatam figuram plures veterum tribuebant) cum ovo ab Achille Tatio & aliis comparatur, in eo quod ovi putamen tam exterius quam & interius caeli orbes exhibere videtur, vitellus tellurem, album vero aërem demonſtrat. Pluribus (7) libens abſtineo. Adde & illud

(6) Memorantur a Suida inter tributa Orpheo ſcripta. Eſt vero nomen Carminis Orphicis tributi de ovo ſymbolico, deque ejus in Bacchicis myſteriis praeferendi ritibus, & horum myſtica enarratione. Nugae.

(7) Ovum uti mundi ſymbolum antiqui in Orgiis adorabant, teſte Plut. Sympoſ. II. & Macrobio in VII. Satur. 16. Proclus ad Timaeum ait, eadem plane eſſe τὸ Ὀρφικὸν ὠὸν, καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος ὄν. *Non differre Orphicum Ovum ab eo* quod

illud quod plurimi Orphicis & Pythagoricis inſtitutis imbuti ob ſupradicta ab ovis ſe abſtinebant, teſte Plutarcho in II. Sympoſ. 3.

Haec de duobus Gedeonis aequalibus (h. e. plus duob. ſaeculis ante Trojam captam) Sanchuniathone Phoenice, & Orpheo Thrace, quos certum eſt, in eo quod *Ovum* adſtruxerunt τῶν πάντων principium, haud dubie *Vobu* ſeu *Ovum* Moſaicum aperte adumbraſſe. Nunc ceteros ſi minus his coaevos, antiquiſſimos tamen producamus, ut ex omnium conſenſione appareat, univerſam antiquitatem in *Vobu* Moſis non aliud quam *Ovum* primigenium ſive Mundi rudimenta ſibi videre viſos.

Zoroaſtres ille, de cujus antiquitate qui modice ſentiunt, tamen vel Nino, vel Hiſtaſpi alicui σύγχρονον faciunt, teſte Plutarcho (in de Iſ. & Oſir.) Ovum primitivum agnovit; nam eo judice Oromasdes (id bono principio nomen) bonos deos & ſtellas principio fecit, & in *Ovo* poſuit, Ovi nomine mundum (quippe ovatae figurae) intelligens.

Adhaec Thebaidos incolae (ut antiquorum litteris ſcriptum exſtat) ubi Deum artificem mundi exhibere vellent, hunc Ovum ex ore promentem exprimebant, *Ovum* ſcil. interpretantes mundum, teſte Porphyrio his verbis, Ἑρμηνεύει δὲ τὸ Ὠὸν τὸν κόσμον.

At Ariſtophanis loco in Avibus nihil luculentius, ubi ver. 694. volucres ita de antiquitate ſua gloriantes facit.

Χάος ἦν καὶ Νὺξ, Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον, καὶ Τάρταρος εὐρύς·
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' Οὐρανὸς ἦν. Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροσι κόλποις
Τίκτει πρώτιστον ὑπηνέμιον νὺξ ἡ μελανόπτερος Ὠόν.
Ἐξ οὗ περιτελλομέναις ὥραις ἔβλαστεν ἔρως ὁ ποθεινός . . .
Οὗτος δὲ χάει πτερόεντι, μιγεὶς νυχίῳ κατὰ τάρταρον εὐρὺν
Ἐνεόττευσε γένος ἡμέτερον· καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν εἰς φῶς . . . .
Chaos erat & Nox, Erebuſque niger in principio, & Tartarus amplus:
Terra vero non erat, nec aër, nec caelum: Erebi vero in infinito gremio
Primum omnium parit ventoſum furva Nox OVVM,
Ex quo exactis temporibus propullulavit Amor deſiderabilis . . .
Ille vero alato mixtus Chao & obſcuro, in Tartaro ingenti
Edidit genus noſtrum, & primum eduxit in lucem, &c.

Teſtibus huc uſque productis concinunt Pythagoricorum itemque Platonicorum gregatim ſcholae veteres & recentiores: quas *Ovum* iſtud primigenium, didiciſſe ab Orphicis philoſophis, hos vero a Palaeſtinis, a Syris, Chaldaeis maximeque Phoenicibus Tyrrheniſque dogma iſtud hauſiſſe neceſſe eſt: ac poſtremo primam dogmatis originem eam fuiſſe, quod in Divini Chronographi noſtri initio veteres illi ſapientes ſicuti in *Thou* ſeu *Cohu* videre *Chaos*; ita & τὸ *Vohu* interpretabantur FΩFON ſive (gemino ſublato digammate) ΩΟΝ, *Ovum*. Atque ea mihi viſa eſt non tantum Tyrrhenico-Latinae vocis *Ovum* veriſſima (8) originatio, ſed & *Ovi* primigenii philoſophorum origo prima.

Ac ne quis craſſiorem τοῦ *Vohu* Moſaici interpretationem a me traditam calumnietur, quaſi Scriptor Divinus *Ovum*, quale vulgo intelligitur, nobis in voce *Vohu* voluerit obtrudere; ſciat hoc me ſtatuiſſe, nim. τῷ *Vohu* Moſaico non aliam quam *rudimenti* univerſitatis notionem ſubeſſe, non ſecus ac vulgare Ovum rudimenta pulli complectitur. Et quidem rudimentum hic nobis Moſes oſtendit duplex, in *Thohu* unum, in *Vohu* alterum. Prius illud confuſa & indigeſta elementorum farrago fuit: id quod & inde deducta vox *Chaos* ſignificat. At poſtquam Chao illi primitivo ex Divinae vocis imperio non nihil acceſſit ordinis, tum *Vohu* vocabatur: in quo, non ſecus atque in ovis animantium, rudis quaedam partium materiae diſcretio inerat. Atque ita ſe tantiſper res habuit, dum adhuc primitiva nox omnia late teneret. At tandem ubi incubante veluti Spiritu divino *Vohu* illud aliquamdiu fotum fuiſſet, ad Divinae demum vocis imperium Lux primogenita de ſpiſſae caliginis (compeſcentis omnia) clauſtris erupit.

At vero profani ex geminis hiſce mundi rudimentorum vocabulis (quod ſaepe inculcavi) ex *Thohu* quidem prius *Cohum*, mox *Chaos*; ex *Vohu* vero, principio FOFVM, mox (primo abjecto digammate, altero per V ſuppleto) *Ovum* cuderunt; eamque praeterea vocem

quod Platoni τὸ ὄν (h. e. exſiſtentium univerſitas) dicitur.

(8) In Tyrrhenico-latialium vocum originibus (quae ad Voſſiani Etymologici acceſſionem ſub praelo ſunt) voci *Ovum* natales ex Tuſca lingua adſciſcuntur: Tyrrheni autem id nomen ex *Vobu* Moſaico hujus loci arceſſiverant. Rem qui cognoſſe plenius volet, ibi rem latius pertractatam reperiet.

vocem a Mundi concepta ad animantis incunabula traduxerunt. Vt omittam, quod exorti aliquando ſunt Stoici, qui Mundum eſſe magnum animal contenderunt: ob eam, ut interpretor, cauſam, quod Mundus (perinde ac animantia) ex Ovo illo primitivo, de quo tamdiu philoſophi diſputaverant, prodiiſſet.

AD DISSERTATIONEM II.

A D M O N I T I O.

S*Vpra in Commentario ad Gen. I.* 10. *ad illud* Congregationeſque aquarum appellavit maria, *pag.* 24. *in Adnot.* 13. 14. *adlevi pauca ad Diſſert. ſeq. pertinentia, quae conferas cenſeo. Atque in primis Adnot.* 14. *ſpem feci lectoribus, fore ut Diſſertationem, quae hic ſequitur [quam ante complures annos Etruſco ſermone apud Pagliarinum inter Cortonenſia edideram] hic in fine Geneſeos Latino eloquio darem. En hic fidei liberandae locus eſt. Atque hoc eo monui, ne forte mireris, quaedam in hujus Diſſertationis proceſſu afferri propoſito loco Gen. I.* 10. *non neceſſaria, quae hinc abeſſe potuiſſent: plane quia eorum plura illius, cui ſervierant, loci, non vero hujus peculiaria videntur. Tamen exſolvenda fides fuit (qua me ſupr. pag.* 24. *obſtrinxeram) ac vel ſic aliena illa non moleſte, puto, a cuidis iſtorum legentur.*

Vt autem noverit lector, quinam ſcopus mihi olim fuerit, cum haec, quae nunc hic damus, cum plurimis aliis ſequentibus ſcriberem; paucis docebo fabulam. Ante hos plurimos annos cum Tyrrhenicarum originum ſtudium in Italia ferveret, major litteratorum pars ex Graecia quidquid Tuſcanici nominis eſt, repetebat: cum ego interim, qui ab Oriente (*) *qua parte Hebraiſmus vigeret, Tyrrhenos adſciſcerem, angerer animo. Itaque juſtam Diſſertationem [qua jugulus cauſae petitur] Romae apud Pagliarinum inter Cortonenſia edidi: qui vero Diſſertationi Diatribas X. ſubjeci (harum Diatribarum haec prima eſt, quam hic mutato nomine* Diſſertationem *inſcripſi) in quibus id in primis agitatur, ut oſtendatur, omnibus Italiae montibus, fluminibus, oppidis, quae primitus Tuſci inſederant, ea ab initio inhaeſiſſe nomina, quae cum Graecis auribus ſint incondita prorſus & βαρβαρόφωνα; Palaeſtinis tamen innuant ſemper aliquid, idque locorum ingenio, moribus, & vetuſtati conſentaneum: ex quo quis non illud Evangelicum inferat?* Nam & loquela tua manifeſtum te facit. *Vt omittam quod Tyrrhenici mores, ritus, doctrina, religio mire Orientem ſpirant. Haec fuit quondam noſtri farrago libelli, qui ex Pagliarino prodiit. Ex quo libello ſupra pag.* 24. *Diatribam I. pollicitus, nunc illam* Diſſertationis *nomine [ut hic par omnibus, quae in Geneſim ſunt,* Diſſertationis *vocabulum conſtet] producimus.*

DISSER-

(*) Atqui recte eſt, quod tandem Tyrrhenorum patriam primitivam ex ipſorummet elicui confeſſione, quae exſtat apud Dionyſium Halic. lib. I. pag. 22. (edit. Lipſ.) ver. 13. ubi ipſi ſe Tyrrheni *Raſenas* vocabant, ab urbe *Reſen* utique *civitate magna*, quam Nemrod Babelicae turris auctor in Aſſyria fundaverat *inter Niniven & Chale*, uti legitur Gen. X. 12. Hoc totum quale ſit, ediſſertum infra reperies in Diſſert. V. ad Gen. cap. X. ſect. IV.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

AD GEN. I. 10.

DE SEPTEM MARIBVS ETRVRIAE TRANSPADANAE

Item de Foſſionibus Philiſtinis, deque Padi nominibus ex Orientali ſermone explanandis.

S E C T. I.

De VII. Maribus, quidve ea fuerint. Par eorum numerus in Palaeſtina atque in Transpadana Tyrrhenia.

NVlla ex re magis nomenclationi divinae illi [*Congregationesq. aquarum appellavit maria*] conſtat fides, quam ex VII. maribus tum Palaeſtinae tum etiam Tuſciae transpadanae: in utriſque autem ſeptenarius numerus, in ſacris toties conſecratus, rei ſacratioris exſpectationem ciet. A Tuſcis noſtratibus incipio: a quibus poſtea ad VII. maria Palaeſtinae digrediar.

SEPTEM MARIVM Tyrrhenicorum meminit Plinius III. 16. *Omnia ea flumina foſſasque* (per quas Padus effunditur) *primi a Sagi fecere Tuſci, egeſto amnis impetu per tranſverſum in Atrianorum paludes, quae SEPTEM MARIA appellantur.* In quibus tamen verbis Cellarius dubitat, quid SEPTEM MARIA Plinius appellet, Atrianorumne paludes, an foſſas aut oſtia, per quae numero ſeptem Padus immittitur in Hadriaticum. Tamen eſt, unde intelligas eam appellationem retuliſſe Plinium ad Atrianas paludes: *Quamquam* (inquit paullo ſuperius eod. cap.) *deductus* (Padus) *in flumina & foſſas* . . . *tamen qua largius vomit, SEPTEM MARIA dictus facere.* Nam in iis paludibus largius vomit. Omnino his verbis innuit Plinius, non idem eſſe *ſeptem foſſas* aut *oſtia* quod *VII. maria*; quia uni loco, qua largius vomit, ea ineſt nuncupatio.

Sed & in Peutingeri Tabula *VII. Maria* eſt ferme unius certi loci nomen; in qua tabula hic eſt locorum ordo [omitto autem intervallorum numeros] ab Altino Ravennam uſque. Sic ergo Tabula incipit: *Altino ad portum*: *Majo* (i. e. majore) *Meduaco*: *Mino* (minore) *Meduaco*; *Ebrone*: *Foſſis* (ſupple *Philiſtinis*): *VII. MARIA*: *Hadriani*. Nec tamen hic VII. MARIA unus eſt proprie locus, ſed is reſpondet paludibus Hatrianis, poſt quas Ravennam verſus & alia plura oſtia fuerunt.

Poſtremo Herodianus VIII. 7. & accuratius loquitur, ac plane dirimit litem (1): *Maximus Ravenna profectus, Aquileiam pervenit, tranſmiſſis vadis, quae tum ex Eridani influxu, tum ex circumjectis ſtagnis exundantia, ſeptem oſtiis in mare effunduntur: unde etiam indigenae patria lingua SEPTEM MARIA paludem illam appellant.* Vides quid SEPTEM MARIA Herodianus intelligat, totam ſcil. Hatrianam paludem, quam ab Ravenna Aquileiam uſque pertinuiſſe dicit. At in oppido hoc ultimo fugit Hiſtoricum accurata locorum notitia; non enim Aquileiam, ſed Altinum uſque *Septem Maria* protendebantur. Auctor accurationis hujus Antoninus Itinerario: qui poſtquam ab Roma Ariminum deſcripſiſſet itinera; haec deinde ſubjecit: *Ab Arimino recto itinere Ravennam M. P. XXXIII. Inde navigantur Septem Maria Altinum uſque. Inde Concordiam M. P. XXXI. Aquileiam XXXI.* Ex his vides ab Ravenna Altinum uſque unam perpetuam fuiſſe paludem, cui *ſeptem marium* erat nomen. Aut ſi exacte ad obruſſam loqui volumus, qui Ravenna proficiſcebantur, ante omnia Paduſam [id nomen erat ultimo Padi alveo Ravennam verſus] enavigabat; ex Paduſa autem per foſſam in Atrianorum paludes, Altinum uſque protenſas, intrabat. Valgius apud Servium [ad illud Virg. XI. *Piſcoſove amne Paduſae*] ſic loquitur:

Et placidam, foſſae qua jungunt ora, Paduſam

Navigat,

(1) Herodianus VIII. 7. ita ſcripſit: Ὁ δὲ Μάξιμος ἀπὸ τῆς Ῥαβέννης ἄρας ἠπείγη Ἀκυληΐαν, διαβὰς τὰ τενάγη, ἃ ὑπό τε Ἠριδάνου ποταμοῦ πληρούμενα καὶ τῶν περικειμένων ἑλῶν, ἑπτὰ στόμασιν εἰς θάλατταν ἐκχεῖται· ὅθεν καὶ τῇ φωνῇ ἑαυτῶν καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι ΕΠΤΑ ΠΕΛΑΓΗ τὴν λίμνην ἐκείνην.

Digitized by Google

Navigat , Alpini flumina magna Padi. Sed eo redeo . Omnis illa Palus *ſeptem maria* dicebatur [etſi Peutingeri tabula uni certo loco eam appellationem tribuit , ex uſu fort. ſuae aetatis] at ſi quaeras , cur *Septem maria* dicerentur , quae una perpetua palus eſſet ; reſpondebimus a ſeptem oſtiis , per quae tum palus , tum Padus ipſe per paludem in mare infunditur , *Septem marium* appellationem Hatrianis paludibus haeſiſſe . Atque haec quae dixi de eo , quid proprie *VII. Marium* nomine veniret , de Caeſarum aevo aut ultimis reip. temporibus , volo intelligi : nam antiquiſſimis Tuſcorum temporibus , uti mox dicam , ſeptem haec diſcreta maria oſtendebantur ac vocabantur .

Ceterum ſupervacaneum fuerit hic docere , hanc *VII. marium* φρᾶσιν (*locutionem*) eſſe mere Hebraicam . Vel vide quae ad Gen. I. 10. copioſe de ea re diſputavi . Interim Plinius , qui Hebraica non attigiſſet , ad aquarum copiam appellationis cauſam contulit (*qua largius* , inquit , *vomit* , *Septem maria dictus facere*) cum re vera Orientales quaevis aquarum συςήματα (uti Seniores vocant Gen. I. 10.) i. e. *coitiones*, θαλάσσας , *maria* dixerint , etiam *labra* , uti *Mare aeneum* in Templi inſtrumento . At recte Herodiano quia peregrini quidpiam in ea appellatione ſuboluit , hinc ad patrium gentis ἰδιωτισμὸν genus loquendi retulit . Τῇ φωνῇ ἑαυτῶν , inquit. h. e. *Patria barbarorum lingua* .

Verum , quod multo eſt mirabilius , non tantum hoc , quod MARIA vocatur quae ſtagna ſunt , ſed & ipſe marium numerus totus ab Oriente eſt . Nam tametſi dixi , a ſeptem foſſis manaſſe , ut tota illa continens palus *VII. MARIA* diceretur ; tamen fateor , adhuc reſidet numeri iſtius arcanior cauſa . Nec ſum neſcius , hunc apud Orientales numerum in honore fuiſſe , ac plane ſacrum : ex quo factum ut eo maxime numero delectati , etiam quae non eſſent definita numero , tamen *ſeptena* dicerent . Res eſt ſatis in Scripturis pervulgata . Verum quid iſtis γενικωτέροις immoror ; cum in Paleſtina non minus , quam apud Tyrrenus , *Septem Marium* numerus celebratiſſimus fuerit ? Non in Scripturis quidem ea *ſeptem maria* inclaruerunt , ſed apud ſcriptores Talmudicos , & apud auctorem *Midraſh Tillim* ; uti jam notarunt Ligtfootus , Bochartus , & Hadr. Relandus in ſuae Palaeſtinae l. 37. (2) Numerantur autem in hunc modum . I. *Mare magnum* , ab occaſu Palaeſtinae : at cetera ſunt ſtagna mera . Nam II. *Mare Tiberiadis* eſt . III. *Mare ſalſum* , ſive *Sodomiticum* . IV. *Mare Samochoniticum* . Cetera tria , quemadmodum in Talmudicis ſcribuntur non ſine magna ſcriptionis varietate , ſunt ad interpretandum difficillima . Ergo V. eſt *Mare arenoſum* i. e. (ſi Ligtfooto credimus) *Lacus Sirbonis*. VI. ſic ſcribitur , ימא דשליית ſive ימא דשלוחית ; quod equidem interpretor *Mare Siloe* h. e. illa *piſcina Siloe* , cujus mentio eſt Jo. IX. 7. Nam Bochartus , qui *Sirbonis paludem* hic latere putat , mihi non ſe probat . Erat autem haec piſcina , ſi minus aquarum copia , at virtute certe ſatis nobilis , ut *Siloe* videatur intelligi ; cui & Hebraeae litterae favent . VII. Ex ſeptimo nomine , quod diverſe in Talmudicis ſcribitur , *Aquas Pamias* aut *Paneadis* , aut *lacum Phialam* , Relandus exſculpit . Atque haec ſunt clariſſima terrae Iſraeliticae *Septem Maria* : quae cum Bocharto atque Relando nota fuerint , iidemque ex Plinio , Herodiano & aliis noſſe potuerint , apud Venetiae Tyrrhenos temporibus vetuſtiſſ. maria totidem (h. e. totidem aquarum conceptiones) celebrata fuiſſe ; tamen miror nihil iis de Tuſcorum ex terra Chanaan origine ſuboluiſſe , imo Bochartum alicubi docuiſſe Tyrrhenis nihil prorſus cum Palaeſtinis commune fuiſſe . Verum illo redeo .

Horumne Chananitidis SEPTEM MARIVM imitatione Tyrrheni ſimilem appellationem Hatrianis paludibus impoſuerunt ? Non abnuerim . Nam quamvis illorum *Septem Marium* nulla uſquam mentio ante ſcriptores Talmudicos ; eam tamen ἐπίκλησιν atq. numerum tam apud Hebraeos (teſte Thalmude) quam apud Tyrrhenos in Venetia ſatis antiquum eſſe , mihi facile perſuadeo , ac fort. ab uſque Chananaeis temporibus obſervatum , quibus videntur Tyrrheni in Italiam appuliſſe . Nec vero Talmudica omnia pro nugis habenda , ſed inter carbones plurimos mitas tamen ibi latere gemmas , vel hoc unum exemplum declarat . Ergo illorum ſeptem marium Chananitidis exemplo , Septem Padi Alveos , totidem appellarunt Maria . Sunt autem haec alveorum illorum , ſive ſeptem marium nomina ; I. *Padaſa* : II. *Spinet*: III. *Caprafiae* : IV. *Sagis* : V. *Olane* : VI. *Carbonaria* : VII. *Foſſiones Philiſtinae* . Ex his quartum , ſextum , ac ultimum a Tyrrhenis manu effoſſos fuiſſe (quis ſcit annon etiam *Caprafias* foderint ?) infra oſtendetur . Ac fieri poteſt , idcirco ab eis nec plures nec pauciores

(2) Etiam in Syro Geographi Nubienſis , & in Prol. extſtat *Septem marium* mentio .

pauciores foſſas *Marium* appellatione donatas, nim. ut Palaeſtinae maribus par hîc quoque numerus marium conſtaret. Nolo autem omittere, viſum fuiſſe nonnullis, *Foſſiones Philiſtinas* non unius certi alvei nomen fuiſſe, ſed commune omnium talium manu factorum. Id quidem poſſim non admittere, veritus ne alioqui non ſeptem, ſed tantum ſex oſtiorum numerus conſtet. Verum ſi quidem ita ſe res habuit; tum *Mare Magnum* i. e. Hadriaticum, aut Internum totum, numerabitur omnium primum (ut & in Palaeſtina factum) ut Maria ſeptem exſiſtant.

Quid ſi non modo patiar, *Philiſtinas foſſiones* fuiſſe commune ſex ceterarum nomen, ſed ultro id adſtruam? ut plane ſeptenarius ille numerus ex *Mari magno*, ſimul & ex ſex reliquis foſſis (aeque ac in Palaeſtina) conſletur? Atque ita certe loca poëtarum vetuſtiſſima duo, Livii & Ennii apud Feſtum arbitrari me jubent. Prior Livii Andronici eſt apud Feſtum in OCREM.

Celſoſque ocris, arvaque patria, & MARE MAGNVM.

Scite Scaliger in Conject. *petrita* pro *patria*, uti ſtet verſus, repoſuit. Alter eſt Ennii apud eumdem in TONSAM.

Alius in MARI vult MAGNO tenere tonſam.

Qui poëtae undenam *Mare magnum* niſi ex Tuſcia didicere? Ergo ea lege *Philiſtinae foſſiones* nomen foſſarum generale fient, modo *Mare magnum* primorem inter Tyrrhenica ſeptem Maria locum occupet.

Poſtremo futuros ſuſpicor, qui iſtud objiciant, fuiſſe a me ſupra demonſtratum, nomine *ſeptem marium* veniſſe Hatrianas paludes, h. e. unum perpetuum ſtagnum, quod ab Ravenna Altinum uſque enavigabatur: quo nunc pacto, mutata ſententia, alveis nomen illud tribui? Deinde ut alveorum hoc nomen fuerit; at interfuſa inter foſſas palude, unum non ſeptem maria dici debuiſſe. Quibus ſic reſpondeo, nihil me malle, quam ut apud Tyrrhenos ſeptenarius is numerus demonſtrari nequeat: nam hoc modo apud Tuſcos magis imitandi Orientis ſtudium eniteſceret, quaſi qui id operam dederint, ut apud ſe quoque ea ſeptem maria jure aut injuria celebrarentur. Verum quod ea appellatio Hatrianae paludi, quae una & perpetua eſt, tributa fuerit; id ſub Caeſaribus, aut paullo ante factum, quando interfuſis quaqua verſum vadis, ex ſeptem diſcretis maribus ſive alveis, unum continens ſtagnum evaſit. Ac certe vel ipſum *VII. marium* nomen evincit, fuiſſe olim foſſas ſeptem ſiccis intervallis diſcretas. At poſtmodum ubi interfuſa palude, unum aquarum σύστημα (*conceptio*) ex illis ſeptem Altinum uſque coaluit; tamen penes illud Hatrianorum ſeptiplex (etſi in ſpeciem continens) ſtagnum eadem illa vetus *ſeptem marium* ἀππελλασία perennavit. Omitto, quod in Peutingeriana Tabula (aevo, uti volunt Theodoſiano facta) uni certae manſioni *VII. marium* nomen haeſerit: uſque adeo, ſicuti locorum facies, ſic & appellationum proprietates immutantur. Ac de *Septem Maribus* tantum.

SECT. II.

De foſſionibus Philiſtinis; deque Aſagis ac Sagi.

Venio ad *Foſſiones Philiſtinas*, quarum ibidem bis meminit Plinius, ubi quibusdam oſtiis a ſe recenſitis adjungit haec: *Inde oſtia plena, Carbonaria, ac Foſſiones Philiſtinas, quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philiſtinae foſſae abundatione naſcentia.* Vbi ridendum plane ſe praebet Dalechampius, dum id vocabulum arceſſit *a Tuſcorum tribubus & decuriis* (φυλὰς *Graeci vocant*) *ejus rei cauſa accitis*, uti vir doctus loquitur. Neque vero hic in eam curam deſcendam, ut pluribus demonſtrem, *Philiſtinos* harum foſſionum auctores non alterius fuiſſe originis, ac *Philiſtinos* in ſacro Codice notiſſimos: de quo ego minime dubito. Fuere & in vicina Vmbria *Peleſtini*; quos diſerte Plinius III. 14. in cenſum populorum Vmbriae retulit: Vmbriam autem a Tuſcis habitatam, antequam inde a Gallis exigerentur, idem Plinius, ubi de Vmbria, teſtatur. Quin & Vmbri ipſi antiquiores Tuſcis erant, aut paris certe antiquitatis: niſi vero nomine potius quam genere diverſi a Tuſcis erant.

Jam vero ſi in ipſum *Philiſtinorum* nomen inquirere libet, a פלש *phelaſh* (quod ex uſu tum Chaldaico tum etiam Syro eſt *fodere*) illi nomen deductum habent: nec ab eo nomine vitae illorum inſtitutum abhorret, quos Gen. XXVI. 18. (ubi prima *Philiſtinorum* mentio occurrit) circa puteos fuiſſe occupatos reperio. Ergo inter Tuſcos tum Padi accolas, tum Vmbriae, fuere qui *Philiſtini* dicerentur, quorum opus eſſet librare (3) aquas, foſſas ducere eaſque aggeribus ac

vallis

(3) Nempe ut ſit ex Hebr. פלס *phillés*, quod verbum in aquis foſſiſque librandis valet. Ac non temere eſt quod *Palaeſtina* in Talmudicis cum Samech ſcripta reperitur.

vallis munire : in eamque partem, difficilem Plinii locum accipio, de cujus obſcuritate diu eſt, quod Cluverius, Cellarius, aliique viri doctiſſimi couqueruntur. Is ibidem ſic loquitur : *Proximum inde oſtium Capraſiae : dein Sagis : dein Volane ; quod ante Olane vocabatur. Omnia ea flumina foſſaſque primi A SAGI* (in aliis lib. eſt junctim ASAGI) *fecere Tuſci ; egeſto amnis impetu per tranſverſum in Atrianorum paludes, quae Septem maria appellantur*. Ac nemo eſt, quin in illo ASAGI difficultatem ſentiat. Nam videtur ſignificare, foſſas omnes, quae *a Sagi* Volanem verſus ſunt, a Tuſcis factas : cum tamen inter Sagim & Volanem nullus ſit medius alveus. An non ergo inepte dixit *Omnia . . . a Sagi fecere Tuſci* ? Fuit, cum crederem, hîc ſignificari, omnia quidem a Tuſcis facta, ſed primum, quod fecerint, fuiſſe oſtium Sagim. Id ſi eſt ; illud A SAGI non loci, ſed temporis ordinem complectitur. Nec eos damno, qui *Sagim* hîc oppidi nomen fuiſſe volunt, a quo Tuſci fodere inceperint. Verum his miſſis, ut aliquid retruſius, ac ſimul credibilius afferam ; hoc primum omnium ſciendum eſt, Padi foſſas, per quas impetus amnis egeritur, uti nunc in utraque ripa vallantur aggeribus ad prohibendam illuviem, ſic olim quoque eisdem ſeptas ac permunitas fuiſſe : alioqui tabefactis verno tempore nivibus (ſive *ad canis ortum*, ut ait ibidem Plinius, quod hic ex Polybio didicit, qui II. 16. dixit : περὶ Κυνὸς ἐπιτολὴν αὐξόμενος ὑπὸ . . . ἀνατηκομένων χιόνων) tabeſcentibus, inquam, nivibus omnis Circumpadana regio ſub vadis delituiſſet. Ac ſane aggerum, quibus amnium ripae utrinque vallantur, multa ubique exſtat apud antiquos mentio. At hujus rei ſignificantia ineſt vocabulo SAGIS ; quod ſit ab Hebraeo סוג *ſug*, cujus tum praeteritum tum participium eſt סג *ſag* : quod verbum Cant. VII. 2. *ſepire* ſignificat : eademque notione idem verbum paſſim a Chaldaeis ac Syris uſurpatur. Nunc ſi a me quaeras, cur unus ex Padi alveis vocaretur *Sagis* ; reſpondebitur, quia ea vox *ſepem* ſignificat, nim. quia is alveus aggeribus utrinque ſeptus erat. Jam vero in recitatis Plinii verbis ſi in illo *A Sagi*, oppidi nomen indicari vis (id quod plures cenſuerunt, permoti Pſeudo-Catonis auctoritate, a quo *Saga* in hoc tractu ponitur : ſed Pſeudo Catone valere juſſo, in Peutingeriana Tabula SACIS AD PADVM in eadem regione occurrit, quod oppidi nomen eſſe potuerit) verum ſi *Sagis* in Plinio eſt oppidum ; ab incolarum opificio, ſi me audis, id oppidum nomen traxerit, quod oppidani in perfodiendis ac vallandis alveis operam impenderent : ex quo porro ſequetur, illud *Tuſci a Sagi* idem fore, ac *Tuſci domo Sagi* ; non enim quilibet Tuſci operum illorum auctores erant, *ſed Sagitani*. Quid ſi ſcriptio altera ſit verior, *primi Aſagi* (junctim) *fecere Tuſci* ? Pulcra ſane lectio, qua ſignificatur, fuiſſe quoddam Etruſcorum genus, qui ab opificio dicerentur *Aſagi*, Heb. הסגים *Haſſagim* i. e. *ſepientes* ; ita ut emphatica prima littera, pars vocabuli evaſerit, quod non eſt inſolens ; unde poſtea, remoto ſpiritu, *Aſagi* dicti Italis fuerint. Atque horum opus fuiſſe cunctos Padi alveos, facile crediderim. Itaque Etruſci illi, qui foſſarum auctores erant, a fodiendo dicti ſunt *Philiſtini* (nec alterius facile generis a *Philiſtinis* Sacri Codicis) a ſepiendo vero & vallando *Aſagi* vocabantur. Deinde in Plinii *Foſſionibus Philiſtinis* idem accidit, quod in *Aequis Faliſcis*, *Cluſium Camers* aliiſque bilinguibus Etruriae nominibus quae in Tyrrhen. originib. explicuimus, in quibus Latina vox tantumdem valet, quod Tuſca prior. Haec (ut obiter moneam) quae ex Orientis linguis ſunt expoſita, quaeque in ſequentibus paſſim explicabuntur, ii potiſſimum aequi bonique conſulent, qui norint, qua via ac methodo viri ſummi in hoc litterarum genere ſint verſati. Atque haec de ſatis arduo Plinii loco. Nam Cluverium quis ferat, qui ſine ullius libri auctoritate illud *a Sagi* in *a Pado* mutaverit ? Quid enim ſimile ? ſed nota eſt viri doctiſſimi in emendando licentia. Hactenus de *Philiſtina foſſa*, aliorum quorumdam alveorum matrice (Plinio ibidem ſcribente : *Omnia ex Philiſtinae foſſae abundatione naſcentia*) tum etiam de *Aſagis* (ſi modo ulli fuere) deque *Sagi* ſive oppido, ſive tantum alveo, hauſiſſe ex Oriente ſufficiat.

S E C T. III.

Padi olim alvei majores qui fuerint. Deinde ſingulorum nomina ex Aſiaticis linguis explicantur.

De *Sagi* quarto Padi oſtio modo dictum fuit. Quin porro ceteros alveos percurrimus, experturi, utrum Hebraicas ſignificationes praeſeferant ? Sed ante omnia noſſe proderit, ecquam Padi oſtiorum diſpoſitionem Polybius afferat. Is lib. II. cap. 16. ait (4) : *Duobus oſtiis*

(4) Ποιεῖ δὲ τὴν ἐκβολὴν δυσὶ στόμασιν εἰς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπους.

oſtiis in Sinum Hadriaticum effunditur . Mox paucis interjectis , quae ſint duo oſtia declarat: (5) *Ad Trigabolos , quos vocant , in duos alveos ſcinditur , quorum alter Padua* (ſive *Paduſa*) *alter Olana dicitur* . Ex quibus animadvertitur , duos tantum alveos hunc agnoviſſe. Quid ceteris quinque fiet? Nam ſeptem admodum Plinio numerantur ; nec quicquam vero eſt , quin ſeptem oſtia Pado tribuerit . Reſpodent Cluverius Cellariuſque , hos tantum duos antiquos & naturales fuiſſe, ceteros poſtea manu effoſſos a Tuſcis : *Omnia haec* (ait Plin. III. 16.) . . . *fecere Tuſci* . Verum ſciendum eſt , Padum a Polybio deſcribi , vel qualis ſe ſcribente erat , vel certe qualis erat ſub Gallorum adventum , cujus adventus gratia Padum deſcribit . At jam diu antea Tuſci per foſſas manu factas numerum alveorum fecerant auctiorem. Imo cur non potius reſpondebimus , hoc ſibi velle Polybium, duos tantum naturales ac majores quaſi ramos ex trunco uno propagari *Paduſam* & *Olanam*; ceteros non naturales eſſe, nec cum his conferendos , quia minores erant , & ex his duobus propagabantur? At inquis, cur ne *Spinetici* quidem meminit , quod Troicis exſtabat temporibus , tantaeque jam tum magnitudinis , ut Pelaſgi per illud ingreſſi , naves in eodem reliquerint teſte Dionyſio ? Suſpicor hoc Polybii de *Spinetico* ſilentium , junctum cum Dionyſio modo citato , fuiſſe Cellario cauſam , ut *Spineticum* ac *Paduſam* unum idemque fuiſſe crediderit . At nonne Plinius unum ab altero diſerte diſtinxit? Niſi vero diſtinguatur ; quo pacto ſeptem oſtiorum numerus conficitur? Ad Polybium vero quod attinet ; idcirco, opinor , *Spinetici* non meminit , quia hoc quoque ex Paduſa (uno ex duobus ramis) ſive arte , ſive potius antiquitus vi fluminis , propagatum fuerat. Ceterum alvei ſeptem ſic numerantur : *Paduſa* , *Spines* , *Capraſiae* , *Sagis* , *Olane* , *Carbonaria* , *foſſiones Philiſtinae* .

I. PADVSA.

Paduſae originatio nihil admodum negotii faceſſit , quippe a *Pado* derivatum nomen habet: de *Padi* autem & *Eridani* etymologiis ſupra in Diſſert. (6) primaria dictum fuit . De *Paduſa* ſic Plinius habet : *Auguſtâ foſsâ* (Cluverius legendum putavit *Auguſtâ foſsâ* maxime cum in Peuting. Tabula eo tractu inſcribatur AVGVSTA , ſive oppidum id fuerit ſive potius ipſum oſtium) *Ravennam trahitur Padus , ubi Paduſa vocatus , quondam Meſſanicus appellatus* (7).

II. SPINES.

Paduſam excipit *Spineticum* oſtium longe celebratiſſimum , de quo non dubito, quin ſit ab Hebr. ספינה , *ſepina* , ſive (abſorpto *ſceva*) *ſpina* quae vox Jonae I. 5. navim magnam ac tectam deſignat ; eadem vero dictio & Chaldaeo & Syro & Arabico ſermone eſt plurimo in uſu ad *navim* ſignificandam . Cur vero hoc oſtium a Navi *ſpineticum* appellaverint , in promptu eſt ratio , quia olim ex omnibus Padi oſtiis hoc maxime patiens majorum navigiorum erat , idque a temporibus antiquiſſimis. Dionyſius lib. I. eos , qui ibidem *Spinam* urbem condiderunt, naves reliquiſſe ait in Padi oſtio Σπινῆτι καλουμένῳ , *quod Spineticum dicebatur* . Sed Plinius majora praedicat : *Proximum inde* (a Paduſa) *oſtium magnitudinem portus habet , qui Vatreni dicitur , qua Claudius Caeſar , e Britannia triumphans , praegrandi illa domo verius , quam nave , intravit Adriam . Hoc ante Eridanum oſtium dictum eſt* (8) , *aliis Spineticum ab urbe Spina , quae fuit juxta praevalens , condita a Diomede* . Non eſt ergo dubium, quin hoc nomen huic oſtio ac portui a navibus majoribus inditum fuerit: ſicuti hodiedum inter Ravennam Padumque alveus eſt (diverſus tamen

(5) Σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους· τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα , τὸ δ' ἕτερον Ὄλανα .

(6) *Primariam* illam intelligo , quae hinc abeſt, at in edit. Rom. apud Pagliarinum ea princeps ducit poſt ſe agmen Diatribarum decem.

(7) Equidem Cluverianam correctionem veriſſimam judico , nec dubitaverim illam in textum recipere . Et tamen ineptiſſimum illud ANGVSTA praeclariſſimis quibuſque editionibus adhuc haeret, ne adnotata quidem uſquam Cluverii correctione . Sed cedo , quomodo foſſa per quam Padus Ravennam trahitur , *anguſta* fuerit ; cum Jornandes *altiſſimam* illam ab Auguſto factam appellet , quae & portum praebuerit? ſed proderit verba ipſa Jornandis in Gothicis, ubi de Ravenna , adſcribere . *AB AVGVSTO imp. ALTISSIMA foſsâ demiſſus* (Padus) *ſeptima ſui alvei parte mediam influit civitatem* (Ravennam) *quia ad oſtia ſua amoeniſſimum portum praebens , Claſſem CCL. navium Dione referente . . . credebatur recipere* . Nova haec AVGVSTA foſſa , ex Paduſa, ut opinor , derivata fuit , per quam foſſam effectum eſt , ut Padus *Ravennam traheretur* , uti loquitur Plinius .

(8) Sicuti *Paduſa* (oſtium primum) a *Pado* appellata , ſic etiam Spineticum vocabatur ab altero amnis nomine *Eridanum* .

a Spinetico) qui , utpote commeatibus ſerviens , vulgo appellatur , *Canale del Navilio*, aliter *di S. Alberto* . Nec aſſentior Plinio , qui ab urbe *Spina* manaſſe ait, ut oſtium Spineticum diceretur : nam & vocabulum ספינא , *ſpina* (h. e. *navis*) alveo portuique , quam urbi eſt accommodatius , & Dionyſius ante urbis ullius conditum oſtio id nomen tribuit .: ſic ille lib. I. de Spinae conditoribus (9) : *Atque ad unum ex Padi oſtiis , Spinetem nomine, appellentes, ibi naves reliquerunt* . Infra eodem lib. (10) *Relictis ad Spinetem amnem in Jonio ſinu* (alternant enim apud Graecos ſcriptores *Jonii* & *Adriatici* nomina) *navibus* , *Crotonem in mediterraneis ceperunt* . Quod ſi tamen urbi prius , quam oſtio, Spinae nomen impoſitum pertendis; negabo hanc a Diomede primitus conditam , ſed ex nominis Orientalis indicio facile credam , illam a Tuſcis initio poſitam, *poſtea a Diomede colonis auctam & laxius aedificatam* . Cur, inquis , urbem hanc appellaverunt *Spinam*? quia navium ſtationem fidiſſimam habebat ; aut vero ob hanc , quae ſequitur , cauſam . Plures eaeque clariſſimae urbes fuerunt cum *Thebae* i. e. *Arcae* ſive *navis* nomine , non alia de cauſa , quam quia , cum eſſent μεσοπόταμοι [i. e. *interamnae*] ſpeciem arcae aquis circumfluae praeſeferebant : de quo vide dicta in Differt. de *Arca* ad Gen. VI. Ob eamdem rationem urbs haec [ſi modo prior quam oſtium, nomen eſt *Spinae* nacta] *Spina* i. e. *navis* dicta a Tyrrhenis fuerit . Sed malo , oſtium prius [quod Dionyſius innuit] id nomen adeptum .

At idem oſtium olim quidem *Spines* , poſtea , Plinio auctore , *Vatreni* oſtium crebrius dicebatur . Verum hoc ipſum *Vatreni* nomen etſi aetate Plinii erat uſitatius altero , tamen antiquiſſimum , ac certe Tuſcum fuiſſe, origo Orientalis docet . Nam derivatur ἀπὸ τοῦ בתר, *batter* , quod eſt *dividere* , aut a בתר *beter*, *portia* . Nam cum Padi oſtiis tota illa regio in plures portiones interſcinderetur ; una aliqua ex Tuſcorum φυλαῖς (*tribubus*) cui pars inter Spinetem & proximum oſtium obtigiſſet, forſitan dixerit הוא בתרנו *hu vatrenu* , *haec noſtra portio* eſt; atque hinc *Vatreni* nomen ei oſtio haeſerit . Qui locorum ſexcentas ἐπικλήσεις (*appellationes*) in Geneſi obvias legerit, hanc certe illis apprime conſentaneam non diffitebitur .

III. CAPRASIAE.

Sequitur oſtium tertium , *Caprasiae* appellatum , numero multitudinis . Ac quemadmodum *Spineticum* ab urbe *Spina* nomen obtinuiſſe , Plinio veriſimile fuit ; ſic *Caprasias* villarum plurium ad oſtium hoc poſitarum nomen fuiſſe , & inde oſtium eodem poſtea nomine appellatum , facile crediderim . Vt ut eſt ; certe nomen oſtii hoc ipſum, quod dixi, ſignificat : nam *Caprasiae* eſt כפרי־צאיה *capresia* i. e. *Villae* aut *Oppida oſtii* ſive *exitûs* . Prior vocabuli pars Hebraeis, Chaldaeis , Syris , Arabibuſque *pagum* aut parvum oppidum notat . In poſteriore vero parte neminem turbet, quod *Sia* ſit pro *Jeſia*: nam in יצא *jaſa*, *exivit* , & ejus derivatis perquam familiaris eſt aphaereſis primae litterae .

IV. SAGIS.

Caprasias excipit *Sagis* , de quo jam ſuperiore Sectione occupavimus dicere .

V. VOLANA.

Hunc proxime ſequitur *Volane* : quod oſtium antea *Olanem* fuiſſe nuncupatum , teſtatur Plinius; nec aliter quam Ὄλανα Polybio dicitur lib. 2. cap. 16. ubi ſcribit , Eridanum juxta Trigabolos in duos alveos ſcindi , quorum unum *Padusa* , alterum *Olana* diceretur. Vide Polybii locum initio hujus Sect. ex quo loco intelliges *Olanem* & *Paduſam* veros ac naturales Padi alveos fuiſſe , ceteros (ſi *Spineticum* forte excipias) fuiſſe verius foſſas manu factas a Tuſcis ad vim amnis egerendam . Quare videndum annon *Olane* (quae in Chiffletiano Plinii MS. eſt *Alana*) veniat ab Arabico verbo עלן *alana* , quod eſt *patefacere* , ita ut vox *Alana* ſive *Olana* notet *oſtium* , ſive *apertionem* , per quam amnis egreditur. Sed fateor , aegre me adduci , ut ex Arabico fonte etyma Etruſcorum deducam ; quae multo reperi ſemper in Hebraea , Chaldaea , Syrave linguis aptiora . Ergo *Olana* eſt ab Hebraeo verbo עלה *ala* , *aſcendere*, ex quo adſcito N (quia hoc genus verborum quieſcentium tertiâ ה, ſaepe in derivatis aſſumit N in fine) fit *Olan* h. e. *aſcenſus* : quod vocabulum reſpondet Graeco ἀνάπλους , quod de fluminum navigabilium oſtiis uſurpatur , quoties a mari ſurſum verſus enavigatur. Itaque Strabo in ſuis fluminum deſcriptionibus , ubique penſi habet adnotare , an habeant ἀνάπλουν (h. e. *aſcenſum navium* , ſive a mari ſurſum

(9) Καὶ πρὸς ἑνὶ τῶν τοῦ Πάδου στομάτων ὁρμισάμενοι , Σπινῆτι καλουμένῳ , ναῦς κατὰ ταύτῃ καταλείποντες .

(10) Ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς ναῦς καταλιπόντες , Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείᾳ εἷλον.

ſurſum verſus navigationem) aut quouſque ſive ad quotum ſtadium ſit ἀνάπλους. Verum ne plura: Polybium in medium afferre ſuffecerit; qui lib. 2. de hac ipſa Olana appoſite *Aſcendendi* verbo utitur. ΑΝΑΠΛΕΙΤΑΙ δ' ἐκ θαλάττης κατὰ τὸ στόμα τὸ καλούμενον Ὄλανα, σχεδὸν ἐπὶ δισχιλίους σταδίους. *Aſcendunt in eo* (Pado) *naves e mari per oſtium Olanen ad bis mille propemodum ſtadia*. Vides, ut ἀνάπλους ſive *aſcenſus* ſit vox oſtiorum navigabilium celeberrima. Atqui *Olane* (ſive gutturali prima littera mutata in Digamma, unde exſiſtet poſterior Pliniana appellatio *Volane*) ſi ex Hebraeo exponatur, tantumdem plane erit, quod ἀνάπλους. De qua ἐτυμολογίᾳ minime eſt dubitandum; ſicuti nec de ea, quae jam ſequitur.

VI. CARBONARIA.

Carbonaria ipſo ſuo nomine prodit, ſe unam eſſe ex foſſis illis, non natura, ſed arte per Tuſcos excavatis: id quod & in *Sagis* nomine (quod Sect. 2. expoſuimus) & in *Foſſionum Philiſtinarum*, deprehenditur. Verum ad *Carbonariam* quod attinet; ſciendum eſt, hodiedum id genus foſſas, quae a ruſticis ad *ſiccandam* in agris paludem fiunt, a noſtratibus agricolis vocari *Seccatoj*, ſive *Aſſeccatoj*. Nec aliud prae ſe oſtendit *Carbonariae* nomen: nam a verbo Hebraeo חרב *charab* h. e. *ſiccari* fit Hebraicum nomen חרבון, *charbon* (cujus tantum plurale reperitur Pſ. XXXII. 4.) i. e. *ſiccitas*, & Chaldaicum חרבונא, *charbona* ſignificationis ejusdem, quod citat Aruch ex Targum Hier. Deut. XXVIII. 27. etſi ibi in noſtris hodie גרבא *garba* legitur, quae eſt *ſcabies ſicca*. Ergo apud Tyrrhenos *Carbona* ſive (quia Etruſca dialectus Rhotaciſmo maxime laborabat) *Carbonar*, erat foſſa ad emungendam paludem facta (*il Seccatojo*) unde terminatione Latinâ eſt *Carbonaria*.

VII. FOSSIONES PHILISTINAE ſive TARTARVS.

Foſſiones Philiſtinae, ultimus Padi alveus [niſi vero ex nonnullorum ſententia ſit ſex ceteris commune nomen] jam ſectione ſuperiore ſunt expoſitae. His foſſionibus etiam TARTARI nomen haeſiſſe, memorat Plinius III. 16. *Inde oſtia plena: Carbonaria, ac Foſſiones Philiſtinae, quod alii TARTARVM vocant*. Putatur hoc alterum nomen ex eo quaeſitum, quod proprium eſſet oſtium Tartari amnis, cujus meminit Tacitus in III. Hiſt. ubi *Paludes Tartari fluminis memorat*. Ceterum *Tartari* nomen Orientale eſſe [quo frigus intenſiſſimum ad tremorem adigens notatur] oſtendi pluribus ad Kalend. marm. ad XIX. Maii in S. Patritii Acta pag. 385. totâ Adnot. 198. Ibi vide.

Atque haec ſunt Padi oſtiorum Tuſca nomina, ſatis feliciter, niſi mihimet ipſe abblandior, ex Hebraeo ejuſque dialectis explicata.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

AD GEN. VI. 4.

Promiſſa pag. 48.

De Gigantum nomine διοριστικῷ *, veritate hiſtoriae ,*
& eorumdem proprietatibus .

Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis ; poſtquam enim ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum , illaeque genuerunt ; iſti ſunt potentes a ſeculo viri famoſi .

Totam hanc pericopen totidem verbis ex Hebraeo ita licebit exprimere : *Nephilim autem* (*Gigantes* intelligit, quos hic Hebraice *Aggreſſores* vocat) *erant ſuper terram diebus illis* [creationi proximioribus] *ſed & magis etiam poſtquam ingreſſi ſunt filii Dei ad filias hominum*, *& hae genuerunt illis* [filios] *hi vero* [inde ſati exſtitere illi] *Potentes , qui a ſeculo* [h. e. qui a principio mundi fuerant] *viri nominis* . Ita αὐτολεξεὶ ex Hebraeo fonte tranſtulimus. Ex quibus intelligere licet , tum ab initio Gigantes fuiſſe, tum multo magis poſt illa Filiorum Dei cum filiabus hominum connubia, & ſuſceptam inde prolem. Verum difficultas maxima in ultimorum biga nominum interpretanda eſt : de quo videamus .

PARS PRIOR.

Quid אנשי השם anshe haſshem , *ſive* viri nominis *hoc loco ſit , & utrum ea ſit* διοριστικὴ *Gigantum appellatio , eorum celſitudinem notans* .

Pro *Viri famoſi* , quod hic Vulgatae auctor uſurpat, in Hebraeo fonte eſt אנשי השם *anshe haſshem* : quod totidem verbis eſt *Viri nominis* ; LXX vero expreſſerant ἄνθρωποι οἱ ὀνομαστοὶ , *homines nominati* , ſive potius *nominabiles* , *clari* , *nobiles* (1) . Atqui nihil erat cur hac notione viri illi ſceleſtiſſimi , de quibus hic ſermo eſt , dicerentur ὀνομαστοὶ , cum contra Homerus Heſiodusque [ambo Moſaicarum locutionum aemulatores] iſtiuſmodi viros violentos & ad omnia facinora paratiſſimos, potius οὐκ ὀνομαστοὺς (2) *ne nominandos quidem* appellitent . Fateor equidem non ita, uti vulgo volunt , expeditum hunc Legiſlatoris eſſe locum . Nihil tamen impedit , quominus excudamus aliquid , quod huc apte conveniat, quodque revera fuiſſe *gigantes* oſtendat eos , quos fons Hebraicus & LXX & Vulgatus noſter , ceterique interpretes in hoc loco per phraſeologiam *virorum nominis* expreſſerunt . Nam niſi in hac biga nominum peculiaris gigantum nomenclatio , quae eorum propriam naturam exprimat , agnoſcatur ; carebimus in hoc loco [quo certe dedita opera de Gigantibus agendum ſibi Moſes propoſuit] carebimus , inquam, eorum peculiari nomine : nam cetera quae gigantibus (3) vocabula tribuuntur , ea ad efferatum eorum ingenium referuntur .

Ergo crediderim τὸ שם *shem* hoc loco non

(1) Plato in I. Polit. de Themiſtocle loquens, ὀνομαστὸν εἶναι & εὐδοκιμεῖν pro eodem uſurpavit.

(2) Homerus Trojam , κακοΐλιον οὐκ ὀνομαστήν , *Miſerum Ilium nec nominandum* dixit . Imo hinc Heſiodus Theog. ver. 340. de gigantibus iſtis e Terra Caeloque principio genitis , loquens, cum dira abominatione ita poſuit :

> Τρεῖς παῖδες μεγάλοι , καὶ ὄβριμοι , οὐκ ὀνομαστοί .
>
> *Tres gnati immanes , validi , nec nomine digni* .

Atqui iſtorum Gigantum deſcriptiones ex Moſaico fonte ad gentilium aures manarunt .

(3) Ajo Gigantum nomina, quae in Hebraeo Codice occurrunt, non tam videri propria nomina quam potius appellativa ab adjunctis inventa: nec tam enim Gigantum τὸ τί εἶναι (*quod quid eſſe*) h. e. *naturam* in immani proceritate poſitam , quam ſaevitiam ac violentiam deſignant . Verbi cauſa נפילים *Nephilim* (quod hic & in Numeris XIII. 34. uſurpatur) eorum immanitatem notat ; quos apte Aquila αὐτολεξεὶ reddidit ἐπιπίπτοντες , i. e. *Irruentes* . Hic quoque ſemel in Hebraeo גבורים *gibborim* (quod *potentes* notat) uſurpatur : quodque hic Onkelos bis inculcavit. Deut. II. 11. ubi de Gigantibus agi putant, reperitur אימים *Emim* , quaſi *terrificos* dixeris . Mitto רפאים *Rephaim* incertae notionis vocabulum . Verum & hoc ultimum , & illa ſuperiora magis epithetorum, quam proprii nominis (nim. ſtaturam ,

Digitized by Google

non tam *Nomen* ejuſque celebritatem notare, quam illam enormitatem ſtaturae, quae gigantes conſtituit: haud ſecus ac infra Gen. XI. 4. idem שם *shem* non *Nomen* eſt, ſed Babelicae turris *ſublimitas*, ut ibi luculenter oſtenſum a me fuit. Cum quo loco rogo lectorem, ut hunc, qui ad manus eſt, conferat, ſimulq. etiam cum aliis ſive hic infra, ſive alibi laudandis. Itaque verti hic locus poſſet, *Viri proceritatis* [quae appellatio Gigantes conſtituit, & a mortalibus ceteris diſtinguit] pro eo quod vulgo redditur, *Viri nominis*. Conferat quaeſo lector quae initio [ad Gen. I. 1.] de ipſa Orientali etymologia vocis שמים *shamaim* h. e. *caeli* notavimus: quam vocem non a duplicitate caelorum, quaſi duale ſit, nec a מים *maim* i. e. *aquis* [uti vulgo adhuc docent] arceſſivimus, verum cognatam cum Arabico caeli nomine סמא *ſama*: hoc vero ab Arabico verbo סמו ſive שמו *ſamava* oritur, quod Arabibus eſt *Eminere*, *altum eſſe*. Ergo cum plurima Arabico ſermoni cum Hebraeo intercedat cognatio, tam Arabicum caeli nomen *Sama*, quam Hebraeum *Shamaim altitudinis* notionem ex aequo imbibere neceſſe eſt. Adde his quod antiquiſſima temporum heroicorum dialectus, qua Phoenices aliique proxime a turri Babelica propagati utebantur, τὰ ὕψη [*excelſa* quaelibet *loca*] non aliter quam Σάμος vocabat [teſte Strabone, cujus locum ad Gen. XI. 4. produxi] unde eminentiores aliquot inſulae ſibi *Sami* nomen adſciverunt.

Ergo ut planius breviuſque dicam, ſicuti apud Arabes a rad. ſive סמו, ſive שמא (nam, cum prima ſit permutabilis, utroque modo ſcribitur, & utrumque pari notione *eminendi* pollet) oritur tum סמא aut שמא *Sama*, *Caelum*, tum plura alia *celſi* aut *celſitudinis* nomina; plane idem de Hebraeis dicendum. His enim fuiſſe neceſſe eſt thema aliquod cum (4) Arabico cognatum, ex quo & *Shamaim* [ſive potius *Shamim* plurali terminatione; ſic enim magis, quam cum Maſorethis (5) *Shamaiim* legerim] & שם *shem* [quod hic oſtendimus non tantum *Nomen*, ſive appellationem, ſed primitiva notione *Celſitudinem* (6) deſignare] adhaec & Phoenicium Σάμος, quo τὰ ὕψη ſignificabantur, originem duxerint. Alia plura hujus rei documenta, maxime in linguis (7) cognatis, omitto.

Ex hactenus dictis conſtat I. me non inepte ad Gen. I. 1. voci שמים *shamaim* [quod nos *caelum* vocamus] ſubjeciſſe *ſublimitatis* & *celſitudinis* notionem; ita ut ubicumque שמי השמים *sheme-haſshamaim* conjunctim legitur, vertique ſolet, *Caeli caelorum*,

ſtaturam, qua Gigantes a ceteris hominum diſtinguuntur, notantia) vicem gerunt.

(4) Cum de cognatione loquor, cave ſic accipias quaſi verbum, ex quo apud Hebraeos nomen שמים *shamaim* propagatum fuit, ex Arabico fluxerit (nec enim linguam Hebraeam, utpote aliarum matricem, aliunde decuit quam de ſuamet propagine mutuari) verum contra fuiſſe ab initio Hebraeis aliquod *eminendi* verbum reor (veluti שמה) hodie Hebraeis inuſitatum, ex eoque verbo fluxiſſe Hebraica illa שמים *shamaim*, & שם *shem*, & ſiqua alia ſunt Hebraica ex eadem radice orta: at poſtmodum radicem illam apud Hebraeos quidem, ubi nata fuerat, emarcuiſſe, apud Arabes vero interim viguiſſe ac laeta propagine fruticaſſe.

(5) Judaei recentiores plures etymologias nominis *Shamaiim* commenti fuere: & inter ceteras, quod caeli aquas ſuperiores, ab inferioribus dirimerent, aut quod caelos duplices, nim. ſuperiores & inferiores eſſe dicerent, qua de cauſa dualem numerum τῷ *Shamaiim* tribuerunt, & puncta vocalia ad eum modum ſuppoſuerunt. Mihi probabilius eſt, haec mera commenta eſſe, ac pro duali plurativum numerum caelo tribuendum, ut ſit efferendum duabus ſyllabis *Shamim*.

(6) De hoc fuſius egimus ad Gen. XI. 4. Videantur ibi in eam rem cumulata.

[7] Prae ceteris Arabicum thema סמו *Samava* (cujus derivata etiam cum ש recte, ut dixi, ſcribuntur) ejuſque ſoboles laetiſſima germinum, ita proprie de *celſitudine* ſumitur, ut etiam ad *caelum*, & ad *Nomen* deſignandum uſurpetur, & quidem ut non raro poſſis his ipſis locis pro *Caelo* aut pro *Nomine* notionem celſitudinis ſubrogare. Videantur Arabica lexica.

Adhaec Chaldaeis tam שמא *shema* (i. e. *Nomen*), quam שמים *shamaim* (*caelum*) ambo abſolute poſita *Deum* ſignificant (vide Chald. lexicon Buxtorfii in שם) haud dubie (ut arbitror) quia tantumdem ſunt quod עליון *Eljon* (*ſublimis*) unum ex Dei nominibus.

Hebraice quoque שם *shem* (*nomen*) abſolute uſurpatum pro Deo ſumitur Lev. XXIV. 11. *Cumque blaſphemaſſet NOMEN & maledixiſſet ei*. Ad quae verba loco ſuo plura congeſſimus.

De *Sami* inſulae nomine quod, teſte Strabone & aliis, primaevâ dialecto (utique Noachidarum) τὰ ὕψη h. e. *ſublimia loca* notabat, tum ſaepe mentio mihi facta, tum ad Gen. XI. 4.

Digitized by Google

lorum, ibi vox prior appellativa ſit habenda, poſterior propria, atque ea loca omnia ita capienda, quaſi ſi dicatur *Celſitudo caelorum*. Ita capienda dixi; nec enim in antiquis tranſlationibus temere quidquam immutandum cenſeo. Vide ibi dicta. II. Hîc vero τὸ שם *shem*, [quod in ſacris Bibliis *Nomen* vertitur] cum ex eadem radice, ex qua שמים *shamaim* proficiſcatur, poſſe interdum *altitudinem* deſignare; imo re vera tum hîc, tum etiam Gen. XI. 4. inq. aliis (8) locis compluribus, non quidem *Nomen* [ſi id quod eſt, interpretari libeat] verum *celſitudinem* in ea voce eſſe capiendam ajo. Itaque hîc pro *Viri nominis* aptius verteris, *Viri proceritatis*, aut (quia abſtracta ſuperlativis reſpondent) *Viri proceriſſimi*: quae apertiſſima & propria *Gigantum* appellatio hîc tantum reperitur, quia ſuperiores duae *Nephilim* & *Gibborim* ad mores pertinent. At Gen. XI. 4. ubi legitur, *Faciamus nobis nomen*, verti clarius potuiſſet, *Faciamus nobis ſpeculam eminentiſſimam*, ut in loco oſtendam, & ita in pluribus locis aliis, ut modo Adn. 8. dictum.

Atqui hîc maxime huic modo traditae interpretationi locus eſſe debet. Nam cum hoc commate procul dubio de Gigantibus agatur, nec tamen hi per vocem נפילים *Nephilim* aut גבורים *Gibborim* [quae eorum tantum violentiam feroſque mores, non vero enormitatem ſtaturae notat] deſignati fuerint; quis non videt neceſſe fuiſſe ut aliquid adderetur, quo τὸ τί εἶναι (*quod quid eſſe*) ſive natura ipſa Gigantum exprimeretur, in immanitate ſtaturae poſita? Atque huic neceſſariae perſpicuitati ſermonis tum demum ſatis a Moſe factum intelligetur, ſi τὸ שם *Shem*, ad celſitudinem referas, non item ſi ad nominis celebritatem (quae hîc nihil facit) traducas. Ergo ne dubita, quin אנשי שם *anshe shem*, non aliud ſit quam *Viri proceritatis*, aut [quia abſtracta, uti ſupra dictum fuit, ſaepe ſuperlativi inſtar in ſermone ſancto geruut] *Viri proceriſſimi*.

Dixerit aliquis, nos nova vocum interpretamenta iſta cudendo, veteribus verſionibus diuturno Eccleſiarum uſu conſecratis detractum ire. Verum cave, rogo, quidquam in verſionibus antiquis ab Eccleſia probatis mutes. Interim hoc ſollemne veteribus illis interpretibus fuit, ut in vocibus transferendis id potiſſimum ſpectarent, quid ſenſu obvio voces illae notarent, nec ſemper examen anxium adhiberent, numquid fortaſſis aliud ab uſu remotum quibusdam in locis notare poſſent. Verbi cauſa quid Κοινὸν ſit, nemo ignorat. Etſi vero vox iſta ex uſu Helleniſtarum, interdum tantumdem eſt quod *Immundum*, tamen nemo unquam auſus eſt ſive Mar. VII. 2. 5. *Communibus manibus* in *Immundis* mutare, ſive Act. X. & XI. quinquies hoc ipſum ſexieſve facere; ſicuti & Rom. XIV. 14. loco τοῦ *Communis*, *Immundum* ſufficere, quippe omnibus intelligentibus Helleniſticam τοῦ κοινὸς notionem (qua ſcil. *Immundum* notat) etiam in Latinum *commune*, quod ei e regione reſpondet, in Eccleſiae ſermone transfundi. Par item ratio tum Graeci διαθήκη, tum Latini *Teſtamentum*: quae quia in antiquis verſionibus Hebraico ברית *berith*, *Pactum* ſignificanti, reſpondent; hinc διαθήκη & *Teſtamentum* in Bibliis, quaſi depoſito tantiſper voluntatis ultimae ſignificatu, jamdiu *Pacti* notionem induerunt. Poſtremo, ne diu his immorer in Syriaco ſermone (quo magna ex parte Palaeſtini tempore Chriſti utebantur) verbum eſt, quo ſimul *exaltari*, ſimul etiam *cruci affigi* notatur. Hinc factum, ut pluries in Evangelio Joannis (vide Jo. III. 14. VIII. 28. XII. 32. 34.) ὑψωθῆναι (h. e. *exaltari*) pro *ſuffigi in crucem* uſurpetur. Pluribus abſtineo, cum ſint alia ſexcenta, quae alibi pro re.

(8) Dico, in compluribus aliis Veteris Novique Foederis locis τὸ *Nomen* aptiſſime verti potuiſſe *ſublimitatem*, praecipue in Pſalmis aliiſque Veteris paginae libris, & in Novi Foederis locis iis, quibus Graeca verba ex ingenio Hebraicorum, quibus reſpondent, ſunt capienda. Atque ejuſmodi illa ſunt; ubi שם *shem* ſive *Nomen* cum verbo שגב *Sagab* (quod eſt *exaltandi* verbum) jungitur. Pſ. XIX. (in Heb. XX.) 2. *Exaltet te* (in Vulg. *Protegat*) *Nomen* (h. e. *ſublimitas*) *Dei Jacob*. Item Pſ. CXLVIII. 13. *Quia exaltatum eſt nomen Dei ſolius*. In Cantico apud Iſaiam XII. 4. *Mementote quoniam excelſum eſt* (Hebr. נשגב, *exaltatum eſt*) *nomen ejus*. Item in N. T. (cujus ſcriptores Graeca vocabula ex captu reſpondentium Hebraicorum uſurpabant) eadem loquendi ratio fuit. Ad Phil. II. 6. & ſeq. *Qui cum in forma Dei eſſet . . . ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens . . . humiliavit ſemetipſum*. Hactenus Divinae naturae ſublimitati opponitur humilitas humanitatis, quam Chriſtus aſſumpſit. Quid tum poſtea factum? *Propter quod & Deus EXALTAVIT illum* (hoc reſpondet verbo שגב, quaſi dixiſſet ישגבו *ſiggebo*, *exaltavit illum*) *& donavit illi NOMEN* (intellige *ſublimitatem*) *quod eſt ſuper omne NOMEN* h. e. *celſitudinem* &c.

re nata admetiemur.

Jam ad noſtra redeo. Cum oſtenſum fuerit, Gen. VI. 4. & XI. 4. τὸ שם *Shem* non aliud quam *elationem* ac *ſublimitatem* notare, & tamen iisdem locis Graece ὄνομα pro *Shem* uſurpatum fuerit; quis poſthac dubitabit, quin Hebraica illa *eminentiae* ac *celſitudinis* notio etiam in veteres translationes (ubi ſive τὸ ὄνομα, ſive *Nomen* Hebraicae voci reſpondeant) transfundatur? Hoc more non tantum in Biblicis utimur, verum & ſaepe alias quoties Hiſpanica, Francica, Britannica vocabula cum noſtris Italicis, & omnino quoties unius linguae verba cum alterius voculis permutamus. Nihil ergo te deterreat, quo minus hîc & Gen. XI. 4. τὸ שם *Shem* liceat *proceritatem* aut *celſitudinem* interpretari. Aut, ſi te religio prohibuerit, quo minus a recepto *Nominis* interpretamento recedas, nemo te certe impediet, quin ibi *Nominis* vocem ex linguarum Orientis ingenio capias. Non moror ergo, quin hic *Viri nominis* interpretere, modo dictioni illi *Nominis* Hebraicam vim atque notionem ſubjicias, qua non tantum *appellationem* ſed & *altitudinem* notat; rejecto vulgari ſignificatu, repente animo ſubeat notio *celſitudinis*. Atque hanc animi mei denuntiationem in ſimilibus valere cupio.

PARS ALTERA.

De veritate proceritatis primorum hominum, ſimul de eorumdem vivacitate, ciborum appetitione voracitate ac robore: tum quibus gradibus haec omnia decreverint.

EX textu, quem modo expedivimus, conſtare arbitror, antediluvianos homines, maxime qui de vetitis connubiis orti, fuiſſe non tantum violentos, & in obvium quemque irruentes [unde *Nephilim* dicti] nec tantum robore virium maximo praeditos (ex quo vocati *Gibborim*) verum etiam proceriſſimos, atque ab eo *homines proceritatis* nuncupatos. Ac proceritati priſcorum hominum, quos *Gigantes* vocabant, cum non tantum Moſaica, ſed & vetus omnis litteratura (9) adſtipuletur, cumque oſſa prodigioſae magnitudinis

Tom. I. Bb

(9) *Antiquiorum hominum multo procerioris ſtaturae argumenta a menſuris, quibus olim utebantur, capta.*

Vbi veterem litteraturam in teſtimonium advoco, Homerum aut Heſiodum de gigantomachia canentes, & veterem omnem μυθολογίαν producere poſſem; nec enim quae in his de gigantibus traduntur, omnia pro commentis habenda, ſed veritas in fundo reſidet: quam priſci illi ex turri Babelica, exque antiquioribus diluvio traditionibus hauſerant, unde poſtea poëtae transfuſas narrationes fabuloſis circumſtantiis contaminarunt. Poſſem & hiſtoricas plures narrationes de veterum proceritate hominum, deque effoſſis immanium oſſium compagibus in medium proferre: verum ipſe me conſulto retineo. Sat enim ſcio, eſſe hominum genus, qui ſe *ſpiritus fortes* vocari geſtiunt (quibus ſcil. *robur & aes triplex circa pectus* ineſt, ut ille ait) quos iſtiuſmodi omnia deriſuros auguror. Verum ad aliis, quod ſciam, non obſervata me confero, & illuc venio, unde non video, quaenam iſtis evaſio futura ſit.

Menſurae fermè omnes, quibus Graeci Romanique utebantur, partium humani corporis nomen gerebant. Itaque *Cubitus*, *pes*, *ulna*, *palmus*, *digitus*, & ſimilia quia primitus ad metiendum adhibita, hinc ab humanis membris ad menſuras notandas eorum nomina antiquitus traducta fuerunt. Atqui nec cubiti, nec pedis modulus, quo Romani Graecique utebantur, cum pede cubitove, quo nunc corpora pollent, convenit, ſed modulus in menſurae uſum reſervatus hodiernis hominum membris haud paullo amplior deprehenditur. Quod argumento eſt, vivorum hominum membra, ubi in menſuras adhiberi coeperunt, haud paullo majora hodiernis fuiſſe. Imo quidquid diſcriminis inter veteres novaſque homonymas menſuras deprehenditur (verbi cauſa quod pes Pariſienſis & quivis alius Romano antiquo pede brevior: quodque hic rurſus pede alio antiquiore contractior) id in hominum ſtatus paullatim decreſcentes eſt conſerendum, propterea quod hominum ſtaturae ab orbe condito ad noſtram aetatem per gradus quosdam perpetuo decreverunt. Quo facit narratio illa apud A. Gellium I. 1. qua ratione Pythagoras Herculis ſtaturam collegerit. *Cum*, inquit, *conſtaret, curriculum ſtadii . . . Herculem pedibus ſuis metatum, idque feciſſe longum pedes ſexcentos . . . facile* (philoſophus) *intellexit, modum ſpatiumque plantae Herculis . . . tanto fuiſſe quam aliorum procerius, quanto Olympicum ſtadium* (dimenſum ab Hercule) *longius eſſet quam cetera . . . Atque ita collegit . . . tanto fuiſſe Herculem corpore excelſiorem quam alios, quanto Olympicum ſtadium ceteris pari numero factis anteiret*. Atque ex his intelligitur, menſuras ob id ex intervallo fuiſſe contractas, quod humana membra, quibus ad modulandas menſuras utebantur,

tudinis variis effoſſa temporibus ei negotio fidem faciant ; tamen haud pauci illorum, qui teſtatiſſima quaeque ſubruere in deliciis habent, narrationes iſtas omnes irrident, imo & inſanas foſſilium oſſium magnitudines ad neſcio quas phyſicas ſub terra vegetationes referunt, nec interim curae habent, cur humus ex oſſibus ſibi commiſſis alia quidem tam enormiter (& quidem humana exacte figura ſuperſtite) auxerit, alia interim nihil mutata reliquerit, rationem ullam afferre. Verum quid ultra tricamur ? Non modo ſacra omnis hiſtoria, ſed & profana [quamvis ceteroqui commentorum additamentis ſcatens] primorum mortalium ſtaturae immenſitatem uno ore praedicat.

Atqui relicta tantiſper fabulari hiſtoria, [quam gaudeo quidem Moſi de veritate Gigantum concinere : interim commenta non moror] equidem Moſaicis ubi narrationibus aurem admoveo, tria praeter proceritatem primis hominibus fuiſſe propria video, vivacitatem, voracitatem, miramque corporis firmitudinem. Haec tria nemo non videt fuiſſe cum proceritate primitivâ illâ connexa. Ac de vivacitate ſive longaeva ante & poſt diluvium aetate, pertextae a Moſe genealogiae ſatis edocent ; ſicuti & voracitas ibi conſtat, quoties (10) Abraham hoſpitibus Angelis, Jacob Iſaaco morituro prandium parat : vires vero ſummas Davidis, Goliathi, Sampſonis aliorumque plurium vigoris ſpecimina in ſtrangulandis feris, totque aliis fortitudinis portentis edita oſtendunt. Fateor quidem Sampſonis nervos non fuiſſe vulgares, imo ſua quoque aetate miraculo habitos : verum & quae vulgaris tunc ceterorum mortalium validitas erat, ea Romanis temporibus prodigio fuiſſet, ſicuti & militum Romanorum robur hoc tempore pro Achilleo haberetur.

Sic enim ſe res habet. Sicuti proceritas illa primorum hominum non ſtabili gradu conſtitit, ſed ſenſim ſine ſenſu, ipſo (11) Homero fatente, decrevit ; ita & vivacitas, & vo-

tur, ſenſim ſine ſenſu breviora evaſiſſent. Alius ergo pes Herculeus fuit ab eo quo Pythagoras uſus : alius rurſus Pythagoricus fuiſſe videtur, quam qui Romana florente Rep. aut ſub Caeſaribus ad manus erat. Poſtremo pedis Romani modulus quem ex pluribus antiquitatis monumentis compertum habemus, a Pariſienſi, ab hodierno Romano, a Neapolitano diſſidet : ſed ita ut ſemper ubi de menſuris homonymis agitur, quo recentiores ſunt, hoc breviores eſſe reperiantur. Id quod perſpicue arguit, humana membra, ex quibus per plures ex intervallo vices menſurarum ſpecimina deſumpta fuere, iiſdem uſque gradibus decreviſſe, quos in modulis menſurarum animadvertimus.

Quandoquidem autem pedis Romani veteris incidit mentio, adſpergamus & de ſtatura militari aliquid, ut appareat, quanto poſt milleſimum paullo plus annum a Vegetii temporibus nunc breviores evaſerimus. Ex Vegetio conſtat, ſub Caeſaribus tironum vulgarem ſtatum ſex pedum fuiſſe, eamque ſtaturam ad palum (quem quidem *Incumam* ; ſive *Incomam* vocabant, nomen ex קומה *komah* (*ſtatura*) ductum, uti in additionib. Etymol. Voſſiani dixi) fuiſſe exactam. Atqui ſex pedes Romani ab octo palmis hodiernis Neapolitanis minimum diſtant. Vides hinc quanto ii qui nunc proceriſſimi habentur (qui quidem perraro ſeptem palmos Neap. aequant) inferiores Romanis militibus deprehendantur. Hi adhuc tirones octipalmares (totidem enim palmos ſeni pedes Romani, uti dictum, efficiunt) eſſe debebant, ac deinde poterant altius a tirocinio aſſurgere : at hodie paene prodigio habetur, ſi quis forte ſeptimum palmum expleat.

Ac ſcio paucis ab hinc ſaeculis vulgo hoc dictitari, ſeptem palmos vulgarem ſtaturam aequare. Verum ne crede : nam hoc ante ab aliquot ſaeculis traditum puto, quando re vera ea vulgaris proceritas erat. At poſtea jampridem id experientia dedocuit ; nam langueſcente paullatim vigore naturae, eo nunc ventum, ut vel celſiſſimi quique uno ſaltem digito a ſeptimo palmo Neapolitano decedant. Verum de aſſidua in humiliorem ſtatum gradatione ob flacceſcentes quotidie naturae vires plura aliquot infra dicentur.

(10) Gen. XVIII. hoſpitibus Angelis praeter panes ex tribus ſatis ſimilae paratos, appoſuit Abram integrum vitulum feſtinato coctum, itemque butyrum & lac. Jacob languenti patri ſelectos hoedos duos comedendos obtulit. Samuel ex convivii reliquiis integrum armum apponi Sauli juſſit. Ubi vero vitulum, ubi ſolidum animalis armum, ubi hoedos appoſitos audis, haec animalia tanto hodiernis grandiora concipe, quanto illi homines hodiernis, uti alibi dicam.

Et haec quidem & ſi qua ſimilia, plus duorum annorum millibus poſteriora ſunt antediluvianis temporibus, quibus maximus proceritatis modus fuerat. Nam, uti dixi, poſt diluvium ſicuti paullatim contrahi ſtaturae coeperunt, ita & cibi appetentia, & ceterae, quas dixi, qualitates ſenſim reſtringebantur.

(11) Homerus, obſervante Plinio & Juvenale, ſaepe conqueritur ſua aetate proceritates & robora

Digitized by Google

& voracitas, & robur vigoris paribus paullatim gradibus per ſubſecutas aetates imminuta fuerunt. Nec enim eſt dubitandum, quin quatuor haec, quae retuli, omnia ſicuti pari ſymmetria Creator hominibus principio largiſſime praebuit, ita ſlacceſcente poſtea ſenſim natura, item paribus eadem decrementorum gradibus per aetatum intervalla emarcuerint. Itaque per eosdem gradus, quibus vitae ſpatia imminuta in Moſaicis (12) genealogiis cernimus, ſimul etiam paria ceterorum trium (nim. ſtaturae, alimoniae, virium) detrimenta genus mortalium ſubiiſt.

Ex hactenus dictis conſtat, quatuor illas, quas numeravi priorum hominum notiores proprietates nim. proceritatem, vivacitatem, alimoniae modum, virium firmitudinem (nam παιδογονίαν aliaſque obſcuriores parum moror) has inquam quatuor ita a Deo in homine conſtitutas, ut paribus inter ſe gradibus aliquamdiu progreſſae, poſtmodum iisdem pariter gradibus ſenſim minuerentur. Quare ſi cujus forte unius ex his qualitatibus deſcriptam per tempora gradationem certo noſſe licuerit; ex ea de ceteris aeſtimabimus. Atqui aetates hominum tum ante, tum poſt diluvium ad Abraham uſq. quam accuratiſſime nobis Moſes deſcriptas reliquit: ex quibus conſtat, antediluvianos patres maxima ex parte majores nongentenariis mortuos, ac ne Noachum quidem, diluvio diu ſuperſtitem, ab ea aetate abſtitiſſe: at vero exinde aetates decreviſſe, non quidem ſubito ac repente, ſed ſenſim ſine ſenſu: Itaque ubi Noe nongentis quinquaginta expletis annis exceſſiſſet e vita, deinde Sem filius annos ſexcentos numeravit, nepos Arphaxad 338. Sale pronepos 433. Atque ita porro qui recto ſtipite ex Sale deſcenderunt, Heber annos 464. Phaleg 239. item Reu 239. Sarug 230. Nachor 148. Thare 205. Abraham 175. impleverunt. Ita vides ab illa prope aequabili nongentorum annorum vita fuiſſe poſtea gradatim ſemper aliquid decerptum. Nec ſecus quoque in vitis ſequentibus per gradus deſcenſum fuit, quouſque eo ventum, ut ex Pſ. 89. 10. vulgaris hominum valentiorum vita ferme in octogeſimo anno (13) conſtiterit, ac raro ultra ad centeſimum uſque proceſſerit.

His intellectis, ajo iisdem fere gradibus, quibus vitae curricula, hominum etiam proceritatem (de victu, & viribus idem dicendum) poſt diluvium decreviſſe. Necdum tamen poſt tot ſaecula quaſi aliquo fixo termino humanae ſtaturae vulgaris modum conſtitiſſe ajo. Nam ecce a Caeſarum aetate h. e. poſt fere milleſimum & quingenteſimum a Chriſto annum, ſtaturam uſitatam militum plus uno palmo Neapolitano defeciſſe comperio: ſicuti contra a propagato Evangelio vitas aliquanto (14) diuturniores quam ſub ethniciſmo reperio: quod frugalitati Chriſtianae, non vigori naturae aſſignandum puto.

Ex iis, quae hactenus de ſtaturae modo, ejuſque aequalibus decrementis diſputavi, excipio ſemper ſtaturas extraordinarias (15) quaſdam, ſicuti & vitas interdum longiſſimas;

 utrumque

robora corporum aſſidue minui. Il. VII.

Οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν, ὁποῖοι νῦν βροτοί εἰσι.

Quod pulchre Virg. in XII. expreſſit:

Vix illum lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Juvenalis Sat. XV. v. 69.

Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero,
Terra malos homines nunc educat atque puſillos.

Accurate Plinius VIII. 16. *Cuncto mortalium generi minorem* (menſuram corporis) *in dies fieri, obſervatur, raroſque patribus proceriores . . . Ante annos prope mille . . . Homerus non ceſſavit minora corpora mortalium quam priſca, conqueri.*

(12) Antediluvianorum patrum vitae curricula ſingulorum deſcripta exſtant Gen. VI. ſicut & poſt diluvium uſque ad Abraham Gen. XI. Ceterorum quoque eximiorum virorum vitae anni ſuis locis a divinis Scriptoribus conſignantur.

(13) Pſalmus LXXXIX. qui tempore Babylonicae captivitatis ſcriptus creditur, vulgarem vitae terminum ita praeſtituit: *Dies annorum noſtrorum in ipſis, ſeptuaginta anni: ſi autem in potentatibus* (i. e. vivacioribus) *octoginta anni; & amplius eorum, labor & dolor.* Non negat interdum ultra eum terminum multum procedi, ſed non niſi fractis viribus. Atque ita Pſalmus cum Jeſu filio Sirach conciliatur XVIII. 8. *Numerus* (inquit) *dierum hominum VT MVLTVM centum anni.* In Graeco, πολλὰ (ſed olim puto ſcriptum ὡς πολλὰ) ἔτη ἑκατόν. Ea meta ultima, quam rariſſimi attingunt.

(14) Fabrettus in ſuo corpore inſcriptionum antiquar. ex titulis ſepulcralibus, in quibus vitae anni notantur, oſtendit, ſub Imperio Romano vitae curricula contractiora hodiernis fuiſſe: id quod magis balnearum nimietati, crapulae, ceteriſque voluptatibus eorum temporum, quam corporum conſtitutioni dandum ſemper cenſui.

(15) Cujuſmodi apud Plinium prodigioſae ſtaturae fuerunt Gabbarae cujusdam prope decempedalis ſub Claudio, & Poſionis & Secundillae aliquanto proceriorum ſub Auguſto. Talia plura & ab aliis referuntur (ſive vera ſive fabuloſa

utrumque enim ſiquando accidit, id ſemper monſtro aſſignatum fuit.

PARS III.

An & brutarum animantium per eosdem gradus corpora diminuta videantur.

Antequam finio, ſcrupulus ille eximendus mihi ſupereſt, utrum priſcis illis temporibus, quibus abnormi ſtatura homines naſcebantur, ne pecudum quidem moles corporum diſpar fuerit. Ajo, quod in hominibus, idem & in quadrupedibus valuiſſe. Nam ſive cauſam effectricem moduli beſtiarum ſpectes; telluris & pabulorum multo maximus ante diluvium (16) vigor, longe efficaciorem virtutem ſeminalibus parentum facultatibus ſubminiſtrabat, qua pecora grandiora ſimul & valentiora gignerentur: ſive cauſam finalem, quam ſibi propoſitam habuiſſe Auctorem naturae decet, intueamur; ecquis dubitat, quin quadrupedes, utpote in hominum miniſterium conditae, magnitudine non impari dominis ſuis praeditae eſſe deberent? Ita ni fuerit; quo pacto gigantes illi aſinis, equis, bubus, camelis, quales nunc ſunt, inequitarent, aut junctis veherentur? Ergo pro portione omnia ad ſervitutem hominum comparata fuiſſe neceſſe eſt, ac ſimul quibus poſtea gradibus homines, iisdem & pecus univerſum decreviſſe. Neque hoc equidem tam affirmate dicerem, niſi Lucretius praeiviſſet: quem hoc ex longe vetuſtioribus naturalium rerum auctoribus (quorum ingentem jacturam ex Plinii libro primo animadvertimus) hauſiſſe non eſt dubium. Ergo Lucretius Lib. II. v. 1149. ita conqueritur:

> *Jamque adeo affecta 'ſt aetas, effetaque tellus,*
> *Vix* ANIMALIA PARVA *creat, quae cuncta creavit*
> *Saecla, deditque* FERARVM INGENTIA CORPORA *partu.*

His accedunt & foſſilium oſſium praegrandium, & quidem non humani modo ſed & ferini generis, narrationes. Praeter ea vero quae hujuſmodi olim reperta leguntur, mea quoque aetate talia, quae dixi, hominum juxta ac pecudum eruta memini.

---

bulosa ſint) ante & poſt Chriſtum, naturae deerrantis miracula.

(16) Olerum, pomorum, glandium, feminumque vires ante diluvium ejuſmodi erant, uti ipſa per ſe ſatis hominem ſuſtentarent. At poſt diluvium eadem omnia defecta viribus primitivis, cum ſatis ad alendos mortales non viderentur, κατὰ συγκατάβασιν (*per indulgentiam*) Creator poſtea mortalibus etiam pecudum aviumque uſum, antea illicitum, largitus fuit. Nec mihi dubium eſt, quin ſtirpes, poma, fruges ante diluvium non tantum vi ad nutriendum majore valuerint, verum etiam tanto grandiora tunc omnia & corpulentiora fuerint, quanto viventium corpora ante diluvium excelſiora poſtdiluvianis atque ampliora extiterant.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

AD GEN. VI. 14.

DE NAVIGII NOACHICI NOMINIBVS ATQVE ORIGINIBVS.

Promiſſa fuerat ſup. pag. 15. *ver.* 4.

DE Noacho & Arca, ejuſque materia, forma, dimenſionibus, atque hujuſmodi aliis tot ſunt ſcripta volumina, ut eorum copia & ſpiſſitudine paene obruamur: dum interim de Arcae nomine, quaſi de re levi, tum & quidquid inde antiquitus ad gentes manavit, aut nemini aut non niſi obiter commentari in mentem venit. Hanc nunc Spartam, qua ſaltem parte neglecta conſtitit, nos adornabimus.

PARS PRIOR ΟΝΟΜΑΣΤΙΚΗ.

De primitivis Noachicae Arcae vocabulis Hebraeis, Graeciſque profanis.

Gen. VI. 14. imperat Noacho Deus: *Fac tibi Arcam ex lignis levigatis*. Quod Hebraice concipitur: *Fac tibi* (תבה) *thebah ex lignis* (גפר) *gopher*. Quid hîc porro & alibi Senioribus venerit in mentem Hebraicum *thebah*, κιβωτὸν h.e. *arcam* ſeu *ciſtam* interpretari, quod & arripuerunt deinde ceteri Bibliorum interpretes, profanique ſcriptores, res eſt quaeſitu non inutilis. Quid enim ciſtae cum immenſo plane navigio, quantum vix poſterior aetas vidit unquam, commune? Aut cui unquam tale auditum: *Fac tibi ciſtam CCC. cubitûm longitudinis*? Reſpondet Grotius ſic appellatam a figura, quod ſcilicet in arcae modum quadrata eſſet, non roſtrata, ut ſunt naves ceterae. At mihi ſe non probat iſta reſponſio. Arcarum ciſtarumque primae aetatis mediocritatem ſatis novimus, at vero formam quis unquam novit? Deinde ſi Arcae Noachicae τὸ τετράγωνον (*quadrata figura*) ſpectabatur; poterat aptius בית *baith* (*domus*) appellari, in qua erat & formae quadrum, & moles praeterea conveniens. Sed antequam meam expromo ſententiam; proderit ſane in iſtius *Thebae* (*Arcae*) notionem inquirere.

Vox *Thebah* tum in diluvii hiſtoria saepiſſime, tum in expoſiti Moſis narratione bis tantum occurrit, nec alibi in Hebraico textu poſtea reperitur. Sed nec unde ſit vocis origo deprehenditur. Qui a Chaldaico יתב *jethab*, *habitavit* (ſic enim Chaldaei per *Thau* efferunt, quod per ſibilum Hebraeis dicitur ישב *jaſhab*) deducunt; non ineptum etymon afferrent, ſi notio non impar deductis inde vocibus reſponderet: quibus nunc ſuperſedeo. Verius eſt, vocem eſſe primitivam ac facile antediluvianam, quae poſt Moſis expoſiti hiſtoriam deinde ab uſu Hebraeorum receſſit. Tametſi hinc exortum eſt poſtea Chaldaicum תיבותא *thebutha* aut *thebotha*, quod Paraphraſtae Chaldaei adhibent non ſolum in diluvii & Moſis expoſiti narratione, ſed etiam I. Sam. VI. 11. loco Hebraici ארגז *argaz*, quod Noſter *capſellam* appellavit. A Chaldaico *Thebotha* ſive potius *Thibota* venit Cypriorum Θίβωτος. Sic enim malim, quam Θίβωνος, ut nunc apud Heſychium legitur. Ait autem praeſtantiſſimus lexicographus: Θίβωνος, Κιβωτὸς, Κύπριοι. Primi ergo Cyprii (quos Phoenicum colonos eſſe conſtat) e *Thibotha* ſuum fecere Θίβωτον: quod poſtea Graeci ceteri ſic emolliverunt, ut κιβωτὸν (1) dicerent. Cur porro Apamea Phrygiae eadem & ΚΙΒΩΤΟΣ nuncuparetur, non habeo (2) exploratum. Illud tamen certiſſimum eſt, ex eo factum ut Apameenſes

---

(1) Nam K ſive C in plurimis vocibus ſuccedunt in locum litterae T. Vide Voſſium in De permut. litter.

(2) Niſi haec cauſſa fuit, quod Apamea, teſte Plinio V. 29. eſſet *circumfuſa Marſya, Obrima, Orgâ fluminibus in Maeandrum cadentibus*; ob eamq. cauſſam κιβωτῦ i. e. ſcirpeae ciſtae per flumina fluitantis (quarum permagnus fuit apud priſcos uſus) ſpeciem praeſeferret. De vimineis hiſce ratibus, qualis & illa fuit, in qua Moſes expoſitus, vide quae collegit Bochartus in Phaleg lib. I. Inſulam Tiberinam aedificatam fuiſſe in

Digitized by Google

Apameenſes Deucalionis (h. e. Noae) κιβωτὸν & diluvii hiſtoriam ſuis nummis inſculperent; quin & ut ibidem Arcam Noachicam conſtitiſſe falſa Sibyllae carmina praedicarent . Verum de Apameae nummis cum effigie diluvii, jam alii dicere occuparunt . Legendus de his in primis Oct. Falconerius .

Sed pergo jam derivatas a Noachica *Thebah* voces in medium proferre : cujuſmodi ſunt θέβυ (ipſiſſimum *Thebah* Hebraicum) θίβη , θίβις , θίβως : quae omnes ciſtam viminibus contextam ſignificant , qualis illa fuit , in qua Moſes expoſitus . Ac primum prodeat Heſychius : Θήβη ait πόλις Βοιωτίας , καὶ κιβώτιον· h. e. *Theba* , *Boeotiae urbs* , & *arcula* . Sane cum idem vocabulum & urbis & ciſtae fuerit ; non levis mihi oriebatur ſuſpicio , Thebas (3) tum Aegyptias , tum Boeotias ab *arca* ſive *ciſta* nomen adeptas , uti ſupra de *Ciboto* (altero Apameae nomine) diximus .

Jam vero idem Heſychius : Θίβη , πλεκτόν τι κιβωτοειδὲς , ὡς γλωσσοκομεῖον · i. e. Θίβη , *contextum quid in arcae aut loculi ſpeciem* . Uſurpavit hoc vocabulum Athenaeus , apud quem legitur ὑελοῦς πίναξ ἐν θίβῃ κατακείμενος ἀργυρᾷ . Fuit ſcil. *Argenteum repoſitorium* , ſive loculamentum , *quod vitreum diſcum amplexabatur* , ne in ferculis ferendis frangeretur . Vide quas ad ſuum Heſychium in ΘΙΒΗ congeſſit virorum eruditorum notas Jo. Alberti induſtria . Plura ſunt alia parum hinc detorta vocabula in Heſychio , & in Suida . De ultimo hoc lexicographo videamus .

Suidas : Θίβις , κιβώτιον ἐκ βύβλου λεπτὸν (reſcribi πλεκτὸν jubet ex duobus Mss. Kuſterus ; eaque vera lectio) ὡς κοφινῶδες . *Eſt* Θίβης , *arcula ex junco contexta in cophini modum* . Sed facile mihi perſuadeo, apud Suidam ſive Θίβη eſſe reponendum , ut ſit idem , ac quod affert Heſychius ; ſive potius Θίβις (de quo mox) ut ad Ex. II. digitum intendat . Varinus eadem paullo aliter : Θίβεις , κιβώτιον ἐκ φύλλων πεπλεγμένον , ὡς κοφινῶδες .

Poſtremo Θίβις loco Hebraici תבה *thebah* uſurpatur a Senioribus Ex. II. 3. ubi de Moſe expoſito . Ἔλαβεν αὐτῷ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θίβιν , καὶ κατέχρισεν αὐτὴν ἀσφαλτοπίσσῃ , καὶ ἐνέβαλε τὸ παιδίον εἰς αὐτήν . Paucis interjectis . ὁρᾷ παιδίον κλαῖον ἐν τῇ θίβει . Variant quidem in ſcriptura codices (ſic tamen ut Θίβις plurium & potiorum auctoritate nitatur) nam ſunt qui θίβην aut θήκην; ſunt & qui Θίβην praeferant . Poſterius ſecutus eſt Scholiaſtes , qui ſic annotat : Θίβη , κιβωτὸς παπύρου , ἢ ὑδρία , ἢ (4) πλατυσμὸς , ὃν τινες καλοῦσι σιτιν . Sed verebar ut ultima vox refingenda ſit in σιτλην .

Θίβη ,

---

in ſpeciem navis ſcimus ; magis , opinor , quod eſſet circumflua & μεσοποτάμους ut naves ceterae; quam in memoriam navis , ut ajunt , quae ſerpentem (quem Aeſculapium fuiſſe fabulantur) Epidauro Romam advexit .

(3) Et olim quidem *Thebae* totius Aegypti , non unius tantum urbis , nomen fuit . Auctor Herodotus Muſa altera , ubi de Delta : Πάλαι αἱ Θῆβαι Αἴγυπτος ἐκαλέετο . *Olim THEBAE nomen Aegypti fuit* . Nec aliter Ariſtoteles in I. Meteor. Τὸ ἀρχαῖον ἡ Αἴγυπτος Θῆβαι καλούμεναι . Cum Aegyptum autem *Thebas* appellatam illi tradunt , Aegyptum proprie dictam , & antiquis notiorem intelligunt ; quam *Delta* a triquetra figura appellant , celeberrimam inſulam , hinc mari, illinc duobus Nili brachiis circumfluam . Plin. V. 9. *Multi Graecae litterae vocabulo Delta appellavere Aegyptum*; propriam ſcilicet, cui & *Thebis* nomen fuit . Jam ſi quaeras , cur Aegyptum *Thebas* appellaverint ; ratio non alia ſuccurrit , quam quia in ciſtae fluviatilis modum , cujuſmodi in Nilo uſurpabantur , undis ea tota regio ambiebatur .

Atque haec quidem de Thebis , quatenus id nomen totam Aegyptum ſtricte dictam deſignabat. Nunc urbi ipſi Thebis idem fuiſſe vocis etymon, eſt demonſtrandum . Nemo hodie dubitat , quin vera ſit Bocharti aliorumque ſententia , Thebas Aegyptias non alias fuiſſe, quam quae in ſcripturis No-Ammon dicitur . Haec autem Nahum III. 8. ſic deſcribitur : *Quae habitat in fluminibus* , *aquae in circuitu ejus* (quia Thebarum urbs Nilo impoſita , diffiſſis ex eodem canalibus tanquam fluminibus , ambiebatur) *cujus divitiae mare* (ſcitum eſt Nilum , Euphratem , alios majores amnes *maria* in Scripturis appellari : fuere & in Pado *Septem maria* , de quibus Diſſert. 2. dixi) *aquae muri ejus* . Haec Nahum : ex quibus quivis facile colligat, hinc urbi celeberrimae nomen *Thebae* i. e. arcae fluviatilis fuiſſe quaeſitum.

Poſtremo quod ad alteras Thebas Boeotias, ſive Cadmeas ſpectat ; hae quoque Iſmeno & Aſopo fluminibus in cymbae amnicae modum alluebantur ; ex eoque nomen traxere potius , quam ſive a luto , quod Bochartus credidit, ſive undeunde alii deduxerint .

(4) Quid πλατυσμὸν Scholiaſtes vocet , obſcurum . Hanc vocem Dioſcorides V. 11. pro diſtenſione uſurpat . Verum hic non actus , quo quid diſtenditur , ſed res ipſa notari videtur . Ergo πλατυσμὸς hic pro πλάτυσμα uſurpatur . Hoc vero eſt linteum aut ſimile aliud , cui aliquod emplaſtri genus aut aliud dilatando illinitur , eſtque vox trita medicis . Ne plura : alludit

θίβη, ait hic interpres, *eſt arca ſcirpea, aut urna, aut latum quidpiam quam σίρον appellant*.

Ex hucuſque dictis ſatis jam perſpicitur, Hebraicum *Theba* non eſſe plane aliud, quam ciſtam, ſeu fiſcellam ſive cymbam vimineam, aut, ſi mavis, riſcum (5). Hanc notionem Moſis loca offerunt, hanc verſiones: poſtremo non eſt credibile aliam ſignificantiam id vocabulum in nativo ſolo habuiſſe ab ea, quam idem tum apud Chaldaeos tum & Graecos a Cadmeis (6) uſque temporibus traductum habuit. Accedit Syriaca verſio hujus Moſaici loci, quem prae manibus habemus: *Fac tibi arcam ex lignis flexilibus*. Vbi *ligna flexilia* poſuit, veluti ſi vimineam Moſis infantuli ciſtam prae oculis habuiſſet. *Theba* ergo priſco ſignificatu non arcam ex aſſeribus conſtructam ſignificat, condendis veſtibus ceteraeque domeſticae ſupellectili idoneam, ſed ſcirpeam ejus generis arcam, cui tanto poſtea Moſes infans impoſitus fuit.

PARS ALTERA.

Rei ναυπηγικῆς *incunabula*: λιτότης *Moſaica in Arcae appellatione: quod Moſaicae Arcae imitatio, ſi minus re at certe nomine, Argo illa celebratiſſima fuerit.*

His jam praejactis ad fundandam nativam *Thebae* h. e. *Arcae* vim, atque traductas inde propagines commentationibus, venio ad initio propoſitam quaeſtionem. Nam cum non ſit dubium, quin *Thebah* ciſtam, uti dixi, ſignificet; vix eſt ut ſanctiſſimus Scriptor ἀκυρολογίας (*impropriae locutionis*) notam effugiat, qui ſic loquentem fecerit Deum: *Fac tibi fiſcellam ex lignis copher*, ſive ex lignis cupreſſinis aut pineis abjegniſve; nolo enim de ligni genere toties recocta lectori apponere. Ajo, nihil ἄκυρον eſſe; nam ſciendum eſt antediluvianis temporibus, cum non dum ars ναυπηγικὴ excogitata eſſet, habuiſſe tamen patres illos aliquod temere confectum navigioli genus, quo amnibus lacubuſque ſuperveherentur, eoſque, ubi opus, trajicerent. Sane in Armenia (ubi hortus Eden fuit, ubi primi mortalium haeſerunt, ubi Noe ipſe arcam fabricavit, ubi poſtremo haec ſubſedit poſt diluvium) adhaec in Aſſyria, finitimiſque regionibus, flumina ſunt maxima, Phaſis, Araxes, Tigris, Euphrates, tot alia. Eſtne vero credibile homines illos non excogitaſſe ſcaphas aliquas quibus illa tranſmitterent, ubi id uſus poſcebat? Atqui excogitarunt id, quod facillime parabatur, θήβας (*thebas*) ſcil. ſive vimineas corbes, bitumine, quo ſcatebat Aſſyria, ſive quo alio linimento oblitas, eoque praeſidio undae ſe committebant; quem morem diu in Aſſyria, Aegypto & alibi obtinuiſſe, jamdiu a viris doctis (7) didicimus.

Jam vero, cum eo ventum eſſet, ut navigio tali opus eſſet, quo vix majus poſterior aetas vidit; an continuo debuit Deus aut Dei nuntius Moſes novum vocabulum cudere, quo illud aedificium nuncuparet? Satis habuit ſi *arcam* ſive fiſcellam vocaret, quia ſic uſus temporum Moſaicorum ferebat: verum tum materie, tum etiam dimenſionibus deſignatis, fecit ut nomine *Arcae* ingens re vera navigium intelligeretur. Nam ciſtam quidem fieri juſſit, ſed non virgulteam aut ſcirpeam,

ſed

dit Scholiaſtes ad ſuperiorem Exodi II. 3. locum de Moſe expoſito: καὶ κατέχρισεν αὐτὴν ἀσφαλτοπίσσῃ, *& lenivit eam* (ciſtam) *bitumine & pice*. Hoc linimentum πλατυσμὸν vocat, cum debuiſſet πλάτυσμα dicere. Ceterum quod addit, iſtud a quibusdam σείραν (aliter σίραν) appellari, ea vox prorſus ignota eſt.

(5) Gloſſae: Riſcus, κιβωτὸς μεγάλη. Donatus autem ad illud Ter. Eun. IV. 6. *Vbi ſita eſt? in riſco*: annotat: *In riſco: ciſta pelle contecta, nomen Phrygium*. Cymbis vimineis corio contectis uſos Orientales ad fluvios tranſmittendos, teſtatur Herodotus Muſa I.

(6) Notavi plures vocabula illa; quorum nullus fere eſt apud Scriptores uſus, ſed apud antiquos tantum lexicographos, tamquam parvae ex naufragio tabulae, vix adhuc aetatem ferunt, eſſe omnium antiquiſſima, & a Phoenicibus ad nos tranſmiſſa.

(7) Videatur Fullerus in I. Miſcell. 4. haud longe a fine capitis, & Bochartus paſſim pluribus locis. Ex his ναυπηγικῆς τέχνης rudimentis fluxiſſe putem illam veluti ſollemnem locutionem, *naves contexere*. Catullus: *Pinea conjungens inflexae texta carinae*. Silius: *Fluminean texit, qua tranſvehat agmina, claſſem*. Idem lib. XI. *Aeratas juſſi texamus mille carinas*. Imo & locum, ubi naves fabricabantur, *textrinum* olim eſſe nuncupatum, notat Scaliger ad Catullum ex Servii ſchedis nondum editis. Quo pertinet verſus Ennii: *Idem campus habet textrinum navibus longis*. Ea inquam φρασεολογία inde manavit, quod primitus ex viminibus contexerentur (quod toties jam diximus) ciſtae verius quam naves. Poſtea roboribus adhibitis, manſit tamen texendi verbum.

ſed e proceriſſimis roboribus : deinde non duûm triumve cubitûm , ſed trecentorum . Itaque , ut in pauca rem contraham ; rei novitas & inopia vocabulorum aevi Noëtici imperavit , ut λιτότητι (nunc quidem mira & inaudita, tunc autem unica rem clare aperiendi via ac ratione) homines vulgo uterentur , atque ingens moles illa, *fiſcella* potius , quam navis vocaretur ; quia illi tantum vocabulo homines inſueverant , quandoquidem non aliter quam ſcirpeis cymbis undae ſe conſueverant antea committere . Nunc quidem ſiquis ita cum altero agat : *Fac fiſcellam ex maximis roboribus trecentos cubitos longam*; ingentes riſus eliceret , καταχρήσει uſus haud ferenda . At illa aetate nondum aliud ſuppetebat nomen , quo naves vel maximas , numquam antea viſas , ſignificarent .

Quid quod non tantum *Theba (arca)* Noachica , verum & illa πολυθρύλλητος (*celeberrima*) & antiquiſſima navis , cui nomen *Argo* , qua Iaſon cum delectis quinquaginta Heroibus vehebatur , non aliam quam arcae & fiſcellae ſignificationem habet ? Fatigarunt ſe veteres novique critici in Argûs etymo detegendo ; quorum placita vide apud Bochartum in II. Chan. cap. XI. Nec magis mihi ſe probat ipſius Bocharti ſententia, dictam putantis *Argo* quaſi *Arco* a longitudine . Atqui niſi vehementer fallor , Ἀργὼ eſt ipſiſſimum Ἀργὸζ *Argoz* (8) quod legitur I. Sam. VI. 8. & 11. ex quo extrito ultimo ſibilo factum eſt Graecorum Ἀργώ . In dicto autem Samuelis loco *Argoz fiſcellam* ſignificat (9) ſive plexilem arcam . Vel, ſi mavis, a communi radice ארג *arag*, *texuit*, tam iſtud *Argaz* ſive *Argoz*, de quo modo dicebam, quam ſecundum formam Syriacam (10) Phoenicium nomen Ἀργὼ deſcendit . Ergo navis Ἀργὼ *Argo* πλεκτόν τι (*plexile quidpiam*) ſignificat , quod poſſis ſive *ciſtam* ſive *arcam* ſive *capſam* interpretari : quae omnia vocabula ſunt & origine & ſignificatu ſynonyma (11) tum inter ſeſe , tum Arcae Noëticae . Non mirum autem videri debet , ſi navem Ἀργὼ a *texendo* deduxerim ; quando & apud Latinos a priſca illa viminearum cymbarum textura fluxerunt deductae locutiones (12) . Vides jam Argonauticam illam decantatiſſimam *Argo* ejuſdem plane ſignificationis fuiſſe , ac *Thebam* ſive Arcam Noachicam .

At , inquis , Moſis , qui haec ſcripſit , aetate noti jam erant צים *tſim* i. e. *naves* , quarum mentio extiſtit in Balaami vaticinio Num. XXIV. 24. Fateor id quidem . Verum id etiam fatendum eſt , fuiſſe Moſem in retinendis priſcis vocabulis religioſiſſimum : nec dubito quin multas antediluvianas voces , poſtea abolitas , Scriptor ille ſervarit : id quod apparet ex nominum propriorum originationibus, quae in ea, quae nunc eſt, Hebraea lingua non belle finiunt ; in Antediluviana dialecto pulchre , opinor, procedebant . Ergo non debuit Scriptor ille antiquum mutare vocabulum .

(8) In I. Sam. VI. 8. legitur : *Et vaſa aurea ponetis in capſellam ad latus ejus* . Hebraice pro *capſella* hic & ver. 11. eſt ארגז *Argaz* . Quam dictionem qui Codices LXXvirales integram retinuerunt , ii ferme extremâ ſyllabâ loco primae vocalis, O uſurparunt . Itaque Codex Alexandrinus LXX Seniorum Ἀργὸζ habet, & Theodoretus Ἀργοζίν.

[9] *Argoz fiſcellam* ſignificare dixi , quia (exceptis LXX κοινῆς editionis, qui loco τοῦ *Argoz* vocem θέμα exhibent) ceteri interpretes eo redeunt omnes , ut ſcirpeam arcam hic deſignent. *Capſella* Vulgati interpretis a viminum plexu nomen invenit , ut infra declarabitur . Ceteras interpretationes complectitur Theodoretus in hunc locum , qui Symmachum vertiſſe teſtatur ἐν τῷ λαρνακίῳ *in arcella* : Aquilam ἐν ὕφει κηρᾶς i. e. *in textura* κηρᾶς (quo enim heic κηρὰ *tonſura* aut *caeſaries* pertineat , non video) Joſephum illud *Argoz* appellaſſe γλωσσόκομον i. e. *ciſtam* ; alios πλεκτὸν ὡσανεὶ κόφινον *plexile aliquid inſtar cophini* . Mitto cetera .

(10) Secundum formam Syriacam dixi Ἀργὼ *deſcendere*, quia certe quod ארג *ereg* Hebraei dicunt, hoc Syriaca forma ac dialecto, quam Phoenices plerumq. ſequebantur; ארגא *Arge* dicebatur.

(11) Ea omnia vocabula eſſe origine & ſignificatu ſynonyma dixi. *Arca* enim non ab *arceo* venit, ſed ab ארג *arag*, *texere*, G in C commutato , ut *Gamal Camelus*, & in aliis ſexcentis patet . Certe arcae olim omnes vimineae erant : ſero admodum ex aſſeribus componi coeperunt ; quod & de *capſa* verum eſt, de qua jam dicendum . *Capſam* nemo dubitat ex Κάμπτω *flecto* derivari . Et *Campſa* olim ſcribebatur , uti in Gloſſis Graecolatinis hodieque legitur ; & ſic etiam Feſtum legiſſe credi poteſt , qui id vocabulum a Graeco Κάμψα. ejuſdem ſignificationis deducit . Utut eſt , a κάμπτω certe eſt , quia ex flexilibus virgultis contexebantur . *Capſae* enim olim a caniſtris ſive fiſcellis nil diſſidebant. Heſychius Καμψία (i. e. *capſellas*) interpretatur κανᾶ , κάνιστρα i. e. *caniſtra* .

(12) A viminearum cymbarum textura deductas locutiones , vide ſupra Adnot. 7.

lum, quod priſcam ſimplicitatem ſaperet: quam ne profani quidem ſcriptores ſibi commutandam cenſuerunt, qui plerumque λάρνακα, nonnunquam & κιβωτὸν illam *thebam* ſive *arcam* Noachicam [quae ipſis Xiſuthrica aut [13] Deucalionea dicta fuit] nuncuparunt. Certe quaedam in priſca hiſtoria voces ſollemnes evaſerunt, quas poſteritas novare non eſt auſa; cujuſmodi ſexcenta ferme in Atticis Romaniſque antiquitatibus vocabula occurrunt, quae poſteri cum uſitatioribus aptioribuſque permutare nequaquam ſuſtinuerunt.

(13) Noachicum diluvium tantam habet cum Xiſuthrico ſive Deucalioneo circumſtantiarum ταυτότητα, ut gentiles ipſi pro eodem indubitanter habuerint. Res trita eſt, ac praeterea nummi Severi (ſi probe memini) & Philippi ita prorſus Deucalioneum oculis exhibent, ſicuti Noëticum a Chriſtianis depingitur. Atque hanc diluviorum ταυτότητα (*identitatem*) fuiſſe apud profanos teſtatiſſimam, oſtendit praeclarus Philonis locus (lib. *de praem. & poenis* pag. 913. E) ubi de Noe loquens, ita pergit: Τοῦτον Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ἐπονομάζουσιν, ἐφ' οὗ τὸν μέγαν κατακλυσμὸν συνέβη γενέσθαι. *Hunc Graeci Deucalionem vocant, at Noam Chaldaei* (Chaldaeos quam *Hebraeos* vocare maluit, quia erat familiare gentilibus, in quorum profectum ſcribit, *Chaldaeorum* notiorum nomine Hebraeos deſignare: quod ex millenis veterum locis conſtat) *Cujus* (Noae) *aetate diluvium illud ingens acciderit*.

DISSERTATIO V.

ΠΑΡΑΣΚΕΥΑΣΤΙΚΗ AD GEN. CAP. X.

Jam ſupra in Monito quodam, quod pag. 63. exſtat, promiſſa, ut loco Anteloquii ſerviret longiori tractationi ad intelligentiam dicti capitis.

QVas partes in hiſtorico Polybius in primis requirit, πραγματικὸν, χρονικὸν, γενεαλογικὸν, τοπικὸν, in iis Moſem excelluiſſe non eſt dubium. Ac primum ejus in narrando virtutes, aevi ſui ſimplicitati apprime convenientes, apud omnes admirationi fuerunt. Idem temporum filum ita pertexit, ut ſimul ſtemmata perſonarum congruis locis inſindat, uti γενεαλογικὸν idoneum decet. Praeterea a genealogiis geographica non ſejungit, quia dum γεναρχῶν concinnat ſtemmata, ſimul geographiam docet. Quo id modo queat? quia γεναρχῶν nomina, eadem ſunt & vocabula terrarum, in quibus illi gentium ſtipites, poſtquam a ſe diverſi abierant, prima fixere tentoria. Nec ſolum Moſaicis temporibus non alia, quam quae hoc cap. decimo, erant geographica nomina, ſed & diutiſſime poſtea, ut ex Sacris hiſtoricis & ex Prophetis conſtat. Sed poſtea paullatim exolevit geographia Moſaica, propterea quia ob humanarum rerum ſecutas converſiones nova inducebantur regnis & regionibus nomina. Ita factum, ut in plurimis capitis hujus conditorum iiſdemque regionum vocabulis intelligendis nunc aqua haereat, etiam poſt tot virorum ſtrenuiſſimorum in iis enucleandis induſtriam. Nec tamen deſunt qui quotidie in eodem ſtadio deſudent. Ipſe etiam quamvis tenuitatis meae ſatis conſcius, abhinc XX. annos, quidquid erat otii, in id pro viribus aliquamdiu incubui. Sed quaecumque tunc illevi chartis, ea (utpote limam non experta, neque nunc elimare aetas & valetudo patitur) quaenam fata maneant, incertum. Niſi quod adumbratio cujusdam προπαρασκευῆς, quam γεωγραφουμένοις Moſaicis illis praemittebam, perculit animum, ſuaſitque uti viderem, annon Capitis X. intelligentiae luminis aliquid ex ea poſſit affundi. En illam adnectimus.

SECTIO I.

Noachidarum διασπορὰ (ſparſio) *in pravo genere loco poenae fuit, quam linguarum ſubita confuſio peperit. At in probis, coitionis Nemrodicae inſciis, nulla linguarum turbatio, proinde nec ſubita a ſe ipſis ſeceſſio, verum ſenſim ſine ſenſu peracta diffuſio generum ſingulorum, quae ſponte ſua pro modo augeſcentium proſapiarum paullatim de more peragebatur.*

Initium cap. XI. tale eſt: *Erat* [poſt quadringentos circiter ab exitu ex Arca annos] *univerſa terra* (tunc habitata) *labii*

unius . Qui porro tunc ab initio (1) *movere ultra eum locum coeperunt , invenerunt campum in terra Sennaar , & habitaverunt in eo . . . . Et dixerunt : Venite , aedificemus nobis civitatem & turrim , cujus culmen pertingat ad caelum , & faciamus nobis celſiſſimam* (2) *ſpeculam , ne forte* (3) *diſpergamur per univerſas terras . Deſcendit autem Dominus . . . Et dixit . . . Confundamus ibi linguam eorum , ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui . Atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras . . . Et idcirco vocatum eſt nomen ejus Babel , quia ibi confuſum eſt labium* . Hactenus Moſes . Sicubi porro minimum a Vulgata diſceſſum , de eo in Adnot. agitur . Praecipuum autem illud eſt , quod iſta in terram Sennaar expeditio non omnium Noachidarum fuerit , ſed generis , cui Deus maledixerat (Gen. IX. 25. 26. 27.) h. e. Chamidarum atque Chanaanitarum , ac in primis Nemrodicae factionis , de qua Moſes cap. X. a ver. 8. ad 12. agit .

Ac porro arrogantiſſimum Babelicae turris imperiique fundandi conſilium quo alio Divino conſilio diſſipari opportunius potuit , quam confuſione linguarum , ſecutoque exinde ſtatim diſperſu aedificatorum ? In Chamidis igitur ſtructoribus faba cudenda fuit ; ac proinde in iis illa mutua ſeceſſio , poena fuit : quoniam vero poena fuit , accidit haud dubie tota ſimul . Quare Nemrodi factio , & vero cum Chamidis fere omnibus , injectâ confuſione linguarum , tota ſimul in diverſa terrarum diſſipata fuit . At reſedit interim in priſtinis ſedibus cetera inſons multitudo Noachidarum : quae placide poſtea , ac ſenſim ſine ſenſu ducente Dei providentia perrepere cum familiis in terras circa vacuas coepit , prout ſcil. creſcente in ſedibus ſuis prioribus multitudine , habitacula laxiora quaerenda fuerunt . His eiſdem inſontibus non improviſa mutatio linguarum infuſa fuit : ſed in eadem lingua variatio idiomatum pari paſſu proceſſit cum rerum omnium viciſſitudine ; quia nihil in terris conſtans ac ſtabile , ſed omnia fluxa & mutationi obnoxia .

Ergo linguarum confuſio in poenam Chamidis , ac praecipue Nemrodi proſapiae , infuſa fuit , ut huc atque illuc dicto citius diſſiparentur , atque interim eorum ſuperba meditata diffluerent : at nihil tale Japetidis atque Semidis accidit , quippe qui naturae curſui legibuſque permiſſi , nec in ſubitariam linguarum multiplicitatem Deo iraſcente inciderunt , nec in repentinam illinc inſecutam ſedium mutationem . Omnia his placide , & ex naturae ingenio contigiſſe arbitror . Paullatim longius ac latius prorepebant , prout augeſcentibus familiis expediebat : deinde quanto longius a ſe mutuo receſſiſſent , tanto pronius linguarum diſcidia ex interjectorum ſpatiorum hiatu conſequi neceſſe fuit .

Hoc

(1) In מקדם *mikkedem* (quod in Vulgata & aliis redditur *ab Oriente*) ſecutus ſum Onkeloſum ac non paucos recentium , interpretantium *a principio* . In hac porro noſtra commatis hujus verſione ſuadere duo volui , primum non ſimul ac ſemel Noachidas gregatim omnes ab illa ſede prima , in qua Arca conſederat , receſſiſſe , ſed principio in illa ipſa Armenia ſenſim ſeſe latius , prout magis ſuboleſcebant , diffudiſſe : deinde Chamidas ſub Nemrodi , ad principatum aſpirantis , vexillo ſeorſum ab aliis montes ac flumina auſos tranſmittere , inque Babyloniam uſque penetraſſe , ibique regni fundamenta jeciſſe : at interea (quod alterum eſt) Semidas atque Japetidas ſenſim ſine ſenſu , prout ratio prolium ſuccreſcentium exigebat , cepiſſe longius proficiſcendi conſilia .

Porro hoc ver. 2. loco verſionis noſtrae Vulgata habet , *Cumque proficiſcerentur de Oriente* . Ubi indeſinitum illud *Cum proficiſcerentur* interpretes uno ore ad Noachidas referunt univerſos ; quia illud *proficiſcerentur* cum ſit abſolute dictum , nulla exceptione coërcetur . Atqui Hebraiſmus eſt ſimilis illi , *Neque accendunt lucernam* (ac tot alia ſimilia) quod ad eos tantum pertinet , qui *accendunt* . Ac ſane cum ſententiae meae ſupra expoſitae ſuffragatores quaererem , miratus ſane ſui , in Poli Synopſi me neminem alium reperiſſe praeter unum Cajetanum , qui expeditionem iſtam non ad omnes retulerit : quem qui in eadem Synopſi frigidis ratiunculis impetunt , nihil agunt . Ac ne temere agerem , curavi ut ex non obvio Cajetani in Geneſ. XI. 2. commentario deſcriberetur ejus mihi locus , qui talis eſt . *Non intelligas , univerſum genus humanum profectum fuiſſe ab Oriente , & iviſſe in regionem Sinhar (quia nec littera hoc ſonat , nec rationi hoc conſentaneum eſt) ſed ſenſus litterae eſt , quod perſeverante una lingua in univerſa terra , illi , qui moverunt ſe* (τὸ *Moverunt ſe* poſuit Cajetanus ad exprimendam vim verbi נסע *naſah* , quod Moſes uſurpavit) *de Oriente , venerunt in vallem Sinhar* .

(2) Ad hunc locum in Spicilegio oſtendimus non eſſe vertendum , *Faciamus nobis nomen* , ſed hic שם *ſhem* notare *cacumen excelſum* .

(3) Τὸ פן *pen* , quod in Vulgata redditur *Antequam* , proprie notat *Ne forte* ; idque hic malui , utpote loco convenientius .

Digitized by Google

Hoc ergo diſcrimen inter Chamidas, interque Semidas cum Japetidis fuit. Illis ſuperbe in Babylonia regnaturis prius diſcidia linguarum, ex bis poſtmodum repentina diſſipatio per orbem contigit: contra hi alteri ſe ſe providentiae Numinis permittentes, nec niſi neceſſitate coacti ſeſe latius diffundebant, nec niſi poſt ingentes diffuſiones, nbi per immenſa terrarum ſpatia ſe mutuo nectere ſermouis ejusdem communione non poterant, in linguarum paullatim divortia ductu naturae inciderunt: toto vero caelo aberrant, qui dociles Semidas atque Japetidas in nuum punitionis Divinae faſcem cum protervis Chamidis conjiciunt.

S E C T. II.

Videri ſparſionem gentium pro meritis actam, unde Chamidas magis inter ſe & in pejora loca diſſipatos, quam Semidas, & Japetidas: ad haec Japetidas plus ceteris dilatatos, atque etiam in Semi ſortem admiſſos.

Quin Babelica ſuperbe facta Nemrodum auctorem habuerint, dubitare non ſinit Moſes hic ver. 10. de Nemrodo ſcribens: *Fuit autem principium regni ejus Babylon* (h. e. Babel) . . . *in terra Sennaar*. In hoc regno fundando ille Chamidas fere omnes, radicis infectae genus, ſequaces habuit: qui propterea per Africam, ceteraſque mundi partes disjecti penituſque diſſipati fuerunt. Atque ex iſtis Chamidarum migrationibus en paucas in ſpecimen damus. Aegyptus in Pſalmis & alibi *Terra Cham*, eademque a profanis Χημία, *Chemia* h. e. *Chamia*, nuncupatur. Hujus filius *Chus* proſapiam ſuam per plurimas terras diffudit plane quam disjunctiſſimas, veluti per maximam Arabiae, & Aethiopiae Africanae partem, item per pleraque Scythiae, maxime ejus, quae (4) hodie Tartaria vocatur, quae ita prope in Septemtrionem recedit, ut non tantum in Europam tranſire, ſed indidem per iſthmum aliquem incompertum in Americam etiam potuerit colonos tranſmittere; quia in illis mundi primordiis non, ſicuti (5) nunc, fuiſſe inhabitabilis ultimus Septemtrio videtur. Quid vero de Nemrodo Chuſi filio exiſtimabimus, complurium imperiorum Aſiae fundatore, quae ei Gen. X. 10. 11. 12. tribuuntur? certe quia nomina illa non tam urbium, quam regnorum ſunt, more temporum heroicorum. Ac ſi quidem verum ſit, Bacchi per totum Orientem expeditiones ad Nemrodum videri referendas [quia *Bacchus* videtur idem ac בר-כוש *Bar-Chus* h. e. *Chuſi filius*, qui Nemrod eſt] tum quam longe iſte colonias rebelles ſuas diſſeminaverit, reputabimus. Jam vero Miſraimum in Aegypto conſtitiſſe, certiſſimum eſt: atq. ejus filios relegant viri docti in ultimos Africae Aſiaeque fines. Sed tamen nunc his non immoror, quia praeſtat de ſorte Chanaanis Chamidarum nequiſſimi, nec tamen procul amandati, rationem afferre.

A Chanaane enim iſto, notâ exſecrationis inuſto [vide Gen. IX. 25. 26. 27.] tamen ſortem longe omnium praeclariſſimam, atque pinguiſſimam Moſes poſſeſſam ſignificat [Gen. IX. a verſ. 15. ad 19.] h. e. Chanaanitidem illam, Aſiae ocellum, ut-

(4) *Chuſi* Moſalei nomine non tantum Arabas, Aethiopaſque venire, ſed etiam Scythas in ultimum Aquilonem remotos, oſtendit jam ante Calmetus ad Gen. II. 13. in ſitu Paradiſi terreſtris, ubi quod Vulgata *Aethiopiam* vertit, id in Hebr. eſt *Chus*. ibi inter cetera oſtendit Chutaeos, quos Salmanaſar in Samariam induxit, Scythas fuiſſe circa Araxem habitantes; ex כוש *Chush* enim (*Shin* in *Tau*, uti fit, mutato) factum fuiſſe *Chuth*. Nec dubium eſt quin ex eodem *Chuth*, praefixo S, *Scutha*, ſive *Scytha* venerit. Ac Scythiae quidem Aſiaticae (maxime qua parte hodie *Tartaria*, *Siberia*, aliaeque hujuſmodi ſunt terrae vaſtiſſimae) indefiniti ſunt ad Septemtrionem termini: quos, quamvis hodie inhabitabiles, paullo clementiores initio fuiſſe ſuſpicor (ut Adnot. seq. dicam) proinde a Chuſitis (qui poſtea *Scythae* dicti) fuiſſe aliquatenus tentos.

(5) Ab initio mundi non aliud ſubjectas polo terras infeſtabat frigus, quam quod ſolis gignebat ſemeſtris abſentia, ita ut redeunte poſt hyemem ſole clementer Arctos incoleretur. At ubi ſenſim nives cumulari quotannis, durataeq. diu ſervari in annos coeperunt, ac nullus in ea acceſſione finis; ecce tibi paullatim inhoſpitalis evaſit polus, dum ibi frigora praeteritorum annorum juncta cum ſequentibus, ſimul omnia ad urendum conjurant.

Haec eo dicuntur, quo veriſimile fiat, poſt Phalegica tempora, dum adhuc polaris terra paullo benignior eſſet, apparuiſſe nexum telluris aliquem, per quem ex Scythia trajectus in Americam Septentrionalem Chamidis antiquitus patuiſſet. Is vero iſthmus poſtquam per eum Chamidae tranſmiſerunt, coepit paullatim gelu perpetuo ac veluti lapideſcente ita obſtrui, & obſcurari, ut primum negato in perpetuum acceſſu, etiam rei memoria poſtea deperierit.

pote terram lacte ac melle fluentem. Nec tamen idem Chanaan diſtractus a ceteris Chamidis fratribus ſuis fuit, quia proxime Chuſi ſortem h. e. Arabiam, proxime Meſraimum h. e. Aegyptum, (ut alia taceam) longius a Babylonia, ubi Nemrod ὁμόφυλος ejus arcem imperii ſui erexerat, tentoria fixit.

Atqui fateor equidem de Chanaanitis praeclarius, quam de ceteris actum: verum non id merito ſuo, ſed merito dominorum ſuorum, nempe Japetidarum & Semidarum [quos Deus Gen. IX. 26. 27. tamquam heros ſervis ſuis Chanaanitis aſſignavit] imo pro merito Iſraëlitarum, quos Deo prae Semidis omnibus ſcimus fuiſſe dilectos. Ergo in iſtis Semidarum famulis, atque ad Iſraëlitarum praecipue ſervitium deſtinatis (Chanaanitas intelligo) ita prorſus factum oportuit: quibus neceſſe fuit non longe disjunctas ab heris ſuis aedes aſſignari. At mox ubi horum συνοικίαι neceſſariae ad laxanda herorum palatia fuerunt; omnis iſta atrienſis familia, Joſua edicente, alio amandata fuit, paucis ex tanta vernarum multitudine in vicino relictis, Iſraëli domino ſervituris. Verum de his Sect. ſeq.

Ob eamdem quoque cauſam eidem Chanaani permiſſum, ut lingua primaeva i. e. Hebraica loqueretur; quippe famulo neceſſe erat heri ſui Semi mandata auſcultare, ut facilius dicto audiens eſſet. Jam vero ut in Semi poſteritate διασπορὰ proprie non fuit, ſed magis prolatio finium; ſic nec linguarum divortia initio in ea fuerunt. Ac plane mihi perſuadeo Syros, Aſſyrios, Babylonios, Perſas, utpote finitimos, principio poſt Babelica tempora eodem diu ore locutos omnes: mox ſecutis temporibus, ſi quid inter illos diſcriminis fuit (quod certe non tantum fuit, quin tamquam Hebraïcae linguae dialecti a viris doctis habeantur) magis id adeo immenſis locorum, ac temporum intervallis eſt aſſignandum (propter quae ſcimus linguas aſſidue magis ac magis mutari atque interpolari) quam quod fuiſſent initio diverſa idiomata.

Ac de Chamidis & Chanaanitis hactenus. Nam Chamidas poſt inſana Babelis incepta, prius palantes per Africam & extremos Aſiae fines, tandem ſive temere ſive judicio aliſcubi conſediſſe, ex dictis patet: at Chanaanitas primum in opimo ſolo (cui ab ipſorum incolatu, *Terrae Chanaan* inhaeſit nomen) tamquam famulos futurorum dominorum, atque cuſtodes conſtitiſſe, at mox canente claſſicum Joſua, ac nuntiante herorum adventum, fugam huc atque illuc arripuiſſe, variis nominibus perſonatos, dum *Phoeni* ſive *Poeni* aut vero *Chananaei* (6) in Africa dicuntur, in Italia alicubi *Philiſtini* (7) ſparſim vero in reliqua Italia *Tyrrheni*, aut *Pelaſgi*, ſicuti etiam & in cetera Europa dicti. Haec de Chamidis, ac praecipue Chananaeis longe lateque disjectis in poenam ſui arrogantis facinoris.

At, uti dixi, Japetidarum Semidarumq. inſontium melior fortuna fuit, ut qui non jactati, diſſipatique, ſed ſenſim pro re nata progreſſi ac dilatati fuerunt. Semidae etenim ipſam illam Aſiam, in qua ex Arca progreſſi conſtiterant, obtinuerunt, atque ex ſeſe Elamitas, Aſſyrios, Hebraeos, Aramaeos ſive Syros, Idumaeos, ex parte Arabas, & quidem in vicino omnes, propagarunt, alioſque item in proximo plures paullo obſcurioris indaginis.

At nulla ſors opulentior, quam Japetidarum fuit. Nam quia pater moriturus praedixerat, *Dilatet Deus Japhet* (quod nomen ab impleto vaticinio illi arrogatum videtur, quia *Japhet* hoc ipſum *dilatari* notat) hinc ei latifundia longe vaſtiora quam ceteris obtigere. Is enim Europam totam cum inſulis fere omnibus eſt aſſecutus. Quandoquidem autem hoc etiam adjecerat vaticinio Pater, *Et habitet in tabernaculis Sem*; hinc idem Japheth poſſedit etiam Madai (ea eſt Media Aſiatica, ex qua poſtea etiam in Europam Medi ſe diffuderunt) ac praeterea poſſedit quaecumque ex Majore Aſia fuere deciſa, ut in ſortem Japhethi cederent, tamquam ex teſtamenti paterni tabulis. Adhaec autem poſſedit illud in quo caput eſt, delicias dico illas orbis terrarum, Aſiam minorem totam, quae ob hoc non alio quam *Japhethi* nomine primitus vocata fuit, uti liber Judithae II. 5. (8) teſtatur.

(6) Notus eſt S. Auguſtini locus, teſtantis, Afros Eccleſiae ſuae interrogatos de patria, reſpondere ſolitos ſermone vernaculo *Canani*, quo genus ſuum ad *Chananaeos* referebant.

(7) Supra pag. 185. in Diſſert. II. ex Plinio III. 14. 15. oſtendi, in ea Italiae parte, quae poſtea Venetia dicebatur, *Philiſtinos* (illos utique, quorum eſt in Sacro Codice mentio) antiquitus fuiſſe moratos.

(8) Judith II. 15. ita de Holopherne duce Nabucodonoſoris ſcribitur: Καὶ κατελάβετο τὰ ὅρια τῆς Κιλικίας, καὶ κατέκοψε πάντας τοὺς ἀντιστάντας αὐτῷ, καὶ ἦλθεν ἕως ὁρίων ΙΑΦΕΘ, τὰ πρὸς νότον κατὰ πρόσωπον τῆς Ἀραβίας &c. Quae ſic reddas licebit: *Et pervenit ad fines Ciliciae, & omnes ei reſiſtentes concidit, & venit uſque ad fines* JAPHET: *ad auſtrum* (vero quod pertinet), *e regione Arabiae* circuivit Madjanitas &c. Integrum locum

tur . Adde & poſtremo illud, quod & major Chanaanitarum pars , qui arma inferente Joſua , fuga ſibi conſuluerunt , hi omnes per Europam ſe diffundentes, in Japeti (unius ex heris ſuis) provinciis quaeſivere ſibi latibulum ; ut illud quoque ultimarum Patris tabularum impleretur , *Sitq. Chanaan ſervus ejus*, nempe Japheti .

Vides profecto quam fida Noac Senis oracula fuerint . Cham pro merito ſuae ſtirpis indocilis diſſipatus in deteriora terrarum longe lateque fuit , hoc eſt in terras aut aeſtu aut frigore impotenti aduſtas , ac fortaſſis per iſthmum aliquem Scythicum etiam in Boream Americam (quam ne nunc quidem datur noſſe totam). relegatus . At contra Sem in obſequentis animi praemium non quidem diſjectus , ſed prolatis in ſuopte ſolo quaquaverſum finibus , per ſpatia ſemper contigua progreſſus longe lateque fuit. Poſtremo quia Japheto praedixerat pater , *Dilatet Deus Japheth* ; ob id Japhetidae non tantum Europam , quam longe lateque patet, impleverunt cum inſulis univerſam , ſed & , quia pater addiderat , *Et habitet in tabernaculis Sem* , idcirco (praeter ſacratiorem (9) intelligentiam) etiam Minorem Aſiam totam poſſedit, itemque in Majore , qua parte Sem abſtinuerat , tentoria ſua tetendit . Ac ſane dicerem, hunc eumdem Japhetum (ex nominis ſui veriloquio) etiam in Africae opimiora quaeque loca deduxiſſe colonias , ſi Noachicum oraculum , ſicuti hunc in Semi portionem admiſit , ita etiam nominatim Chami poſſeſſionum participem effeciſſet ; de hoc enim nihil cautum teſtamento paterno fuit . Et tamen Pſeudo-Beroſus Japhetum in Africae poſſeſſionem immitit . Verum incerta perſequi eſt hominis abutentis otio .

S E C T I O III.

Amplius objectio gravis illa diluitur de eo , quod Chanaan tot maledictis inuſtus , tamen Aſiae floſculum , ideſt Chanaanitidem , poſſederit . Poſt Babelicam calamitatem fuiſſe ſub Joſua diſſipationem alteram Chanaanitis peculiarem . Documenta & veſtigia jactationis hujus , maxime in Pelaſgis Tyrrheniſq.

Adverſus ante dicta objicitur non videri Noachidis omnibus ſortes pro meritis aſſignatas, ſed potius ut quoſque in has illaſve provincias fors caeca caſuſve impulit , ita ſingulos in ſedes vacuas irruiſſe : hujus vero nullum illuſtrius exemplum Chanaane exſiſtere . Nam huic ita difertis verbis Noë vaticinans maledixerat , quaſi ſi ex Chami ceteris filiis in Chanaanem unum ſumma maledictorum eſſet redundatura . Gen. IX. 25. *Maledictus Chanaan : ſervus ſervorum erit fratribus ſuis*, nempe Semi & Japheti generibus . Mox ſtatim ver. 26. & 27. eumdem Chanaanem privatim Semo , privatim etiam Japheto ſervum aſſignat . Et tamen idem Moſes qui de ſervitute Chanaanis tam amarulenta ſcripſerat , mox quaſi maledictorum Noëticorum immemor , cap. X. a ver. 14. ad 18. undecim ejus filiis accurate recenſitis opimam illam totam Chanaanitidem aſſignat , cujus & in fine terminos deſcribit , ne qua ſcil. juris ſollemnitate conceſſio illa careret . Nam ver. 19. ita ſcribitur : *Factique ſunt termini Chanaan venientibus a Sidone Geraram uſque Gazam* &c.

Reſpondi ſatis objectioni huic Sect. ſuperiore . Verum hîc addo praeterea non omittenda quaedam . Ac primum ajo , Moſem non ignoraſſe , hanc totam terram Iſraëlitis a Deo deſtinatam , ut qui Ex. III. 8. a Deo audiviſſet : *Deſcendi, ut . . . educam* (Iſraëlem) . . . *in terram quae fluit lacte & melle, ad loca Chananaei, & Hethaei, & Amorrhaei , & Pherezaei , & Hevaei , & Jebuſaei* . Variat quidem in pauciſſimis iſta recenſio ab illa Gen. X. 14. certe quia a Babelica illa clade ad oraculum iſtud magnus hiatus temporum interceſſerat , per quae dynaſtiarum illarum , de quibus cap. X. agitur , aliquot exſtinctae aut ad alios translatae fuerant : ſed nemo non videt eamdem prorſus illam regionem deſcribi . Quae vero hîc promittuntur , eadem alibi pluries in libris Pentateuchi ſequentibus iterantur . Ergo cum Moſes probe ſciret , hanc totam regionem populo Dei debitam , ea de cauſa ſuprà Gen. X. illam accurate deſcripſerat : at noluit ibi monere , eamdem illam Iſraëlitis deſtinatam , ne extra chorum ſaltaret ; quia Moſe ſcribente , id nondum eveniſſet , ſed adhuc eventurum exſpe-

---

locum adſcripſi , quem video nonnullos temere impetiviſſe . Utcumque vero accipiatur , non eſt dubium *Japheth* fuiſſe vetuſtiſſimum Minoris Aſiae nomen apud Syros (a quibus Judithae librum habemus) uſitatum , ſicuti & apud Chaldaeos , aliosque filios Orientis . Sententia vero loci eſt, Holofernem , cum ad fines Ciliciae perveniſſet, non potuiſſe ſimul non *Japheti* h. e. Aſiae minoris peninſulam attentare , cum qua Cilicia, quae in iſthmo eſt , tamquam collum cum capite nectitur .

(9) Intellectu enim ſublimiore Japheth in Semi tabernaculis habitans , eſt nationum frequens in Chriſti Eccleſiam concurſio .

ſpectabatur . Reliquit hoc igitur continuatori divinae hiſtoriae conſignandum : id quod auctor libri Joſuae accuratiſſime fecit .

At quae, inquis, cauſa fuit, ut terra illa tam opima Iſraëli aſſignata per plura ſaecula Chanaanis filiis h. e. inviſae ſtirpi fruenda traderetur ? Nobis quidem homuncionibus arcana Dei conſilia ſcrutari nefas . Tamen Sect. ſuperiore dixi , terram illam Iſraëlitis (ſed non niſi tempore ſuo) deſtinatam , placuiſſe interim apud eorum ſervos (ſic enim diſerte Gen. IX. 26. 27. vocantur) cuſtodiendam , atque colendam deponere . Ergo jam tum , cum in illam Chanaanitae illati fuere , eam non ut propriam , ſed tamquam ſervi glebae addicti poſſederunt , in eum plane finem , ut incultam colerent , beſtias , feraſque noxias extinguerent , aptamque dominorum ſuorum (quos facile ipſi ignorabant) uſui deliciiſque redderent . Atque ea de cauſa , vix domino ſuo Iſraële ſub duce Joſua latifundia propria vindicante , Chanaanitae quaecumque ante pro domino cuſtodiebant , hero reddere ultro aut vi coacti fuerunt . Nam qui experiri arma maluerunt , aut exciſi funditus , aut ultima paſſi , tandem pacti (10) ſervitutem aut tributum ſe dediderunt : nec defuere quibus aliquamdiu licuit in extremis circa finibus terrae Chanaan domitores ſuos , quaſi latibulo fallere , aut vero ſe perpetuis cum Iſraëlitis praeliis atterere , idque uſque ad Davidis , imo & regum ſequentium tempora . Sed multo maxima pars eorum fuit , qui (11) conſternati ingreſſu Iſraëlitarum , fuga ac voluntario altero poſt Babelicum illum diſperſu ſaluti ſuae conſuluerunt . Atque alterius diſperſus hujus ubinam in hiſtoria non exſtant impreſſa veſtigia ?

§. I. *Documenta ex coloniis deductis in Africam .*

Ab Africa incipio , in qua , teſte Procopio in Vandalicis II. 10. exſtabat in Numidia Tingitana vetus epigramma inſcriptum Phoeniciis litteris in hanc ſententiam : Ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ τοῦ Ναυῆ . *Nos ſumus qui fugimus a conſpectu Joſuae latronis* (12) (*latrones* enim vocabantur heroicis temporibus gentium debellatores , ſicuti ex Homero & aliis conſtat) *filii Nave* . Atq. hi ſunt Phoenices illi (primitus dicti apud Homerum *Sidonii* , quippe ab illo Sidone propagati , quem Moſes X. 15. Chanaanis primogenitum facit) illi Phoenices , inquam, plurimarum in Africa coloniarum conditores , atque in primis *Carthadae* , poſtea (dialecto mutatâ) *Carthaginis* : qui principio *Phoeni* ſeu *Poeni* (aut producto nomine pro linguarum ingenio *Phoenices*) vocabantur , unde imperium *Punicum* , quaſi *Poenicum* , quia OE in V vertebat Latium vetus . De quibuſdam *Phoenicum* ſeu (13) *Chananaeorum* (nam ipſimet ſeſe ita appellabant) Africanis coloniis me dixiſſe memini ad Acta S. Reſtitutae Mart. ad XVI. Maii ; ubi de *Hippone* agerem . Ac Phoenicum iſtorum , qui diu maris imperium nacti , ac longe lateque vagati , plurimas per Europam ſtabilivere colonias , maxime in Italia , Hiſpania , Graecia , aliiſque pluribus maritimis locis , ſunt ſatis omnia vulgata .

Praeter autem *Sidonios* (uti Moſes c.X. appellat) ſeu Phoenices , fuere & aliorum Chananaeorum a Joſua pulſorum per orbem veſtigia . *Philiſtaeorum* (qui dicti aliter *Philiſtini*) quis crederet nomen in Italia ad ſera uſque tempora viguiſſe ? Et tamen (uti ſupra inqui) Plinius III. 14. in Umbria *Peleſtinos* , tamquam populi perantiqui nomen memorat , cujus non aliud credo fuiſſe genus ac *Philiſtinorum* ejusdem Plinii III. 16. in Padi *VII. Marium* deſcriptione ; ibi enim quibusdam Padi oſtiis recenſitis , addit : *Inde oſtia plena , Carbonaria , ac FOSSIONES PHILISTINAE ... omnia ex PHILISTINAE FOSSAE abundatione naſcentia* . Expoſui ſupra hunc locum Diſſert. II. Sect. 2. & ita expoſui ut hi ſive *Peleſtini*

---

(10) Notus eſt ex Joſ. c. IX. Gabaonitarum aſtus , & quomodo tandem ſuam incolumitatem ſervitute redemerunt . Chananaeorum catalogus , qui ſalutem tributo pacti , Jud. cap. 1. texitur .

(11) Joſ. V. 1. ita ſcribitur : *Diſſolutum eſt cor eorum* (Amorrhaeorum , & Chananaeorum) *& non remanſit in eis ſpiritus , timentium introitum filiorum Iſraël* .

(12) Loca antiquorum , quibus *Latronum* nomen de victoribus populorum uſurpatur , alicubi me affatim congeſſiſſe memini .

(13) Africanos Phoenices ſive Poenos ſemet vocaſſe *Chananaeos* , ex Auguſtino conſtat , teſtante , interrogatos a ſe Hipponenſes ſuos , cujates eſſent , reſpondere ſolitos *Chanani* . Atqui כנעני *Chanaani* Hebraeis , Phoenicibuſq. idem quod *Chananaeus* h. e. ex terra Chanaanis advena . Quippe hi coloniae fuere Chananaeorum illorum ab Joſua fugatorum : unde etiam aetate Auguſtini lingua Hipponenſium tradux ſermonis Chananaei erat . Nomen ipſum *Hipponis* ſive *Vibonis* Orientale eſt , ut in Kal. Marm. ad XVI. Maii oſtendi .

Peleſtini ſive *Philiſtini* fluvialibus in foſſis excavandis occupati, pars fuerint Philiſtinorum, quos memorat Sacer Codex, ad mare loca ſatis vicina Iſraëlitis incolentes. Atque horum partem, cum Joſue Chanaanitis inferret arma, fugâ in haec loca dilapſos, foſſis & alveis effodiendis, & aquis librandis victum ſibi comparaſſe, videmur ex Plinio diſcere. Vide dictam Diſſert. II. in qua praeter Plinianos locos, cetera quoque omnia, quaſi origines mere Hebraicas, apud profanos diſces. Habes igitur etiam *Philiſtinos*, in paginis divinis notiſſimos, a facie Joſuae profugos, in terra, quae poſtea Venetia vocata, ſibi latebram quaeſiviſſe.

§. 2. *Alia petita ex Pelaſgorum & Tyrrhenorum erroribus.*

Ac plura hujus generis ex veterum lectione corradere ſpecimina poſſim; ſed ſatius eſt ad *Pelaſgos* atque *Tyrrhenos* unice me conferre, tum ob celebritatem generis ipſorum & immenſitatem locorum ab utriſque peragratorum, tum potiſſimum quod ambo hi populi ſeſe ex Nemrodi ſectatoribus a Deo rebellantibus ἀμέσως deſcendiſſe ſignificent ſuiſmet & ipſi nominibus plane Babelicis, quae ſecum per ſuos omnes errores circumtulerunt.

Pelaſgorum igitur ac *Tyrrhenorum* plenae ſunt antiquorum hiſtoriae. Et quidem Pelaſgos auctorem ſui generis habuiſſe Pelaſgum regem Jovis ex Niobe filium, antiqui tradunt. Ac *Pelaſgus* hic generis auctor fuitne ille *Peleg*, ſive *Phaleg*, ita dictus Gen. X. a terrae diviſione? Quovis equidem hanc tantam antiquitatem pretio mercarer. Sed tamen ſatius eſt credere Pelaſgos, etſi antiquiſſimum populum, Phalegi tamen tempora non attingere, ac pertinere potius ad illum diſperſum alterum, qui Joſua Chanaanitidem ingrediente accidit. Profugos illos omnes a facie Joſuae diſſipatos, etſi primo illo diſperſu Phalegico diu poſteriores, tamen quia inſtar illius Babelicae calamitatis huc atque illuc per orbem diſſipatos, duobus potiſſimum Babelicis nominibus fuiſſe diſtinctos mihi perſuadeo: alios nempe *Pelaſgos* ita ab erroribus ſuis (14) Phalegicis dictos, alios *Tyrrhenos* ab illa (15) turri Babelica nuncupatos. Ac fuere ſane qui duos hoſce populos pro uno (16) habuerint: verum ſi non unus idemque populus, conjunctiſſimi (17) certe diu fuerunt; etſi poſtea ſuas ſibi ſinguli res habere maluerunt. Ab eo autem tempore Pelaſgi quidem ſuis perpetuis erroribus, quod eorum (18) ſollemne fuit, inſtitere:

(14) Sicuti Gen. X. 25. *Phaleg* Heberi filius ab eo id ſibi nomen quaeſivit, *Quod in diebus ejus diviſa eſt terra* (nam Hebr. פלג *phalag* eſt *dividere* & *diſpergere*) ita Pelaſgi propter ſuum τὸ πολύπλανον, uti Dionyſius vocat, ſive τὸ πολυπλάνητον, quod Herodotus eiſdem Pelaſgis tribuit, propter ſuam, inquam, vagandi jugiter conſuetudinem, qua conſiſtere nuſquam potuerint, ex lingua illa primitiva tractum a *Phaleg* nomen ſibi comparaverunt.

(15) Nam Hebr. טירה *tirah*, unde *Tyrrhenus* eſt, *Turrim* ſignificat. *Tyrrhenus* ergo idem erit, ac ſi Latine *Turrenum* voces; quia ab illa *Tirah* Babelica tam Latini ſuum *Turris* vocabulum petierunt, quam Graeci ſuum τύρσις. Quod vel ex eo liquet, quod quos Latini *Tyrrhenos* vocaverunt, hos Graeci veteres (pro nota ſcil. ſibi τύρσεως voce, a qua originem hujus populi petierunt) Τυρσηνοὺς appellarunt. Quare Tyrrhenicus populus originem ſuam nomine ipſe ſuo pandebat.

(16) *Pelaſgos* atque *Tyrrhenos* duo fuiſſe ejuſdem populi nomina, veteres non pauci cenſuerunt apud Dionyſium lib. I. pag. 20. (utor autem editione Lipſiae an. 1691.) ubi & loca duo affert, unum Thucydidis (qui extat lib. IV. ſect. 109.) hujuſmodi: τὸ δὲ πλεῖστον (γένος) Πελασγικόν, τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας οἰκησάντων Τυρσηνῶν. *Pars maxima gentis erat Pelaſgicae ex Tyrrhenis illis; qui & Lemnum aliquando & Athenas incolebant*: alterum ex Sophoclis Inacho, apud quem quoddam anapaeſticum carmen ita deſinit, Καὶ Τυρσηνοῖσι Πελασγοῖς, *Tyrrheniſque Pelaſgis*. Sed & Hellanicus Lesbius non aliud ſenſerit neceſſe eſt, ut qui in eodem Dionyſio pag. 22. ſcriptum reliquit, *Tyrrhenos principio Pelaſgos fuiſſe vocatos*, at poſtquam Italiam habitare coeperunt, aſſumpſiſſe quod nunc habent nomen, *Tyrrhenorum* ſcil.

Sed recte eſt quod haec duorum nobiliſſimorum populorum (Tyrrhenos atque Pelaſgos intelligo) ταυτότης (*identitas*) a Dionyſio confutatur ab extrema pag. 22. ad totam 24. & quidem ſane quam validis argumentis: quorum illud non leve eſt, quod hi duo populi tum lingua, tum etiam inſtitutis invicem diſſidebant. Idem Dionyſius ibidem ne a Lydis quidem Tyrrhenorum deducit originem: in quo Xanthum Lydium ſuffragatorem habet, quem utpote popularem, Lydias origines apprime tenuiſſe neceſſe eſt.

(17) Nam & in Imbro, Lemnoque & Athenis, & in Theſſalia & alibi junctis viribus militarunt, praecipue vero in Italia, Theſſalia, aliiſque pluribus in locis, ut ex Dionyſio & aliis poteſt intelligi.

(18) Pelaſgorum indeſinentes vagationes teſtatur

inſtitere: Tyrrheni autem Italiam, quam longiſſime extenditur, ab initio poſſederunt [unde & Tyrrhenia diu dicta] donec ab aliis poſterioribus populis tam lato excluſi dominio, vel ſic tamen ſibi tres *Tyrrhenias* reſervarunt; Circumpadanam unam, alteram quae a dextra Tiberis ripa ad Macram amnem pertinens, celebrior ac diuturnior fuit, quaeque nunc etiam Tuſcia vocatur: tertiam vero illam quae ab Latii finibus orſa, Campaniam, & loca paſſim finitima occupabat.

Atque haec quae tamdiu diſſeruimus, eo pertinent, ut intelligatur Pelaſgos atque Tyrrhenos, gentem quidem fuiſſe lingua (19) itemque genere diſtinctam, ſed tamen diu conjunctiſſimam, & eaſdem habentem exſilii ſui cauſas, nempe ſive priorem illam diſſipationem Babelicam [id quod tum *Pelaſgicum* nomen, quaſi a *Phaleg* deductum, deſignare videtur, tum & *Tyrrhenicum*, quaſi a Turre Babelica derivatum] ſive potius poſteriorem fugam alteram *a facie Joſuae filii Nave*, in Procopii eippo ſignificatam. Ac diſſipationi illi Chamidarum omnium ſtatim poſt turrim Nemrodicam conſentiunt quidem Pelaſgorum Tyrrhenorumque nomina: ſed ſunt tamen illa Turris multo remotiora tempora, quam ut de Pelaſgorum Tyrrhenorumq. rebus geſtis profanorum hiſtoriae memorare tam multa valuerint. Itaque (ut ſim aequior, nec antiquitates Ogygias jactem) Pelaſgorum ac Tyrrhenorum erroribus convenientior eſt diſperſus ille citerior alter ſub Joſuae in Chanaanitidem introitu. Ceterum huic alteri ſub Joſua diſperſui merito Phalegica Babelicaque nomina (in Pelaſgis ſcil. atque Tyrrhenis) fuere impoſita, nimirum ob cauſae ταὐτότητα, & quia jactatio poſterior prioris conſectarium fuit. Cur conſectarium? quia Terra Chanaan injuſte a Chananitis Semi Japetique famulis occupata (etſi juſtis de cauſis ſupra expoſitis tantiſper Deo connivente infeſſa) reſtituenda tandem ſuis heris fuit. Quare qui Joſua ingrediente, in fugam acti fuere, ii merito nomina fugae Babelicae ſimilia, nempe Pelaſgica atque Tyrrhenica, circumtulerunt.

Dixi paullo ante, diſſipationem Pelaſgorum Tyrrhenorumque commodius ad jactationem alteram, quando invaſit Joſua Chanaanitidem, poſſe referri. Ceterum qui ad Babelica tempora revocare volent, quod dant, id libens accipio: praeſertim cum *Pelaſgi* a *Phaleg* derivatum habere nomen videantur, ac multo plus id Tyrrheni prae ſe ferant. Horum enim antiquiſſima appellatio aperte Babelica fuiſſe videtur: de quo jam dicendum mihi eſt.

SECT. IV.

Tyrrhenorum primitiva origo & RASENAE nomen quod ipſi ſibi ſuamet confeſſione arrogabant, profertur in lucem: ex quo nomine tum ipſorum ſecta Nemrodica, tum ſuae diſſipationis perpetuae meritum intelligitur. De Raſenae *patriae Tyrrhenorum primae ſitu. Sparſim alia.*

Veteres ſcriptores profani Tyrrhenos partim eoſdem ac Pelaſgos, partim ex *Maeonia* (quae poſtea *Lydia* fuit) colonos crediderunt, alii aliunde [ut ſect. ſuperiore dictum] adſciverunt: quos tamen tum alii, tum ſcite in primis Dionyſius Halic. refutarunt. At ipſe Dionyſius iis magis accedit, qui eos αὐτόχθονας i. e. indigenas crediderunt: ſane ferendi, quia quorum origo indagari nequit, ii olim pro indigenis non ſine venia habebantur. Tamen, ſi mens non laeva fuiſſet, ignorari prorſus origo non debuit, ut quae vivo Dionyſio ab ipſiſmet Tyrrhenis (ſiquando ab iis, ecquid vocarentur, aut undenam prodiiſſent, requireretur) palam prodebatur. Extat enim apud Halicarnaſſenſem locus nondum, quod ego ſciam, animadverſus, in fine longae illius de Tyrrhenorum origine diſputationis lib. I. p. (apud me) 22. ver. 13. qui his verbis concipitur: αὐτοὶ μέν τοι σφᾶς αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ ἡγεμόνος τινὸς Ῥασένα, τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ τρόπον ὀνομάζουσι. *Ipſi vero ſe a duce quodam Raſena, eodem quo ille modo, nominant*. Ex quo Dionyſii loco hoc certi tenemus, Tyrrhenos interrogatos, quid ſe vocarent, reſpondiſſe RASENAS

ſtatur quidquid de iis loquuntur hiſtoriae, & quod eorum genus (ut ſupra dixi) πολύπλανον (*multivagum*) Dionyſius dixit, & Herodotus tanto ante πολυπλάνητον appellaverat: quod & *Pelaſgorum* nomen in Hebraeorum lingua notat. Huc quoque pertinet quod Πελαργοὺς pro *Pelaſgis* dictos memorat Myrſilus in Dionyſio, quod gregatim more ciconiarum vagarentur. Quid ei faceres, qui vim Hebraicam *Pelaſgici* nominis aſſequi non valeret?

(19) Litteras certe habuere ab Etruſcis diverſas: Nam Pelaſgorum characteres ita parum a Graecis Latiniſque diſſidebant, ut Graeci Latinique a Pelaſgis potiſſimum didiciſſe ſuos videantur. At contra Tyrrhenica elementa tum a Pelaſgis tum a Graecis Latiniſque abeunt. Lingua praeterea & inſtitutis inter ſe diſcrepabant, uti Dionyſius toties laudatus demonſtrat.

Digitized by Google

NAS vocari, idque aetate ipſa Dionyſii, nam ait ὀνομάζουσι, *Nominant* in praeſentia. Ceterum in enuntianda origine nominis ejus, credo ob immenſa temporum intervalla vacillaſſe Tuſcis memoriam, ac pro urbe *Raſena* (quae fuiſſe mihi videtur vera patria Tyrrhenorum) ducem neſcio quem, cui ipſi dederunt *Raſenae* nomen, maluerunt nominis *Raſenici* auctorem. Fuit haud dubie quidem duci ipſi *Raſenae* nomen: ſed tam ducem quam nationem totam ab urbe *Raſena*, unde prodierant, ſibi gentile nomen quaeſiviſſe, neceſſe eſt; nec enim aliud in more gentium poſitum ſcimus.

Quaerendus ergo locus eſt, ex quo Tyrrheni dicti *Raſenae* aut *Raſenates* videantur. Is vero locus non alius, mihi crede, fuit, quam urbs illa RESEN a Nemrodo aedificata inter *Niniven & Chale* ex Gen. X. 12. Ac dubium haberi ſolet apud interpretes Biblicos, utrum Aſſurem an Nemrodum urbs illa conditorem habuerit: at nos ſeorſum in ima (20) ora ſic de eo diſputamus, ut Raſenam illam a Nemrodo non ab Aſſure fuiſſe fundatam pro certo habeamus.

Ergo res ita ſe habuit. Nemrod Babylone metropoli, aliiſque circa exſtructis urbibus, imperii ſui ſedem Babylone conſtituit (Gen. X. 10.). Mox ſtudio amplificandi imperii, *De terra illa* (Gen. X. 11.) *egreſſus eſt Aſſur* (h. e. in Aſſyriam) *& aedificavit Niniven, & plateas* (21) *civitatis, & Chale*. (ver. 12.) *RESEN quoque inter Niniven & Chale: haec eſt civitas magna*. Hic finis Moſaicae de Nemrodi imperio narrationis: in qua illud ultimum, *Haec eſt civitas magna*, haud dubie de *Reſen* ultima recenſitarum urbium eſt capiendum, non de Ninive, quae prima & remotior. Ob ejus magnitudinem Moſi tantae curae fuit Reſenem accurate deſcribere, ut & ejus ſitum inter Niniven & Chale aſſignaret, & *Magnam* (h. e. *Maximam* pro ſolita λιτότητι Moſaica) fuiſſe teſtaretur. Ac de hac patria merito Tyrrheni gloriabantur, maxime cum ea ultima operum Nemrodi fuerit: quippe qui non multo poſt ſuperbia inflatus, in terram Sennaar rediit ducem ſe praebens ſtructoribus inſanae turris in ea terra; illectus ejus loci opportunitate lateritiae materiae, & bituminis apti ad ferruminandum. Ergo ibi maxime ſtolidum illud cepère conſilium (Gen. XI. 3.) *Venite: faciamus nobis civitatem & turrim* &c. Atque ad id opus haud dubie Nemrod ex urbibus ante fundatis ſtrenuiſſimos quoſque architectos atque ſtructores advexit, maxime autem ab ultima, quae *Raſen* fuit, quibus ad ſpeculam illam, quam praeconceperat, erigendam uteretur. Atque ibi deprehenſi Raſenates, Deo confundente ſermones, principio emenſi terras late plurimas penituſque diverſas, poſtremo poſt errores multiplices in Italia conſtiterunt, etſi in ea etiam huc atque illuc jactati ſemper. Atque hi in ſuis vagationibus duo potiſſimum primitiva nomina ſecum circumferebant, *Tyrrhenicum* unum, quod ad arrogantiſſima illa Turris incepta referebatur, *Raſenicum* alterum, quo ſe a *Raſena* illa civitate magna, quam Nemrod aedificaverat, primitus diſſeminatos profitebantur. Haec vero iis duo nomina teſſerae inſtar erant, ex qua mortales agnoſcerent, eos pro meritis ſuis longe late-

(20) Gen. X. ubi Moſes in tranſitu retuliſſet, Nemrodum Chuſi filium fuiſſe primum *potentem* (h. e. regnatorem) *in terra*, ut qui in terra Sennaar (ea eſt Babylonia) Babylonem cum aliis urbibus tribus exſtruxiſſet; mox ſtatim ver. 11. ſubjicit: *De terra illa* (Sennaarica) *egreſſus eſt Aſſur, & aedificavit Niniven* cum aliis civitatibus tribus. Olim interpretes haec de *Aſſure* Semi filio acceperant; quaſi non alius quam ipſe Aſſur Niniven cum tribus urbibus exſtruxiſſet. At acute Bochartus vidit, non recte huc, ubi de Chamidis agitur, Aſſurem Semi filium intrudi. Itaque nonniſi de Nemrodo continuari ſermonem, quem huc paullo longiorem Scriptor Divinus infert, ut praeparationi ad cap. XI. inſerviat, ubi de confuſione linguarum, in poenam Nemrodicae factionis inducta, narraturus erat.

Ergo ſic verſum undecimum accipe: *De terra illa* (Sennaar, de qua loquebatur) *egreſſus eſt* (idem Nemrod) *Aſſur* h. e. in Aſſyriam. Sane in אשור *Aſſur* deeſt in fine ה locale, quod & alibi deeſt. Plena locutio fuiſſet אשורה *Aſſurah* h. e. *in Aſſyriam*. Excidit enim in fine litterula illa; aut eam licebat omittere, praeſertim in locis illis, in quibus ipſa ſententia motum ad locum exigit. Cetera apud Bochartum legi poſſunt; in primis illud ver. 12. *Haec eſt civitas magna*: quod cum antea interpretes de Ninive acciperent, recte ipſe monuit non de *Ninive* (quae hinc longius abeſt, quia prima in catalogum urbium relata fuerat) ſed de ultima *Reſen* eſſe intelligendum. Ac recte eſt, quod in his omnibus poſteriores interpretes in Bocharti pedibus iere ſententiam.

(21) Recte alii *Rehoboth* (non mutato Hebraico nomine) cum LXX & Onkelo retinent, ut ſit proprium urbis, non autem appellativum *platearum* vocabulum.

que ſemper diſſipatos, nec tamen uſquam terrarum potuiſſe pedes figere, ferme uſque ad Liberatoris humani generis tempora. Eadem de Pelaſgis Tyrrhenorum ſociis jam ſupra obſervata fuerunt.

Atque ego quod paullo longius in quaedam Etruſcarum originum capita diverterim, nolim id ſtudio noſtrae Tyrrheniae (h. e. Italiae veteris, quae tota primitus non alio quam *Tyrrheniae* nomine, auctore Dionyſio, vocabatur) factum interpretetur; ſed potius, ut, dum *Tyrſenos* ſive *Tyrrhenos* a Turri Nemrodica ſibi quaeſiſſe nomen oſtendo, Babelico toti negotio, Moſaicaeque διασπορᾷ lux quanta per me poſſet, infunderetur.

SECTIO V.

Canones nonnulli ad Phalegi Moſaici intelligentiam comparati.

I. Quaecumque decimo Geneſeos capite ſcripta exſtant, eorum plurima non neceſſe eſt temporibus τῆς διασπορᾶς ipſis aptari debere, ſed ſatis eſt, ſi Moſis ſcribentis aevo conveniant. Veluti in iis quae ver. 19. leguntur, *Factique ſunt termini Chanaan a Sidone Geraram* &c. ea tanta diffuſio multo poſterior videtur confuſione linguarum & Chamidarum ſubitario diſperſu: ſed potius haec eadem, quae ibidem exſtat, Chananaeorum tanta progreſſio Moſis temporibus optime quadrat, ut qui ſciebat, ſeſe ad Chananaeos illos, tantopere ſuo tempore propagatos, de ſuis ſedibus exturbandos copias Iſraëliticas ducere.

II. Nomina γεναρχῶν (*auctorum proſapiarum*) in IM deſinentia ita (22) plerumque videntur capienda, ut eae ſtirpes pluribus in locis (quamvis non uno tempore) ſatae videantur; quia ex primo conditore ſurculi alio poſtea tranſplantati fuere, ac rurſus forſitan & alio. Qua de cauſa Moſes recte plurativo uſus eſt numero, habita non Phalegici, ſed ſui temporis ratione. Exempla ſunt in Chamidis plurima, praeſertim ver. 13. & 14. ubi omnes in IM finiuntur, quia Chamidae utpote maledictis devoti, nullo conſiſtere in loco potuerunt, vagum & erraticum genus. Contra vero de ſancto Semi genere nullum affertur nomen multitudinis numero. De ſtirpe vero Japheti bini tantum in IM deſinunt, *Cetthim & Dodanim*, quos duos re vera plurima inſediſſe loca, ſpero me palam opere in longo demonſtraturum. Cum vero dico, finitos in IM ſedes occupaſſe plures, id intelligendum eſt vivo Legislatore. Nec enim cap. X. Moſes prophetam agit, ita ut futura canat, ſed agit fidei ſummae hiſtoricum, Spiritu Dei plenum.

III. Sunt & alicubi viciſſim ſatis idonea argumenta, ex quibus conſtet genera nonnulla pluribus in regionibus fruticaſſe, quamvis eorum γενάρχαι in IM non deſinant. Quod argumento eſt genera iſta non niſi Moſe defuncto ſe longius diffudiſſe; eaque de cauſa Moſem non uſum numero multitudinis.

IV. In Generibus illis, quae ſive ex ὁμωνυμίᾳ ſive aliunde conſtat in loca plura fuiſſe diffuſa, regula plurimum valebit illa, ut principio in viciniora loca prorepſerint, ac mox tractu temporis aucta multitudine in longinquiora colonos tranſcripſerint.

V. Fratres principio ſua tabernacula in vicino conſtituiſſe, ſatis eſt veriſimile, idque penſi ducendum, ubi commode poſſit. Etſi quia fratrum diſcordia in proverbium abiit, non diu cum generis propinquitate, etiam locorum duraſſe viciniam, ac facile interdum diverſos a ſe diſceſſiſſe fratres, narrant hiſtoriae veteres.

VI. Nullus autem late patentior eſt canon, quam quod pleraq. τῶν γεναρχῶν nomina non ſtatim a nativitate h. e. die nominali, ſed ex poſt facto videntur exorta. Itaque *Nemrod* ex facto ſuo ita dictus, quia a Deo deficiens turrim illam inviſam Deo molitus eſt: quia *Nemrod rebellem* notat. *Cham* a terra illa fervida, quae ab aeſtu *Cham* vocabatur, quam ſortitus fuit, nomen invenit. Ac plerique videntur aut a nominibus terrarum, quas occuparunt, ita vocati, aut cum eisdem terris nomen ſuum (quod ſive ab aliquo caſu aut a nativitate gerebant) commune feciſſe. Ad ſummam quaecumque vocabula Gen. X. leguntur, ſunt ſimul ὀνομαστικὰ conditorum, ac geographica provinciarum ab eorum proſapia frequentatarum. Id quod & apud gentiles obtinuit, apud quos fere ſemper conditores gentibus a ſe ſatis cognomines reperiuntur, ut Italus Italicis populis, Pelaſgus Pelaſgis, Tyrrhenus Tyrrhenis, Lydus Lydis (nec aliter

(22) Dixi ea plerumque pro plurativis habenda, praeſertim cum hoc capite terminata in IM ſint ſane plurima. Ceterum quamvis ea terminatio ſit ſingulari numero rarior, at fieri tamen poteſt, ut nonnulla horum vocabulorum ſint ex eorum nominum genere, quae in IM exibant numero ſingulo.

aliter in ceteris) dedere nomen, ſi qua fides antiquis.

Phaleg tamen excipiendus, qui non ex poſt, ſed ex ante facto nomen ſibi peperit. Nam quia ſe naſcente (non vero adulto) diſſipatio Chamidarum accidit; ea de cauſa die nominali *Phalegi* ei nomen inditum (*eo quod in diebus ejus diviſa ſit terra* Gen. X. 25.) ita ut ejus nativitas epocha Babelici diſperſûs evaſerit. Errant autem qui adulto Phalego id nomen quaeſitum dixerunt; nulla enim cauſa erat, cur ex innumeris aetate provectis, tunc viventibus Phalego potius, quam alii cuilibet id nomen imponi debuerit. Itaque *Diebus ejus* hoc loco tantumdem eſt, quod eo tum primum in lucem edito.

VII. Monendus eſt vero lector, ne temere Fl. Joſepho in I. Antiq. 6. credat, ubi pleriſq. τῶν γεναρχῶν poſteris tribuit nomina ab iis ἀναλογικῶς derivata, verbi cauſa a Gomaro (in Vulg. *Gomer*) *Gomarenſes* deducit, a Magog *Magogas*, a Tubal *Thobelos*, a Moſoch *Moſochenos*, & ſic deinceps. Nec enim aliud ſibi vult in his omnibus Flavius, quam nonniſi ab illorum γεναρχῶν Moſaicis nominibus principio formari debuiſſe ſecundum analogiam vocabula; quamvis aetate ſua longe alia nomina gererent, nempe tunc in iis regionibus, quas ipſe illos inſediſſe credidit, uſitata. Hoc ideo moneo, quod nonnumquam Calmetus (aliique forſitan viri eximii) videntur ita ab Joſepho abrepti, ut ea reipſa crederent a Noachidis deſcendentia gentilia nomina, quae ipſe Joſephus, ſic quaſi adhuc ſuo tempore in uſu eſſent, ſuopte ingenio formata illis aſſignat.

DISSERTATIO VI.

DE TUNICA POLYMITA SIVE PHASSIM.

AD GEN. XXXVII. 3.

Promiſſa pag. 123.

I*Sraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos . . . fecitque ei tunicam polymitam*] Hebraice hic eſt *Tunicam* (פסים) *phaſſim*: quod *Phaſſim* varie veteres interpp. reddiderunt, tum hic, tum 2. Sam. XIII. 18. 19. Praecipuas interpretationes ubi produxero, atque explicavero; tum demum quae mea ſententia ſit, aperire ſatagam.

SECTIO I.

De POLYMITA Vulgati Interpretis, & χιτῶνι ποικίλῳ Seniorum, & Onkeloſi tunica particularum.

Πολύμιτος *Polymitus* (vox Cratino (1) uſurpata) quid ſit, erudite expoſuit Plinius VIII. 48. *Plurimis vero liciis texere, quae POLYMITA appellant, Alexandria inſtituit.* Plus aliquid docuit Martialis, qui XIV. 150. huic lemmati, *CUBICULARIA POLYMITA*, ſubjecit hoc diſtichon:

Haec tibi Memphitis tellus dat munera: victa eſt
Pectine Niliaco jam Babylonis acus.

Hinc enim intelligimus, quas picturas opere Phrygionico Babylonii exprimebant, easdem Aegyptios pectine, ac plura diverſi coloris licia texendo, fuiſſe aſſecutos. Eo pertinet illud Hieronymi epiſt. 128. ad Fabiolam: *Balteum ita polymita arte diſtinctum, ut diverſos flores, ac gemmas artificis manu non textas* (cum tamen revera *textae* eſſent) *ſed additas arbitreris*. Vide & (2) Iſidorum. Non minus in Aegyptiis pectine elaboratis aulaeis, quam in Babyloniis acu pictis, variae belluarum formae viſebantur: eoque viri docti referunt illa apud Plautum Pſeud. I. 2. 14. *Alexandrina belluata, conchyliata tapetia*. At quae Alexandrinis Graeco vocabulo πολύμιτα dicebantur, ea Latini *Multicia* (curtato vocabulo

(1) Pollux VII. 31: Καὶ ΠΟΛΥΜΙΤΟΣ, ὡς Κρατῖνος ἔφη. *Et variis filis contextus, uti Cratinus loquitur.*

(2) Iſidorus XIX. Orig. 22. *Polymita, multicoloris: Polymitus enim, TEXTUS multorum colorum eſt.*

cabulo pro *multilicia*) appellabant. Etſi enim negat Salmaſius ad Vopiſci Aurelianum cap. 12. (ubi legitur, *Tunicas viriles multicias decem*) *multicia* ſive *multitia* eadem eſſe quae *polymita* ; tamen in vetere Onomaſtico, Πολύμιτα eadem eſſe, quae *multitia*, reperi. Ac ſane *Multitia* ſaepe in Juvenale invenies pro tenuiſſima veſte, ac translucida, cinaedorum propria. Eſt & apud Tertullianum in lib. de Pallio *multicia ſynthesis*.

Quid porro ſecutus Interpres, *Polymitam* hic poſuerit, facile eſt judicare. Putavit enim, Hebraicum פסים *phaſſim*, *licia* ſignificare. Nec abnuerim, Schindlerus certe & Caſtellus פסים *fila* interpretantur. Ergo *tunica phaſſim* erit *tunica liciorum*, ſupple diverſorum, ac diverſi coloris ; id enim ea ſyntaxi notare Hebraei ſolent. Notum eſt, quid Gen. X. *unum labium*, & *plura labia* differant.

Nec alia quam *Polymitae*, eſt ſignificatio χιτῶνος ποικίλου, quod hic Seniores poſuerunt : idque in Itala vetere apud Auguſt. & alios *Tunica Varia* redditur. Nam Χιτὼν ποικίλος eſt *tunica varii coloris*, *variegata*, ſive potius *picta*, uti Latine dicebatur. Quod enim apud Graecos in re veſtiaria ποικίλον appellabatur (quod millies apud Scriptores & Grammaticos occurrit : vide prae ceteris Pollucem) id Latinis eſt *Pictum*, aut *picturatum*. In vetere Onomaſtico Ποικίλος eſt *Picturatus*, & Ποικίλον eſt *Daedalum*. Triumphantium *toga picta* Dionyſio Halic. ποικίλη ἁλουργὶς nuncupatur. Plutarchi in Apophth. τὰ ποικίλα στρώματα Ciceroni *ſtragula picta*, Virgilio *picta tapeta* appellantur. Eſt & apud Athenaeum ἡ τῶν ποικίλων ὑφή, *picturatorum textura*. At pictae veſtes generum duûm erant ; aut enim acu, ſive opere Phrygionico figurabantur, aut pectine contexebantur. In utroque opere varietas diſcolorium filorum picturam efficiebat. Non eſt ergo dubitandum, quin vox פסים *phaſſim* hujus loci Seniores pro *filis* multiplicibus acceperint, aeque ac Latinus Interpres : qui a LXX voce tantum diſſentit, re convenit.

Sed & Onkeloſi translatio (כתונא דפסי, *chittuna dephaſſei*) non alias quam textus Hebraicus voces, etſi Chaldaica dialecto indutas, adnumerat. Tamen quia apud Chaldaeos פסא *phaſſa* aut *phiſſa* eſt *particula* aut *fruſtum*; dubitare poſſis, an non *tunicam particularum* non aliud fuiſſe intellexerit, quam *tunicam ex variis particulis verſicoloribus conſutam*, in eamque partem τὸν ποικίλον Seniorum acceperit.

SECTIO II.

Jonathanis interpretatio exponitur. De Paragauda *plura non inutilia.*

Chaldaica Paraphraſis Jonathanis *tunicam phaſſim* interpretatur ית פרגוד מצייר *jath pargod metſajar*, i. e. *tunicam figuratam* : qua ratione ei belle convenit tum cum ποικίλῳ Seniorum, tum cum *polymita* vulgati Interpretis. At idem Jonathan 2. Sam. XIII. 18. 19. ſicuti & Onkelos hic in Joſephi hiſtoria pro *Tunica phaſſim* pura puta Hebraica nomina poſuerunt, ſed Chaldaico more inflexa כתונא דפסי *chittuna dephaſſei* : quod utrobique Latinus Chaldaei interpres in Polyglottis *tunicam filorum* interpretatur. Haec de Jonathane : de cujus *Pargod* ſeu *Paraganda* vide ſubjectam (3) adnotationem.

SE-

(3) *Quid Paragauda, integra ne ſtola, an ejus limbus? Initio tota veſtis fuerat, dein ora pretioſior. Παραγαύδας Heſychio dicta detorto in Graecum nomine. Caſaubonus & Salmaſius laudantur, & interdum refelluntur.*

Caſaubonus ad Trebellii Claudium cap. XIV. ad illa verba, *Paragaudem triuncem unam*, cum multus in *Paragauda* exponenda eſſet, ait, Orientale eſſe vocabulum, cujus rei ex ſupra adſcripto Jonathanis loco fidem facit. Optime hoc quidem. Verum quod ibi apud Jonathanen τὸ *Pargod* aut *Pargoda*, eſſe veſtem colorum varietate inſignem, idque vocabulum Paraphraſten poſuiſſe pro Joſephi Moſaica *Cuthonet paſſim* i. e. *tunica paſſim*, ait; humani in eo aliquid paſſus eſt vir magnus. Certe enim pro duabus illis Hebraicis vocibus duas has Chaldaicas Jonathan appendit, *Pargod metſajar*. Itaque τὸ *Pargod* (unde eſt *Paragauda*) τῷ *Cuttoneth*, *tunicae*, at τὸ *metſajar*, i. e. figurata τῷ *paſſim* Hebraico reſpondet. Chaldaeis ergo *Paragauda* eſt integra tunica.

Ceterum quid poſtea *Paragauda* fuerit, non aliunde melius, quam ex medii aevi lexicis poterat intelligi. Jo: de Janua: *Paraganda* (ſed corr. *paragauda*) *ornamentum pallii vel veſtis, quod vulgo* FRISEVM *dicitur*. Hodiedum Neapoli limbus is, qui orae veſtis adtexitur, *Friſo* (Etruſcis *Fregio*) appellatur. Hinc jam intelligis, quid ſit Paragauda apud hiſtoriae Auguſtae ſcriptores & in utroque Codice. Non eſt tota veſtis, ſed hujus limbus. At veſtis, quae id ornamenti habebat, *paragaudia* ſeu *paragaudea* adjectivo vocabulo dicebatur in eadem Auguſta Hiſtoria, non ſecus ac apud poſteriores Scriptores *vela paragaudata* : de quo vide Cangii gloſſarium.

Et optime quidem Caſaubonus *paragaudae* etymon

Digitized by Google

SECTIO III.

Cur tunica Phaſſim, *quae in Geneſi* ποικίλος *reddita, eadem in 2. Sam. XIII.* καρπωτὸς *verſa. Priſca Romanorum veſtiendi ratio ex Gellio exponitur. Cur maribus non item feminis probra fuerit tunica ad manus taloſque fuſa. Joſephum ſicuti & Thamarem chiridota, quae & talaris, apprime decuit. Barbari manicatis demiſſiſque ad talos tunicis uſi. Interpretationes antiquas τοῦ* Phaſſim, *ſi perpendantur, inter ſe convenire.*

Quae veſtis ex Hebraeo loci hujus (in quo de Joſephi *tunica Phaſſim* agitur) a LXX χιτὼν ποικίλος i. e. *tunica picta* redditur, eadem poſtea veſtis (itidem in Hebr. *Phaſſim*) in 2. Sam. XIII. 18. 19. ubi de Thamare ſermo eſt, Graece χιτὼν καρπωτὸς, *manuleata tunica* verſa fuit: quae variatio non debuit admirationi eſſe Salmaſio, cum eadem vocabula non uno modo reddi ſoleant, maxime diverſis in locis, diverſiſque (4) interpretibus ac de diverſis perſonis rebuſve. Adde quod *Tunica phaſſim* re vera plurimis interpretationibus patet, inter ſe minime repugnantibus: de quo jam dicendum. *Tunica* enim *Phaſſim* ubi de Joſepho agitur, ποικίλος vertitur. At in 2. Sam. XIII. 18. & 19. de Thamare καρπωτὸς (ſicuti in Bibliis Graecis legitur) vocatur h. e. *manuleata* ſive ad carpos uſque manuum pertinens; quo loco apud Monfauc. in Hexaplis ex Regio cod. & Procopio in textu quidem reponitur ἀστραγαλωτὸς h. e. *talaris* tamquam ex primario interprete: at ex Symmacho χειριδωτὸς, ex Aquila καρπωτὸς: quorum utrumque *manuleatam* notat. Poſtremo quid ſi eadem *tunica phaſſim*, ſi genus texturae ſpectes, *picta* fuerit: ſi modulum corpori aptum, *manuleata* ſimul atque *talaris* exſtiterit? Tam diverſarum verſionum age ratio inquiratur, ſimulque quidquid antiqui moris huc revocari poteſt, adſpergatur. Atque equidem ab antiquiſſimis Romanorum incipiam, qui mores ſuos ab Oriente per Tuſcos hauſerunt. Exſtat autem priſci veſtitus accurata deſcriptio apud A. Gellium VII. 12. quae cum vetuſtiſſimis anaglyptis a me viſis apprime convenit.

Ea ſic incipit: *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia, & uſque in primores manus ac prope in digitos, Romae atque omni in Latio indecorum fuit. Eas tunicas Graeco vocabulo noſtri chiridotas appellaverunt: feminiſque ſolis veſtem longe lateque diffuſam, decoram exiſtimaverunt, ad ulnas cruraque adverſus oculos protegenda. Viri autem Romani primo quidem ſine tunicis toga (5) ſola amicti fuerunt: poſtea ſubſtrictas & breves tunicas*

---

etymon ab Oriente petivit. Sed propius attigit originationem Salmaſius ad eumdem Treb. Pollionis locum, dum de *paragauda* ſive *paragoda* intelligit illud Heſychii: Παραγωγάς (quod emendat Salmaſius Παραγαύδας) χιτὼν παρὰ Πάρθοις. Ergo ſi recta eſt Salmaſii correctio, Perſicum erit veſtis vocabulum, ut & *Pardes* ſive Παράδεισος, & Παρασάγγα. Et quidem ut apud Jonathanem פרגוד *pargod* tunica erat, non tunicae pars, ſic quoque apud Perſas, Heſychio teſte, erat χιτὼν h. e. tunica tota. At deinde, ſi recte rationes ineo, pars ejus veſtis pretioſior, quae orae adtexebatur, *paragoudae* nomen invaſit; ut milies apud laudatos Scriptores. Sic *ſtola*, quae antiquitus totius corporis indumentum erat, at poſt in Eccleſiae Scriptoribus lorum fuit i. e. ſtolae limbus.

Ceterum etſi Heſychium de Paragauda eſſe intelligendum, facile Salmaſio aſſentior; ſic nego lexicographum aliter, quam quod nunc legitur (& quomodo etiam Varinum in Heſychio legiſſe reperio) Παραγωγάς ſcripſiſſe. Parthi quidem, ſicuti & Chaldaei *Paragodam* aut *Pargodam* illud appellabant. Sed Graecis ſollemne fuit peregrina vocabula ſic emollire, ut Graecam originem praeſeferrent. Παργαύδας, aut Παργαῦδας (Vau-cholem in diphthongum AV commutare & Arabum peculiare, & nonnumquam Syrorum fuit) ſi grammaticus ſcripſiſſet, nihil in eo Graecae originis reperiſſet; nunc una mutata litterula, tota ei dictio in manibus Graeca evaſit; & ita quidem, ut ſi limbum illum Graece voluiſſes appellare, non potuiſſes aptiore nomine quam Παραγωγὰς (*additamentum*) vocare.

(4) Non miror equidem aeſtuaſſe Salmaſium (ad Vopiſci Aurelianum cap. 46.) in eo cur tanta interpretationum inconſtantia in *Tunica Phaſſim* vertenda apud Graecos interpretes fuerit, dum in Moſe ποικίλον, in Samuelis vero hiſtoria ſive καρπωτὸν, ſive ἀστραγαλωτὸν reddiderunt: quia nim. ipſe putavit Samuelis Graecam translationem ab iiſdem LXX prodiiſſe, a quibus Pentateuchus Graece redditus: id quod hodie vulgo negatur ab omnibus. Atque hac praecipue ipſa interpretandi varietate ad adſtruendam traductorum diverſitatem vulgo nunc uti ſolent.

(5) Aſconius: *Cato praetor judicium quia aeſtate agebatur, ſine tunica exercuit, campeſtri ſub toga cinctus. In forum quoque ſic deſcenderat, juſque dicebat; idque repererat* (fort. *repetierat*) *ex vetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli aetatis ſtatuae in Capitolio & in Roſtris Camilli fuerunt togatae ſine tunicis.*

tunicas citra [6] *humerum deſinentes habebant*, *quod genus Graeci dicunt* ἐξωμίδας. *Hac antiquitate inductus P. Africanus* . . . *P. Sulpicio Gallo homini delicato* . . . *probro dedit*, *quod tunicis uteretur manus totas operientibus*. Poſt Scipionis verba Gellius pergit: *Virgilius quoque tunicas hujuſmodi*, *quaſi foemineas ac probroſas criminatur*. Et tunicae, *inquit*, manicas, & habent redimicula mitrae. *Q. quoque Ennius Carthaginienſium tunicatam juventutem non videtur ſine probro dixiſſe*. Hactenus Gellius: qui circa finem non videtur ſcripſiſſe *tunicatam* (nec enim hoc probro fuiſſet) ſed (7) *manicatam*, quod in viris vituperabatur. Noti ſunt ex Catilinaria II. aſſeclae Catilinae cum *manicatis* & *talaribus* tunicis: quae & alibi apud eumdem vitio vertuntur. Ac tales ſolebant *ſtolati* per inſectationem vocari, uti cum Seneca in de vita beata cap. 13. ait: *Hoc tale eſt*, *quale vir fortis STOLA indutus*, h. e. quamvis manuleatus; quia inter tunicam ac ſtolam hoc intererat, quod illa nec manuleata nec talaris, ſtola utrumq. erat. At diu poſtea ab eo more in contrarium fuiſſe deſcitum teſtatur Auguſtinus in III. de Doct. Chriſt. 12. *Talares*, inquit, *ac manicatas tunicas habere apud Romanos veteres flagitium erat*: *nunc autem honeſto loco natis*, *cum tunicati ſunt*, *non eas habere flagitium eſt*.

Sed redeo ad ſuperiora tempora, quibus, uti dictum, tunica nec manicata, nec talaris erat, cum contra ſtola in utramque partem fluitare nata eſſet: quocirca toga ſi quando manuleata ac talaris fuiſſet, cum ſtola confundi ſolebat. Et in hoc quidem quae in Latio, eadem & apud Graecos conſuetudo fuit: quantum ex pluribus Pollucis aliorumque locis poteſt intelligi. At vero apud barbaros longae tunicae de more inducebantur: id quod non uno loco Herodianus teſtatur, & de Perſis Strabo lib. XV. Apud Aegyptios quoq. non tantum Sacerdotes in caeremoniis, ſed & ceterum vulgus talaribus lineis utebatur, ut in quantivis pretii Herculanenſi rituum ſacrorum Aegypti pictura cernitur.

Reſtat id nunc unum explicandum, cur virili ſexui chiridota vitio verteretur, aut cur eam effeminati inducerent, cum potius ſic pudori magis conſultum fuiſſe videatur. Vna ex cauſis ea videtur fuiſſe, ne hircum (8) olerent. Altera, eaque potior opportunitas manicarum, ut brachiis, manibus, cruribuſque candorem ſimul ac mollitudinem conciliarent, quibus, qui ea exerta gerunt, omnino carent. Ob eamdem cauſam delicatuli hodie chirothecas uſurpant. Ac notum eſt, quantâ in eam partem cinaedi infamia laboraverint, quos *molliores cuniculi capillo* Catullus dixit.

Verum ut ad Joſephi & Thamaris tunicas redeam: Thamarem quidem, utpote puellam & regis filiam, nonniſi talaris & chiridota decebat: hinc in Thamaris hiſtoria *tunicam phaſſim* apud Graecos alius *talarem* alius *manuleatam* expoſuit. At ubi de Joſepho agebatur, fuit fort. apud interpretes controverſia, utrum maſculum chiridota deceret. Ea decidenda eo loci ſuperſedere viſum Senioribus fuit, eaque fortaſſis de cauſa ποικίλον i. e. *variam* ant *polymitam* interpretari. At profecto decebat Joſephum chiridota: primum quia delicatius a Patre educabatur, quo ſpectat illa αἰτιολογία: *Iſraël autem diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos* (ideoque) *fecit ei tunicam phaſſim* h. e. ad manus taloſque demiſſam. Ex eo inquam, quia eum prae ceteris diligebat, ideo delicatiore cultu educabat: ob eamque

(6) Videtur *Citra cubitum* ſcripſiſſe auctor, ita ut inter humerum & cubitum ſubſtiterint illae tunicae: aut potius leviſſima mutatione pro *citra* ſcribe *circa*; ut ne acceſſerint quidem ad cubitum tunicae, ſed deſiverint propius humerum. *Circa humerum*, inquit, *deſinentes*. Quod & ſequentia firmant. *Quas*, ait, *Graeci dicunt* ἐξωμίδας. Tali prorſus figura in monumentis ſepulcralibus defunctorum anaglypta tunicata tum Capuae tum alibi obſervavi.

Me tamen recipio, fateorque nuper inter veteres Herculanenſes picturas ſive deam ſive heroinam a me viſam, cujus tunica *citra humerum* deſineret, ita ut extremum ipſum humerum oſtenderet nudum. Nemeſim eâ picturâ exhiberi, ſuſpicio fuit.

(7) Seneca epiſt. 33. *Apud me vero Epicurus eſt & fortis*, *licet MANICATVS ſit*. Suetonius de Caligula: *MANVLEATVS & armillatus in publicum proceſſit*.

(8) Nam qui vitam exercitam agunt, ubi propter aſſidua miniſteria manicis careant, iis facile eſt, alarum putorem foras erumpere. At contra in effeminatis, iiſdemque proinde manuleatis, nullum ab alarum hirco periculum, nempe manicis prohibentibus ne hircum tranſmittant, ſed comprimant potius, eumque ſinant *cubare in hirſutis alis*, ut pulchre Horatius in Epod. XII. Atque huc pertinet venuſtiſſimus Plauti jocus Pſeud. II. ſc. 4. ver. 47. ubi Pſeudolo interroganti, *Sed iſtic ſervus* . . . *qui advenis*, *ecquid ſapis*? reſpondet Charinus (uti corruptiſſimum locum

Digitized by Google

eamque cauſam fecit ei *talarem & chiridotam tunicam*. Deinde in Oriente is cultus minime probroſus erat. Herodianus lib. V. Προῄει τε σχήματι βαρβάρῳ, χιτῶνας χρυσυφεῖς καὶ ἁλουργεῖς, χειριδωτοὺς καὶ ποδήρεις ἀνεζωσμένος. *More barbaro tunicas auro intextas ac purpureas indutus procedebat*. Ibidem: Ἀνεζωσμένοι οἱ μὲν χιτῶνας ποδήρεις καὶ χειριδωτοὺς, νόμῳ Φοινίκων. *Induti tunicis talaribus ac manicatis, more Phoenicum*.

Poſtremo cum Joſepho honorem Pater habere vellet, ei (quaſi futuro ejus principatui praeluderet) tunicam manuleatam ac talarem tradidit, ceteris fratribus, quaſi plebeiis, tunicam brevem quam Graeci ἐξωμίδα vocabant.

Ad ultimum antequam ad alia progredior, animadvertendum puto, verſiones tantopere diverſas *tunicae phaſſim* tam in hoc loco quam in altero Samuelis libro, non adeo inter ſe pugnare, quin, ſi recte intelligantur, amice coëant. Vt ecce *Polymita* Hieronymi (qua verſione tum hic de Joſepho; tum alibi de Thamare utitur) cum ποικίλῳ LXXvirali apertiſſime convenit. Nam liciorum in texendo varietas eo ſpectabat, ut colores varios exhiberet. Hinc veteres eadem notione *Colorinam* aut *Coloriam* nuncuparunt hanc qua de agitur. Adhaec Graecae omnes in 2. Sam. XIII. 28. verſiones eodem quodammodo ſpectabant, quia quae opificii exquiſitioris erant, eaedem erant etiam manuleatae ac talares, quia tales viris puelliſque principibus conveniebant; veluti quia Joſephum Jacob prae filiis aliis gerebat in oculis, Thamar autem filia regis erat; ideo tunicis talibus utebantur. Poſtremo ſi mavis in Geneſeos & Samuelis locis τὸ פסים *phaſſim* notare carpos aut volas manuum, pedumque talos ac plantas (id quod re vera Chaldaice (9) ſignificat) tum utrobique tunica *phaſſim*, erit manuleata itemque talaris.

SECTIO IV.

De tunica Phaſſim curae poſtremae. Non aliud videtur fuiſſe quam Pollucis Φώσων (al. φάσων, ut in Ms. & in Varino, & alibi) tunicae Aegyptiae genus ex denſiore λινουργίᾳ. Sub Juſtiniano Aug. Φασωνίῳ pro tunica utebatur Damaſcius apud Photium, h. e. tunicae genere teſte Max. Margunio. Phoſſonis etyma veter. grammaticorum exſibilantur, cum in Aegypto aut alibi in Oriente ſit nata vox. Alia ex occaſione.

Huc uſque diverſas tunicae *Phaſſim* Graecas interpretationes produximus, ſimulque oſtendimus, poſſe eas omnes vocis פסים *Phaſſim* ambitu contineri, prout id vocabulum ſive fila varii coloris, ſive manus pedeſve notare ſit aptum. Nunc experiamur an non oſtendi poſſit, voces ſive Φώσων, ſive Φάσων aut Φασώνιον (quae apud Pollucem veſtium voces Aegyptiae) aut ortum ſuum ab Hebr. *Phaſſim* duxiſſe, aut ipſas nomini Hebraeo originem de ſuo commodaviſſe: nam hinc certe lucem minime dubiam tunicae *Phaſſim* affuſum iri confido. Rem fateor fore conſpicuam; ac videri mirum, ſi eadem clam tot viris doctiſſimis adhuc fuerit. Et tamen nulli dum fuiſſe id animadverſum reperi: quo circa dabitur venia, ſi paullo uberius rem explicuero.

Ajo igitur, hujus loci פסים *phaſſim* (ſive ea vox Hebraici peculii fuerit, ſive potius ex Aegypto, ubi res vocabulo ſignificata in uſu fuit, ab Hebraeis arrepta) non aliud fuiſſe quam Φώσωνα ſive Φώσωνα, aut (cum vocali prima) Φάσωνα illum, cujus meminit Pollux lib. VII. cap. XVI. ſegm. 71. his verbis: Ἔτι δὲ καὶ ὁ Φώσων [χιτὼν, *tunica*, additur (10) in Ms.] Αἰγύπτιος, ἐκ παχέος λίνου· ἔστι δὲ καὶ ἡμιφωσώνιον. *Eſt etiam & PHOSON tunica Aegyptia ex denſo lino; ſicuti & hemiphoſonium*. Hoc ultimum ſcribitur cum A in Ms. Pollucis, ἡμιφασώνιον, *Hemiphaſonium*, quam

---

locum reſtituit Turnebus ex Mss.) *Hircum ab alis*. Vbi ludit ex ambiguo Charinus, dum roganti Pſeudolo *Quid ſapit*, pro Eſtne aſtutus, aut ſimile, reſpondet, *Hircum ſubolarem ſapit*. Nam *ſapere* pro *olere* & Cicero & Plinius uſurparunt. Nec ſic ludenti Charino minus opportune reſpondet Pſeudolus: *Manuleatam tunicam habere hominem decet*. Nec enim aliud adverſus ſerpentem putorem remedium aptius manicis adſtrictis, ac prohibentibus taetrum halitum ad nares propelli.

(9) Nulla eſt notio tritior τῷ פס *phas*, quam quae Chaldaeis in uſu eſt pro *palma manus*, uti accipitur Dan. V. 5. & 24. & in Targumim. Quin & ad pedes refertur. Vide Buxtorf. in Lex. Chald. in rad. פסס.

(10) Si Χιτὼν hic adſit, non otiabitur; quia cum de Calaſiri tunica Aegyptia locutus eſſet, addit in *Phoſon* particulam Καὶ (*etiam*) ut ſignificet *Phoſona* quoque & *tunicam* & Aegyptiam fuiſſe. Ceterum ſi τὸ χιτὼν removeas, damnum huic loco nullum, quia de *tunicis* ab initio capitis agitur. Atque ex aliis veterum locis, praecipue ex Damaſcio, fuiſſe tunicam, infra patefiet.

quam lectionem cum A fruſtra aliqui convellunt, ut inferne (11) oſtendimus.

Dixi de Φάσσωνος ſcriptura duplici per A & per O, cum iisdem tamen conſonis, in quibus maxime Orientalium vocum ſubſtantia reſidet. Sequitur, utrum revera *Phoſſon* ſive *Phaſſon* genus tunicae fuerit. Ex Pollucis quidem relato loco certiſſimum eſt fuiſſe hoc tunicae Aegyptiae genus, quia auctor graviſſimus & φώσσωνα & ἡμιφωσώνιον inter genera tunicarum refert: quae duo non re, ſed denſitate (12) opificii, uti reor, diſſident. Adhaec accedunt Tzetzes atque Varinus; quorum uterque φώσσωνα ſive φάσσωνα (ſunt enim, ut oſtendi, διττολογούμενα) inter tunicas numeravit, uti proxime dictum. Accedit & Damaſcii Damaſceni, quem volunt Juſtiniano aequalem fuiſſe, non levis auctoritas. Is enim in Iſidori philoſophi vita apud Photium pag. 1063. noctu aliquid incommodi paſſus, maduiſſe ſibi ait κρήδεμνον, φωσσώνιον, ceteraque amictuum genera quae ibi affert. Vbi non eſt dubium, quin, ſicuti κρήδεμνον genus faſciae fuit, ventrali, opinor, reſpondens, ita φωσσώνιον tunicae genus exiſtiterit: de quibus vide Davidis Hoeſchelii (13) adnotata. Fuit ergo ſine controverſia φώσσων aut φάσσων tunicae corpori intime adhaereſcentis genus.

Jam vero grammaticorum vix feras ineptiam, ubi φώσσωνος etymon aſſignare conantur. Pollux nihil aliud de eo docuerat, quam fuiſſe tunicam ex denſo lino in Aegypto confectam. Itaque ejus etymon aut in Aegypto, ſi quidem ejus linguae facultas eſſet, quaerendum erat, aut ex Hebr. פסים *phaſſim* trahendum, quod & ſupra nos fecimus. At novi ſcholiaſtae & grammatici, quibus nulla alia φώσσωνος notio ſuccurrit quam quae ex Lycophrone (14) innotuerat, qui pro velis nauticis uſurpavit, lepidam excogitavere Aegyptii nominis mere Graecanicam etymologiam ἀπὸ τῦ

(11) Φώσσων non tantum cum Ω in priore ſyllaba, ſed etiam cum A fuiſſe ſcriptum, itaut fuerit ex διττολογουμένων numero, prae ſe aperte tulit Varinus Favorinus: qui quidem bis hoc vocabulum lexico ſuo (quod κατὰ στοιχεῖον procedit) intexuit: ſemel in ſyllaba ΦΩΣ, ſuperius autem in ſyllaba ΦΑΣ, ubi haec poſuit: ΦΑΣΣΩΝΑΣ, τὰ λαίφη, τὰ ἄρμενα. Vbi φάσσωνας tum *veſtes* uti vides, tum *vela nautica* interpretatur. Eſt igitur manifeſtum hic non poſſe mendum in typographum rejici. Nam ſi quidem menda fuit, ea in Favorino auctore lexici reſidet. Sed Varinus integer culpae eſt, quia quaecunque in φάσσωνας affert, ea totidem verbis deſcripſit ex Tzetze in Lycophronem v. 26. Ergo & Tzetzes cum A ſcripſerat, & in Lycophronis etiam Ms. fort. Φάσσωνας cum A ſcriptum antiquitus fuerat, & omnino haec vox ex διττολογουμένοις exſtiterit, neceſſe eſt, praeſertim auctore Polluce, de quo ſupra.

Sed age, ubicumque dictio iſta cum A ſcribitur, ſit mendi manifeſta, nec niſi per Ω ſcriptio legitima habeatur: an ideo minus cum פסים *phaſſim* cohaeret id nomen? Nihil minus, quia in linguis Orientis ſaepe Ω in locum primae vocalis ſuccedit, & Chaldaei & Syri prae ceteris O loco τῦ A Hebraici uſurpant.

(12) Sicuti apud nos hodie in ſericis textrinis *Il Damaſco dal mezzo Damaſco* non genere diſſidet (quaſi ſi ea ex diverſo liciorum genere contexantur) ſed denſitate opificii, quia quod magis denſatum, id *Sericum Damaſcenum*, quod minus, id *Semidamaſcenum* vocatur; idem inter φωσσώνιον & ἡμιφωσσώνιον diſcrimen erit.

(13) In Hoeſchelii ad hunc Damaſcii locum adnotatis affertur Graeca Max. Margunii epiſtola ad Hoeſchelium, qua Graecus ille de veſtium iſtar. ſignificatu ab Hoeſchelio interrogatus, primum conqueritur, quod non integrum Damaſcii locum deſcriptum ad ſe miſerit, quo aptius reſponderet. Deinde de φωσωνίῳ ſic exiſtimat: Φωσώνιον οἶμαι δηλῦν τὸ ἱερὸν ἔνδυμα, ὃ οἱ παρ᾽ ἡμῖν ἱερουργῦντες ἱεροδιάκονοι ἐπιφέρονται, ὅπερ ἄλλως στιχάριον λέγεται. *Phoſonium*, inquit, *ſignificare puto ſacram illam veſtem, quam apud nos gerunt ſacri Diaconi, cum ſacris operantur, quae quidem aliter Sticharium dicitur*. Atqui στιχάριον in Graecorum re veſtiaria Eccleſiae non aliud eſt, quam quod in Eccleſia Latina *Tunica* vocatur. Ergo apud Damaſcium φωσώνιον eſt *tunicae* nomen. Atque aegre eſt quod Photii interpres iſtud φωσώνιον generali nomine *ſacram veſtem* reddiderit, cum potius omiſſo τῷ *ſacram* (nec enim Damaſcius erat ſacrorum miniſter, ſed puto, paganus philoſophus) debuiſſet ſimpliciter *tunicam* vertere.

(14) Lycophron eo vocabulo utitur ver. 26. Adhaec utitur & ver. 101. ſed in forma compoſita, εὐφάσσωνα στόλον, quod alii aliter vertunt.

In Tzetzae ſcholiis φάσσων ἀπὸ τῦ φωσᾶσθαι arceſſitur, quod ante factum a Suida, ab Etymologo, ab Euſtathio, Varino, ac forſitan aliis. Fuere & ex grammaticis olim, qui a φάω, unde φῶ, *ſplendeo*, deducerent. Verum ex ſupra dictis vox non in Graecia, ſed in Aegypto aut in Chanaanitide nata, ibi fixas radices habuit, quas in Graecia caſſo labore ſcrutantur.

τῷ φυσᾶσθαι, quod eſt *inflari*. Atqui Pollux nullum *φάσσωνος* (quem pro tunica Aegyptia habuit) etymon docuit. Nos vero *tunicae Phaſſim* (quam Joſepho pater comparavit) ductu videmur, ni fallor, ſive Aegyptium nomen ex Hebraeo ſive ex Aegyptio Hebraicum tuto adſciviſſe.

Ac ſane filio dilecto Jacob nihil convenientius *Phaſſone* tunica parare potuit. Ceteros enim filios laneis, in Chananitide confici ſolitis, induerat: at quem filium prae ceteris habebat in oculis, eum tunica exotica, nempe carioris pretii & exquiſitioris materiae veſtivit, *Phaſſone* tunica, inquam, veſte linea ex Aegypto allata. Ac fuit in hoc, ni fallor, futurae Joſephi in tota Aegypto ſummae poteſtatis non obſcurum praeſagium: ut omittam alias ejusdem tunicae ſignificantias a (15) *Philone* expoſitas. Fortaſſis & idem Joſephi *φάσσων* ſive tunica *Phaſſim* Chriſti tunicam (quam lineam (16) fuiſſe aeque ac *φάσσωνα* Pollucis, non temere arbitror) de qua vaticinatus eſt David Pſ. XXI. 19. praeſignabat: quod jam olim ad Jo. XIX. 24. me ſcripſiſſe in Spicilegio memini.

---

(15) Philo tum lib. *De eo quod deterius potiori inſidiari ſoleat*, prope ab initio, tum potiſſimum lib. *De Joſeph* pag. 531. ex Joſephi *ποικίλῳ* (*varia*) tunica captans allegorias, eam ad futuram ejus Aegypti gubernationem refert, nam reip. moderatorem *πολυειδῆ καὶ πολύμορφον* (*multiplicem ac multiformem*) eſſe debere ait, *alium in pace, alium in bello, aliter ſe paucis, aliter multis adverſariis opponentem, contra illos conſtanter agentem, contra hos utentem perſuaſionibus*; & quae plura ibi reperies. Multo vero evidentiora Joſepho futurae poteſtatis praeludia procedent, poſtquam *tunicam phaſſim* Aegyptium fuiſſe opus, pro explorato habuerimus, quod & ſupra demonſtrare adniſi ſumus, tum ex Polluce, qui *φάσσωνα* ſuum ex Aegypto arceſſivit; tum (hujus Differt. initio) ex Plinio VIII. 48. & ex Martiale XIV. 150. ubi *Polymitorum* texturam Alexandriae vindicant.

(16) Etenim in illo Pſ. XXI. 19. vaticinio *Et ſuper veſtem meam miſerunt ſortem*, Chaldaice eſt פתגי *phetogai*, quod *veſtem lineam* ſignificat. Vide dicta ad Jo. XIX. 24.

DISSERTATIO VII.

AD GEN. XLIII. 32.

Promiſſa pag. 150.

CONTRA BASNAGIANA QVAEDAM DEQ. HEBRAEOR HVIVS LOCI SIGNIFICATV.

QVibus [panibus] *appoſitis ſeorſum Joſeph, & ſeorſum fratribus, Aegyptiis quoque, qui veſcebantur ſimul, ſeorſum* (*illicitum* (Heb. *abominatio*) *eſt enim Aegyptiis comedere cum HEBRAEIS, & profanum putant hujuſcemodi convivium*) *ſederunt coram eo.*

BASNAGIANA CRIMINATIO DVPLEX.

Duae ex hoc loco difficultates exſiſtunt. Prior illa eſt cur *ſeorſum Joſeph, ſeorſum fratribus* apponerentur cibaria. Altera haud paullo difficilior illa eſt, quidnam illud ſibi velit, *illicitum* fuiſſe *Aegyptiis comedere cum Hebraeis*: Nam cum *Hebraeorum* nomen tunc temporis recentiſſimum eſſet (quippe ab Abrahamo primum inceptum, & tunc temporis Jacobi tantum familiae peculiare) importuna hoc loco videtur gentis *Hebraeorum* mentio, quos eo tempore nondum, ne de nomine quidem noſſe Aegyptii poterant.

SECTIO I. DIFFICVLTAS PRIOR ENODATVR.

Os Baſnagii ferre quis poſſit? qui in notis criticis ad Cunaei Rempubl. Hebraeorum

rum (t) Joſephum criminatur, quaſi qui fortunae ſuae velificans, Aegyptiorum ſuperſtitionem in hoc facto ſecutus fuerit. Nam menſarum ſecretionem, de qua hic Moſes, ab Aegyptiaca religione manaſſe, in eoque Joſephum Aegyptiorum religioſis moribus obſecundaſſe putat, ne fortunae ſuae curſum interverteret. Non enim aliunde, ſi Baſnagio credimus, haec menſarum ſecretio eſt arceſſenda, quam ex religione, qua Aegyptii animalia plurima proſequebantur, quae ipſa Hebraei mactarent atque comederent. Debuerat profecto Joſeph [ſi quidem ei religio potior, quam blandiens fortuna fuiſſet] Hebraeis ſe potius quam Aegyptiis in eo convivio adjungere. Mitto cetera boni viri in ſanctiſſimum Patriarcham convicia.

Ego vero poſſem cum Grotio ad Geneſim ſtatuere, Joſephi aetate nondum in Aegypto coeptam idololatriam; & *abominationes Aegyptiorum* (de quibus Ex. VIII. 26. fit mentio) ſive morem colendi animalia, non niſi ſub Moſe ipſo, vel paulo ante, coepiſſe. Huic vero pronuntiato fidem facere poſſim ex hujuſmet capitis verſu 16. ubi Joſeph diſpenſatori praecepit: *Occide victimas, & inſtrue convivium*. Ex quo duorum alterum ſequitur, aut nondum animalia in Aegypto coli coepiſſe (quandoquidem ea Joſeph mactari juſſerit) aut, ſi colebantur, Sanctum Patriarcham animantium cultui adeo non adhaeſiſſe, ut potius reſtiterit graviter, jugulari jubens, quae illi adorarent. In uſum fratrum dicet Baſnagius, non ſuum aut Aegyptiorum animalia illa fuiſſe mactata. At ſi Hebraei propter mactationem animantium deteſtationi erant futuri, cur, quaeſo, Joſeph tanto ſe crimine polluiſſet apud Aegyptios, apud quos ſcil. non ſibi uni, ſed & fratribus captabat gratiam, ut quae illi colerent, ipſe Hebraeorum cauſa mactaſſet?

Jam vero poſſem cauſam ſecretionis menſarum in paſtoritiam artem ab Hebraeis exercitam conferre. Nimirum Aegyptii menſae communicationem cum Hebraeis defugiebant non alia de cauſa, quam quia hi paſtores eſſent; Aegyptii autem *Hycſos* (h. e. *paſtores* de quibus dixi ſup. ad Gen. XLVI. pag. 157. quales ſe ipſi germani Joſeph haberi volebant) *Hycſos*, inquam, Aegyptii deteſtabantur, memores eorum, quae olim ab exercitu paſtorum, Manethone teſte, perpeſſi fuerant. Id ſi eſt, nihil jam menſarum iſta diſtinctio habebit cum religione commune, ſed inter *πάτρια νόμιμα* (*inſtituta*) Aegyptiorum mere politica erit referenda.

Verum largiamur hoc ſane Critico, iſtam menſarum ſecretionem a religione manaſſe, atque in ea verti religionis ſive Aegyptiacae ſive Iſraëliticae profeſſionem; quamvis hoc nemini adhuc in mentem venerit. Verum etſi id ultro aſſentiamur; nihil inde adverſum Patriarchae

(1) Jacobus Baſnagius Flottemanvillaei (contra quem Differt. ſeq. diſputabimus) filius, praeter opera cetera, Petri Cunaei Remp. Hebr. illuſtravit. Utrum in eam Notas breviores ſcripſerit, inexploratum mihi eſt: at certe ad Cunaeum ſupplendum & continuandum duo parva volumina edidit, Amſtel. anno 1713. inſcripta in hunc modum: *Remarques critiques ſur la Rep. des Hebreux*..... quae cum apud nos rara ſint, ab amico commodata habeo. Ea cum temere & incondite evolverem, incidi in hunc locum to. I. cap. VII. pag. 44. quo Sanctus patriarcha Joſeph a viro videlicet religioſo indigniſſime vapulat. Verba ipſa critici (quae me ad hanc Differt. Baſnagio opponendam impulerunt) huc comportanda putavi, nequid temere a me factum lectores putent: „ Moyſe.... dit que Joſeph ne mangeat „ point de la viande & du pain avec ſes freres, „ parce que les Egyptiens ne pouvoient manger „ du pain avec les Hebreux, *Qui leur etoient* „ *en abomination*, Voilà une difference de reli„ gion fort ancienne, puiſqu' elle avoit com„ mencé avant l' entrée des Iſraelites en Egypte: „ cette difference etoit terrible, puiſqu' elle „ rendoit les uns abominables aux autres; & on „ la pouſſoit fort loin, puiſqu' elle avoit lieu „ juſques dans les repas civils. Cet endroit de „ l' Ecriture n' eſt pas fort honorable au Patriar„ che Joſeph; car on voit qu' il s' etoit accou„ tumé aux ſuperſtitions des Egyptiens: l' arrivée „ de ſes freres devoit l' engager a ſortir d' une „ diſſimulation criminelle, & a reprendre la „ Religion de ſes peres: mais la choſe etoit ſi „ importante pour ſa fortune, qu' il fut con„ traint, d' attendre un temps plus heureux. Il „ paroit qu' on tuoit des animaux pour les „ etrangers, mais ſelon toutes les apparences „ on ne le faiſoit pas pour les Egyptiens, ou „ bien on le faiſoit avec certaines precautions „ ſuperſtitieuſes, qu' on ne faiſoit pas obſerver „ aux Juifs: ainſi ils ne pouvoient manger en„ ſemble. „ Quam parum iſtis a Baſnagio relatis cum Moſaico hoc loco conveniat, lector aeſtimaverit. Sed bono viro impoſuit, quod *Hebraeos* non alios poſſe intelligi credidit, quam Abrahae per Iſaacum & Iſraëlem poſteritatem; cum tamen ea vox (ut in hac Differt. oſtendo), quam latiſſime pateat.

Digitized by Google

triarchae ἀφιλοδοξίας calumniae redundabit. Nam tres convivarum ſecretiones hîc, Moſe auctore, agnoſcimus. *Seorſum Joſeph*, inquit, *& ſeorſum fratribus, Aegyptiis quoque ſeorſum*. Quid clarius ? Jam vero quod Patriarchae ſeorſum a fratribus & Aegyptiis apparatum fuit, id ejus dignitati eſt aſſignandum ; quae cauſa fuit, cur cum neutris menſam communem habere illum decuerit. At vero quod Aegyptiis ſeorſum ab Joſephi fratribus apponeretur, id inde fluebat, quod Aegyptii menſae communionem cum Hebraeis defugiebant. Hoc vero illud eſt, cujus Moſes rationem affert, ajens : *Illicitum eſt enim Aegyptiis comedere cum HEBRAEIS* (quibuſnam Hebraeis? mox videro) *& profanum putant hujuſmodi convivium*. Imo ex eo ipſo quod Joſepho diverſa ab Aegyptiis menſa appoſita fuit, perſpicitur, eum ab Aegyptia ſuperſtitione (ſiqua modo ibi ſuperſtitio fuiſſe creditur) abhorruiſſe, ſanctumque virum Hebraeis ſe potius, quam Aegyptiis adjunxiſſe : etſi ne cum Hebraeis quidem (quorum ἀδελφότης, *germanitas*, nondum vulgo innotuerat) menſam communem habere debuit, vetante hoc dignitate ſua. Et haec quidem adverſus prius criminatoris caput ſufficiant. Cetera, perſpectâ Hebraeorum notione, ultro dilabentur.

S E C T. II.

Difficultas altera ſolvitur de HEBRAEORVM intempeſtiva appellatione, qua ne ipſi quidem Iſraëlitae eo tempore utebantur, tantum abeſt, ut eadem Aegyptiis potuerit innoteſcere.

Alter nunc ſeſe mihi offert relaxandus nodus, de quo nemo, quod ſciam ſe ſollicitum praebuit. Nam in eo quod Moſes ait, illicitum eſſe Aegyptiis comedere cum Hebraeis, ad morem non quidem recentem, ſed antiquum (quo ſcil. Aegyptiis illicita eſſet cum *Hebraeis* menſae communio) digitum intendit. At cuinam ad id tempus *Hebraeorum* nomen innotuerat, ſive in Aegypto, ſive in vicino Aegypti ? Hebraei non alii fuere, quam qui ab Abrahamo per Iſaacum, perque Jacobum (2) deſcenderent. Is tum numerus admodum puſillus erat, necdum non modo in populum, ſed ne in familiam quidem ſatis amplam coaluerat. Ea vero familia quandonam ſub *Hebraeorum* nomine cognita Aegypto fuit ? Joſephi fratres, antequam illum pro ſuo fratre agnoviſſent, de ſuo genere interrogati, numquam *Hebraeos* ſe eſſe dixerunt, ſed exquiſita circuitione ſuam proſapiam declararunt. Quae cum ita ſint, quid illa ſibi αἰτιολογία hujuſce loci vult ? *Illicitum eſt ENIM Aegyptiis comedere cum HEBRAEIS*. Quibuſnam Hebraeis ? Quandonam enim Jacobi familia ſe ex *Hebraeo* nomine praebuerat noſcendam Aegyptiis ? Imo quid unquam Iſraëlis filiis commune cum univerſa Aegyptiorum gente toto praeterito tempore fuerat, ut ei interdicto [*illicitum* &c.] anſam praebuerit ? His jam expoſitis, praeſtat nunc de interpretatione cogitare.

§. 1. *Prior nodi ſolutio*.

Ac duas equidem nodi ſolutiones reperio. Prior illa eſto. Particula כי *chi*, quae plerumque αἰτιολογικὴ *cauſalis* eſt, & hîc quoque tamquam cauſalis a Vulgato, a Senioribus, ceteriſq. redditur, non raro tantumdem eſt quod *Idcirco*, ut Gen. XXII. 17. Jer. IV. 18. &c. Nec aliter hîc accipiendum id μόριον cenſeo. Hebraea ergo loci hujus ita vertes : *Seorſum* (ait Moſes) *Hebraeis ab Aegyptiis* fuiſſe apparatum ; additque : *Et ob eam cauſam* (id enim hîc valet τὸ כי *chi* i. e. *idcirco*) *id uſque ad hanc aetatem* (qua ſcribebat Moſes) *manſit, ut ſeorſum Aegyptii ab Hebraeis comedant*. Alibi non ſemel Moſes notare ſatagit conſuetudines (3) quae ex aliquo facto manaverint, Imo in hoc Joſephi conſilio, qui primus

(2) Nam ſcitum eſt, Abrahae per Iſmaëlem nepotes non Hebraeos dictos fuiſſe, ſed *Iſmaëlitas* ; ut per Madjan, *Madjanitas* ; & ſic, credo, de ceteris Ceturae filiis, quorum poſteritates Hebraeorum appellatione non cenſebantur. Sic etiam Abrahae per Eſavum Iſaaci filium poſteri non Hebraei, ſed Edomaei fuere. Relinquitur ergo ut Hebraeorum nomine non alii, quam Iſraëlitae veniant : quos quidem, utpote non diu antea natos, nec ullâ re vulgo celebratos, ignotos prorſus tunc temporis in aula Pharaonis totique Aegyto fuiſſe neceſſe eſt.

(3) Exemplo ſit illud quod Gen. XXXII. ubi v. 25. de iſchiadica Jacobi paſſione Moſes meminiſſet, eo quod *Angelus tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit*; ad ultimum v. 32. ita notatur: *Quam ob cauſam non comedunt nervum filii Iſrael, qui emarcuit in femore Jacob, uſque in praeſentem diem ; eo quod tetigerit* (Angelus) *nervum femoris ejus, & obſtupuerit*. Haud ſecus hic notavit Moſes, ex facto Joſephi, fratribus ſeorſum ab Aegypytiis apparantis, morem fluxiſſe poſtea apud Aegyptios, ut illicitum ſibi ducerent cum Hebraeis comedere. Atqui ea vis non inerit huic loco, ſi illud כי *chi* verteris *Enim* aut *Quia* : ſed omnino reddendum, *Idcirco* : nam αἰτιολογικὸν illud

primus ſeorſum utriſq. appoſuit, ſummam ejuſdem providentiam valde miror; qui id ſpectabat, ne quam rem Hebraei cum Aegyptiis communem in tempus futurum haberent: non tectum, non urbem (vide infra ubi de terra Geſſen, in qua Joſepho auctore ſeorſum habitarunt Hebraei) ac ne menſam quidem. Atque equidem ſuſpicor, eo temporis articulo ſecretioni illi hanc Joſephum praetexuiſſe apud Aegyptios cauſam, nimirum advenas illos paſtoritiam exercere artem (non enim omnia dicta aut facta Moſes exſequitur) quod, ſiquid aliud, ſatis fuit, ut nefas ſibi eſſe duxerint Aegyptii cum advenis illis paſtoribus veſci, eaque ſegregatio jam tum, opinor, orta, uſque ad Moſis aevum manſiſſe videtur. Moſes certe, qui in eo totus eſt ut inſtitutorum ſui temporis origines ſuis popularibus pandat, id curae habuit, ut antiquitatem moris ejus exponeret, quo ſua aetate Hebraeos Aegyptii menſae communione arcerent. Id ab Joſephi uſque aetate repetit, ut & alia quaedam inſtituta: quale eſt illud de quinta proventuum parte regi Aegypti pendenda, quod ad Joſephum auctorem refert. Sed eo redeo. Maneat igitur particulam כי *chi* hoc loco non vertendam eſſe *Enim* aut *Quia*, ſed *Idcirco*, *propterea*; nec cauſam ejus quod dixerat exponere, ſed potius effectum ex eo, quod dixerat, conſecutum.

§. *II. Solutio altera patens latius.*

Quamquam non parva me tenet ſuperioris ſolutionis fiducia; proderit tamen & alteram adnectere forſitan plauſibiliorem, & ad ſimilia loca Biblica profuturam. Ea ſic habet. Vox עברי *Ibri* (*Hebraeus*) ſi ut patronymica accipiatur, Heberi nepotes omnes continebit: ſi ut ἐθνικὸν, & ab עבר *eber* h. e. *Trans* derivata, tum omnes *tranſamnicos*, peculiariter autem (uti in Scripturis aſſolet) *Hebraeorum* gentem notat, quia generis eorum ſtipes Abraham Tranſeuphratenſis ortu fuit. Ac mihi videtur *Hebraeus* hac ultima notione (vox in Scripturis tritiſſima) in Aegypto, inque regia Pharaonis ignota fuiſſe; nec mirum quia recentis uſus. Hanc enim vocem ſi Pharaonis aula tenuiſſet, noſſet quoque Joſephi familiam, nec Joſephi fratres eumdem Joſephum (nondum a ſe agnitum) alloquentes, opus habuiſſent uti longa circuitione, qua genus ſuum ei declararent, deque familia ſua eumdem docerent. Quae cum ita ſint; aliam tradi vocis *Hebraeus* notionem neceſſe eſt, quae non huic tantum loco conveniat, ſed aliis etiam quibuſdam in hac hiſtoria, in quibus ſcil. Hebraicum nomen apud Aegyptios aut ab Aegyptiis uſurpatur. Ea vero cum luce ſua ſtatim incurrere in oculos debuiſſet; miror nemini, quod adhuc ſciam, in mentem veniſſe.

Jampridem a viris doctis demonſtratum fuit τὸ עברי *Hebri* (nobis *Hebraeus*). non eſſe πατρωνυμικὸν ab Heber uno ex Abrahae majoribus, ſed derivativum nomen a praepoſitione עבר *Heber*, *trans*; itaut LXX Gen. XIV. 13. περάτην i. e. *tranſitorem* (fluminis alicujus ſcil.) *Abram* cognominatint ſive transfluvialem, utpote natum trans Euphratem. Ergo quemadmodum *Vltramontani* vox in Italia Tranſalpinos ſignificat, in Aſia vero eos qui trans Taurum habitant; ſic γενικὸν iſtud *Hebraei* vocabulum varias reſpectu regionum, ubi id uſurpatur, aut amnium qui tranſmittuntur, ſignificationes (4) induit. Ita fit, cum loco ſupra dicto Gen. XIV. 13. Abram appellatur (עברי) *Hebraeus*, notari eo vocabulo *Tranſeuphratenſem*; quia nec aliud flumen ἀξιόλογον prope Chanaanitidem erat, quod κατ' ἐξοχὴν *Fluvius* diceretur, nec alium certe amnem trajecit Abraham. Sed in Aegypto (& in hac ipſa hiſtoria Gen. XLI. 3. 17. & in toto Exodi libro) *flumen* per excellentiam Nilum deſignabat. Hinc Hebraei appellatio (quae univerſe *Tranſamnicum* ſignificat) in Aegypto *Tranſnilanum* ſignabat, eoque ambitu vocabuli & Arabes, & Palaeſtini, & Syri, & quicunque demum exteri [quibus certe, ut regnum Taneos ingrederentur, Peluſiacus primo Nili canalis, tum & Taniticus tranſmittendus erat] continebantur. Ac nunc demum intelligimus, quid ſibi velit *Hebraei* vox aliquoties in hac Joſephi hiſtoria recurrens. Vti cum Joſeph Gen. XXXIX. 14. 17. *vir Hebraeus* & *ſervus Hebraeus* ab hera ſua appellatur; aut ubi idem Gen. XLI. 12. *puer Hebraeus* a pincerna dicitur; aut ubi Chanaanitis Gen. XL. 15. *terra Hebraeorum* ab ipſo Joſepho nuncupatur: vide his locis dicta. Non enim eſt veriſimile, terram illam, ubi peregrinabatur Jacobi familia, & ubi nihil praeter agellum *centum Keſitbis* emptum poſſi-

illud *Quia* ſpectat praeteritum tempus, & τοῦ νομίμου initia refert: at τὸ *Idcirco* ordiens ab illo tempore, quo Joſeph fratrum ſuorum menſam ab apparatione Aegyptiorum ſejunxit, cum futura omni obſervatione continuatur.

(4) Faciunt huc duo loca, unus 1. Sam. XIII. 7. alter XIV. 21. quibus locis Iſraëlitae Transjordanici עברים *Hibrim* (*Hebraei*) vocantur, ad diſcrimen ſcil. *Iſraëlitarum* cis-Jordanicorum, uti conſtat ex collatis locis 1. Sam. XIII. 6. & XIV. 22.

poſſidebat, potuiſſe ab Joſepho *terram Hebraeorum* appellari. Niſi forte cum iis ineptire malis, qui prophetice ſic vocatam a Patriarcha ſomniarunt, praeſcio ſcil. terram illam Divina deſtinatione Iſraëlitis adjudicatam, & iis aliquando dandam. Sed, ut praeſcierit Joſeph [quis enim viro ſanctiſſimo praeſenſionem rerum plurimarum denegaverit?] at nec erat nunc jactationi locus, nec quid *terram Hebraeorum* vocaſſet, intelligi a pincerna poterat. Nec omnino aliud certe reſtat, niſi ut *terram Hebraeorum*, regionem Tranſnilanorum nuncupaverit. Poſtremo cum a Geneſ. XIV. diſceſſeris, ubi Abraham *Hebraeus* i. e. Tranſeuphratenſis dicitur (cui adde & Ex. XXI. 2. ubi non eſt Tranſnilano locus, cum jam ex Aegypto exiiſſent) exceptis duobus his, in ceteris omnibus Geneſeos & Exodi locis, quibus id vocabulum in Aegypto uſurpatur, vox *Hebraeus* Tranſnilanum proprie deſignat; nec ideo tamen minus de Abrahamidis plerumque intelligitur: nam Iſraëlitae (qui ἀνέκαθεν Tranſeuphratenſes erant) iidem in Aegypto *Tranſnilani* dicebantur.

Sunt tamen eximia loca duo, in quibus *Hebraei* h. e. Tranſamnici vocabulum γενικώτερον eſt, nec ad Iſraëlitas reſtringitur, ſed ſuo ambitu quoſcumque Tranſnilanos complectitur. Vnus eſt Gen. XL. 15. *Furtim ſublatus ſum de terra Hebraeorum*: de quo loco ſatis jam ſuperque ſuo loco monuimus. Alter hic eſt, quem prae manibus habemus. Etenim cum hic Moſes notat, illicitum habere Aegyptios comedere cum Hebraeis, horum nomine non Iſraëlitas eſſe intelligendos [quos Aegyptii ne de nomine quidem norant] res ipſa loquitur. Nec aliud profecto relinquitur, niſi ut Hebraeorum nomine hoc loco quoslibet Tranſnilanos, i. e. exteros univerſos intelligamus; quibuſcum omnibus interdictam ſibi putarint Aegyptii menſae communionem. Ac pertinet vero hoc totum ad notam Aegyptiorum ἀκοινωνησίαν (*communionis fugam*) quae jam tum ipſis Joſephi temporibus, h. e. ſub πολιτείας ipſorum initia ſeſe prodens, magis poſtea ac magis increvit, ita ut praecipuus character rei publicae privataeque illorum fuiſſe videatur. Hujuſmodi ἀκοινωνησίας ſpecimina plura ex (5) Herodoto, ex Plutarcho, aliiſque diſcere poſſumus.

Quae hactenus dixi ut oſtenderem, τὸ עברי *Ibri* (hoc eſt *Hebraeorum* nomen) univerſe *Tranſamnicos* vi ſua notare; ex ſitu vero dignoſci utrum Tranſeuphratenſis, an Tranſnilanus, aut Tranſjordanicus aut aliud ſit capiendum: per haec, inquam, tum Baſnagianis in Sanctum Joſeph conviciis (quae extant Adnot. 1.) os obſtruitur, tum pluribus locis Biblicis lux mira adſpergetur.

DISSER-

(5) Herodoto II. 41. teſte, Aegyptiorum τὸ ἀκοινώνητον cum Graecis (*Graecorum* autem nomine cunctos non Aegyptios, i. e. עברים *Ibrim* ſeu Tranſnilanos omnes intellige; quia quos aevo Moſaico Tranſnilanos in Aegypto vocabant, hos Herodoti aetate Graecos nuncupabant) ergo Aegyptiorum averſi a Graecis animi eo uſque procedebant, *ut cultro, vel verubus, vel olla Graeci cujuslibet uti, aut puri bovis carnem Graeco cultro diſſecti guſtare* Aegyptiis non liceret. Eodem ſpectat, quod uſque ad Pſammetichi tempora, eodem Herodoto teſte, Aegyptii quodlibet cum Graecis commercium defugere cogebantur, & quod id ἀκοινώνητον unum ex praecipuis gentis inſtitutis extiterit. Apud eumdem Muſa II. 91. ſic exſtat: Ἑλληνικοῖσι δὲ νομαίοισι φεύγουσι χρᾶσθαι· τὸ δὲ σύμπαν εἰπεῖν, μηδ᾽ ἄλλων μηδαμὰ μηδαμῶν ἀνθρώπων νομαίοισι. *Graecis* (Aegyptii) *inſtitutis uti recuſant. Et, ut ſemel dicam, nullorum hominum aliorum inſtitutis uti volunt*. Ex his vero conſtat, quos *Hebraeos* hic Moſes ait, menſae ab Aegyptiis non adhibitos, eos fuiſſe Tranſnilanos omnes, quos Herodotus *Graecos* vocavit. Nam *Graecorum* nomine non tantum illi *tranſamnici*, ſed & (poſtquam maris peritia paſſim imbutus eſt orbis) *tranſmarini* praecipue tunc veniebant.

Nec porro alio retulerim illud (apud Plutarchum in VIII. συμποσ. quaeſt. 8.) Aegyptiorum (τὸ πρὸς θάλατταν ἔχθος, ὡς ἀσύμφυλον ἡμῖν καὶ ἀλλότριον) *Maris odium ut alieni a nobis*, & quod (μηδὲ τοὺς κυβερνήτας ἀξιοῦσι προσαγορεύειν ἀπαντῶντες, ὅτι τὸν βίον ἀπὸ θαλάττης ἔχουσι) *ne gubernatores quidem navium dignantur alloquio iis obviam facti, quod victum hi ex mari quaerant*. Ac de his ſatis ac ſuper.

DISSERTATIO VIII.

DE JACOBEIS DVOBVS DE MESSIA VATICINIIS

AD GEN. XLIX. 10. 11.

Promiſſa pag. 168.

SEnex beatiſs. Jacob ad Deum hinc jam profecturus, cum turgens Divino ſpiritu, ultima filios benedictione donaret, dividens carmina ſingulis; neminem ex omnibus prae Juda fatidicis pluribus effatis, iiſque gravibus omnibus ac ponderoſis, ornatiorem reliquit, quae Gen. XLIX. a ver. 8. ad 12. expreſſa exſtant, vaticinationibus quinque diſtincta: ex quibus priores duas (ver. 8. & 9.) in Spicilegio explanavimus, ſicuti & quintam ibidem ad ver. 12. breviter expedivimus. At quae hoc ver. 10. continetur, quaeque proximo undecimo commate ſequitur, eae ſunt multo ceteris diviniores prophetiae duae: quarum priore quidem Sancto Iſraëli adventus Chriſti, mortalium reparatoris, de Judae filii ſui proſapia naſcituri, alterâ vero ejuſdem Servatoris voluntaria Paſſio ad conſummandam humani generis reparationem, praenuntiatur. Atque hinc ordo ſuadet, ut haec Diſſertatio tribuatur in partes duas: quarum prior in vaticinio verſus decimi de adventu Meſſiae, altera in prophetia de ejuſdem Paſſione verſabitur.

DISSERTATIONIS VIII. PARS I.

QVA VATICINATIO PRIOR

DE *ADVENTV MESSIAE* EXPONITVR.

ISraëlis de adventu Servatoris oraculum, quamvis in fonte paullo verbis horridius, habitum tamen fuit ſemper illuſtrius quam pro ſolita vaticiniorum obſcuritate, ita ut non laborioſo expoſitore indigeret. Nam qui ita canit: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit exſpectatio gentium*: qui ita, inquam vaticinatur, quid aliud palam eloquitur, quam certo articulo temporis Meſſiam adfuturum, quo in Juda ceſſaverit αὐτοκρατορία? Tamen in hoc negotio me non tam Judaeorum miſeret (qui cavillationibus plurimis vim hujus oraculi eludere ſemper conati, nunc quoque anxii exſpectant, quem orbis univerſus jam diu adorat) quam ſubiraſcor Sam. Baſnagio, ac ſiqui alii fuerint, qui cum Baſnagio judaizare in deliciis habeant, quique ſacra Chriſtiana profeſſi, tamen ex rerum novarum ſtudio tantam oraculi evidentiam e manibus Chriſtianorum eripere, patrocinari vero cauſae Judaicae non vereantur. Verum non hic querimoniis locus eſt, ubi ſimplici tantum oraculi expoſitione eſt opus. Vis autem vaticinii in eo tota inſidet, ut, cum milleſimum hunc & ſeptingenteſimum (cum eo quod excurrit) annum jam ſceptrum, & τὸ αὐτεξούσιον in Judaica gente deſierit, fruſtra ſit, ut adhuc Meſſiam Judaei praeſtolentur; imo, ſi ſapiunt, jam tum eum veniſſe intelligant, ubi primum illa, quae dixi, deſiere.

Ac fuit aliquando cum mihi in conventu Theologorum ante hos circiter XX annos ſermone Italico de hoc vaticinio diſſerendum fuit. Ex ea diſputatione decerpam nunc praecipua capita, quibus tum Baſnagiana quae dixi, refellantur, tum Patriarchae vaticinationi infundatur, uti ſpero, aliquid novae lucis.

SE-

Google

S E C T I O I.

Omnem retro antiquitatem, ante & poſt Chriſtum, vi Jacobei oraculi convictam, finem ſceptri Judaici cum Chriſti in terris praeſentia connexuiſſe.

Quod Jacobi vocem illam propheticam, quam modo ex Gen. XLIX. 10. recitavi, tota Hebraica vetuſtas pro nota adventûs Meſſiae acceperit, ex LXX Senum (trecentis prope annis Meſſia ipſo antiquiorum) interpretatione noſcitur, itemque ex Chaldaeis paraphraſtis Onkeloſo, Jonatha, ac Targum Hieroſolymitano: ad haec ex Talmude Babylonico (cujus auctoritatem Judaei Divinis libris exaequant) poſtremo ex omnibus Judaeis doctoribus maxime antiquioribus, etſi iidem alii alia excogitarunt effugia, per quae oraculi vim eluderent: cujuſmodi illud eſt quod recentiores Judaei non pauci neſcio quod regnum Judaicum florentiſſimum, alii in remotiſſimis Aſiae partibus inacceſſis, alii alibi commenti fuerunt: ex quo oſtenditur, ipſos non alia de cauſa fabellas haſce fuiſſe commentos, quam ut ſceptri finem devitarent; neve cogerentur cum ceſſatione principatus Judaici ſimul Meſſiae adventum fateri. Jam fruſtra ſim, ſi de Scriptoribus Chriſtianis eloquar, ab uſque temporibus Chriſto propioribus ordiens, ad noſtra haec uſque tempora; a quibus omnib. agnitum oraculi complementum. Illud validius eſt, quod Chriſti tempore non tantum Judaei, ut ex Evangelio (1) & aliis N. T. locis cognoſcitur, verum quod & ex profana hiſtoria orbis univerſus Chriſti tempore ad novi Regis (2) exſpectationem ſeſe excitum & erectum praeſeferebat.

Ac tamen cum nec toti Orienti, nec omnibus ante & poſt Chriſtum Judaeis dubium fuerit, quin Jacobi vaticinatio momenta ipſa (prope dixerim) advenientis Meſſiae deſignaverit; unus poſt hominum memoriam novus inſtaurator Annalium inventus eſt Sam. Baſnagius, qui Hebraeorum gentem unaque Chriſtianorum Eccleſias dedoceret, moneretque nihil oraculum illud ad notandum temporis articulum deſcendentis de caelo Divini Verbi valere: de cujus χρονογράφου hallucinatione mox in loco videbimus. Nam ante praeſtat hîc veteres aliquot ſolutiones oraculi expendere.

S E C T I O II.

Difficultates adverſus oraculi complementum referuntur. Veteres aliquot difficultatum ſolutiones.

Fatendum eſt tamen hoc nobiliſſimum vaticinium iis patere difficultatibus, quae videri plane inextricabiles poſſint. Nam a tempore uſque Babylonicae captivitatis, in rege Sedecia (qui abductus cum populo fuit) ceſſavit in tribu Juda regnum anno ante Chriſtum DLXXXIV. nec unquam poſt reditum e ſervitute regnum ab ea tribu recuperatum fuit. Nam aechmalotarchis, quibus populus in captivitate paruit, τὸ αὐτεξούσιον, ac ſumma auctoritas defuit. Poſt reditum autem jus ſummum penes tribum Levi fuit, idque uſque ad Herodem: poſt quem Romani Judaeam in provinciae formam redegerunt. Mitto memorare ſecuta mox tempora Judaicae tribui, imo & nomini gentis univerſo, exitialia. Quo ergo magnifica vatis Jacobi promiſſa abierunt, de non defuturo in Judae tribu ſceptro, donec *Unctus Domini* ſeſe videndum proderet?

Omitto tres nodi ſolutiones, quae etſi nobiles patronos aliquando oſtentarunt, nunc tamen prope deſertae jacent: quas tamen, ne prorſus

---

(1) Cujuſmodi illa Samaritanae vox fuit: *Scio quia Meſſias venit*. Non *venturus eſt*, dixit, ſed *Venit* praeſenti tempore, quod tamen in ore Helleniſtarum aequivalet *paullo poſt futuro*, uti vocant grammatici. Adde illud legatorum Synedrii ad Chriſtum: *Tu es qui venturus es* (in Graeco ὁ ἐρχόμενος, *qui venis*, ſed intellectu non alio quam paullo poſt futuri) *an alium exſpectamus?* Alia ſexcenta his paria mittimus.

(2) Ex Suet. in Veſpaſ. & ex Tacito in V. Hiſt. hoc conſtat, dum diſerte ſignificant, pertinaces Judaeorum rebelliones adverſus Veſpaſianum ex quodam oraculo ortas, quo praedicebatur, poſt extinctum in Judaea regnum, proditurum ex Juda regem, qui orbis univerſi ſibi dominationem adquireret. Tacitus in Hiſtor. V. cap. 13. *Perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur*. Sueton. in Veſpaſiano cap. 4. *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur*. Haud dubie Oraculum Jacobeum ſignificatur, quod oraculum *Judaei* (uti ſubjicit Tranquillus) *ad ſe trahentes, rebellarunt*; quia nempe de temporali regno acceperunt, quod de ſpirituali Chriſti imperio capiendum fuerat. Ad hoc idem vaticinium Joſephus (in Ἀλωσ. III. 28. VIII. 31.) digitum intendit, ubi Judaeorum in eo bello pertinaciae originem aperit. Verum haec & ſimilia eccui non animadverſa & notata?

prorſus tacitas lectori deperire ſinam , leviter ſignificabimus , ſimulque , ſicubi videbitur , rejiciemus .

1. Prima nodi ſolutio magnos auctores , & in his Huetiem , nacta eſt : qui jus ad regnum ab uſu diſtinguentes, tantum regni κτῆσιν (*poſſeſſionem*) in Sedecia & poſteris ceſſaſſe ait , non vero jus , quod aeternum eſt . Atqui haec ſolutio hîc locum non habet , quia prophetia haec continere criterium debuit adventûs Meſſiae : at jura ex JCtis ἀσώματα ſunt & ἀόρατα , quae ſub ſenſus non cadunt ; nec animadvertere quiſquam potuiſſet, ecquando in Juda hoc jus deſiiſſet , ut inde Meſſiae praeſentiam inferret . Quid quod eadem iſta oraculi intelligentia vitioſam , quam dialectici vocant , circuitionem , ultro citroque in ſe redeuntem, ni fallor, imbiberet? Nam quia jura ad ſceptrum non niſi Chriſto jam praeſente , extingui neceſſe eſſet ; juris ad regnum ceſſatio ex adventu Meſſiae inferri deberet : at vice verſa , Chriſti praeſentia non niſi ex jure ad regnum in tribu Juda extincto dignoſei ex vi oraculi ſecundum hanc ſententiam poſſet . Vides profecto in quos Maeandros , quos irremeabiles labyrinthos Vates Deo plenus, pro eo ac juvaret , conjeciſſet . Haec de prima ſolutione .

2. Alii hoc difficultati effugium ſe quaeſiviſſe putarunt , ſi crederent poſt captivitatem ſolutam , principes Aſſamonaeos , qui rerum potiti fuerunt , etſi paterno genere ex Levitica tribu profecti , materno tamen fuiſſe cum tribu Judae conjunctos . Verum quis non videt , ſicuti nulli patuit ad ſacerdotium aditus, ſi maternum tantum genus Leviticum oſtentaret (teſte Apoſtolo ad Hebr. VII. 13. 14.) ita nec ulli Levitae , qui maternum dumtaxat genus ad Judam referret , Judae regnum arripere licuiſſe ?

3. Solutio tertia Turneminii eſt, quae cum vera, mihi ſaltem, non videatur, tamen recti ſpecie diu decepit . Is ita diſtinguit verba Moſaica : *Non auferetur ſceptrum de Juda & Dux* . Hîc reſiſti jubet , ac deinde reliqua uno ſpiritu pronuntiari in hunc modum : *De ſemore ejus donec veniat* (pro *Donec veniat de ſemore ejus*) *qui mittendus eſt* . Verum Hebraica ſimplicitas quidvis potius quam duras illas trajectiones patitur . Deinde curſus poëticae (3) ἐπεξηγήσεως abrumpitur , qua ſicuti *Sceptro Dux* reſpondet , ita *Judae* τὸ *femur ejus* reſpondere debuit . Poſtremo *Veniat de femore ejus* improprium eſt ; nec יבא *jabo* i. e. *veniat* , ſed יצא *jetſe* (*prodeat*) Moſes (ſolitus ἰδιολέκτοις ſtudere) uſurpaſſet .

4. Solutio quarta Baſnagii eſt , quae quia paucis refutari non poteſt , Sect. ſeq. exponitur atque rejicitur .

SECTIO III. SOLVTIO IV.

Baſnagiana refellitur , & plurium (quamvis auctore nec opinante) litterariarum novarum , itemque praevaricationis arguitur .

Samuel Baſnagius Flottemanvillaeus to. I. Annalium Politico-eccleſiaſt. ad annum quadrageſimum ante Chriſtum a num.XVIII. ac deinceps non levi conatu Oraculi Jacobei expoſitionem aggreſſus , principio nomine τοῦ שבט *ſebet* (quod in Vulgata quidem *Sceptrum* redditur : at latius in LXX vertitur ὁ ἄρχων , & in Italica verſione *Princeps* , quo quaelibet auctoritas ſuprema notatur) non niſi regale ſceptrum deſignari contendit, excluſo ſcil. etiam ariſtocratico , aut democratico imperio : non recte meo judicio , quia contra Graecas omnes Latinaſque Eccleſias , Seniorum verſionem ſecutas , ipſe res novas molitur . Cui bono id quaeſo ? niſi ut excludat αἰχμαλωτάρχας , ſimileſque populi rectores , & ut in artum redigat ſummam illam poteſtatem , quam ipſe nimis rigide ſolam ab Oraculo ſignificatam contendit ? Haec tamen levia ; ſicuti & quae ſequentibus ſectionibus affert .

Verum arx ipſa Baſnagianae interpretationis exſtat num. XXIV. ubi ita loquitur : *Sic igitur vertenda ſunt verba morientis Prophetae* . „ Sceptrum legislatorve de Judae ſan-
„ guine cretus ab eo non recedet IN PER-
„ PETVVM , QVIA veniet Silo . „ *Quae*, inquit, *interpretatio & ad vim verborum* , *& ad ſcopum Spiritus S. optime quadrat* . *Quippe* עד [ad] *non ſolum ſignificat* Donec , Vſque : *uſurpatur etiam pro* Perpetuo : *quomodo apud Moſem* Dom. regnabit in ſaeculum , ועד [vead] & perpetuo . *Apud Eſaiam* עדי עד [adei ad] perpetuo . Habes hactenus firmamenta interpretationis Baſnagianae .

Ab ultimis ipſe ordior. Facile critico noſtro fuit ſive ex Hebr. Concordantiis Calaſianis , ſive ex LXXviralibus Trommii , ſive ex lexicis atque Theſauris duo illa exempla

(3) *Epexegeſis* perpetuus eſt (ut alibi Deo dante oſtendam) Hebraicorum maxime propheticorum carminum character , qua res eadem bis inculcatur , plerumque ἰσοδυναμούσαις φράσεσιν , interdum & oppoſitis verbis .

pla (quid ni ſexcenta alia poterat ?) promere, quibus oſtendat עד *ad* interdum eſſe *Perpetuo*, maxime ſi τὸ ל (IN) praeponatur, veluti לעד *lead*. At עד (*ad*) cum ſequenti nomine (cujus ſpeciei exempla ſunt ψαμμονύνια) eſt *Vſque*: ſequente vero particula כי *chi* (quod in his vicem nominis gerit) non niſi *Vſque quo*, ſive *Vſque dum* aut *Donec* ſignificabit. Vel det mihi Baſnagius exemplum unum, quo, quod ipſe ſibi jure ſuo ſumit, oſtendat, nim. quod *Ad chi* pro [*In aeternum* ; *quia*] ſemel ſaltem accipiatur; ſicuti ego contra duo ſaltem τῶ *Ad chi* pro *Vſque dum* exempla in imo (4) margine profero: quibus addatur, quod prae manibus eſt.

Ac nolo equidem verſiones hujus loci Graecas, Chaldaeas, & Orientis ceteras, aut Graecorum Latinorumque Patrum interpretationes ad fidem contenſionis Eccleſiarum faciendam congerere; ne, ubi id non opus, lectores obtundam.

Verum [quod noſtra nunc intereſt] jugulum ipſum cauſae petamus. Baſnagiana iſthaec interpretatio, praeter quam quod adverſatur rudimentis Hebraici ſermonis, eſt praeterea contraria tum veteri ante & poſt Chriſtum Synagogae, tum Chriſtianae omnis aevi Eccleſiae: nam utraque ſemper cum ſceptri in Juda ceſſatione connexuit Meſſiae adventum. Sed & novam Synagogam non aliter, quam veterem, intellexiſſe hunc locum, ex accentuum doctrina a Judaeis grammaticis conſtabilita ac ſancte ad nos uſque tranſmiſſa, oſtenditur. Quod quale ſit; ne lectori incommodem, in ora libri (5) demonſtratur. Quare licuit ſemperque licebit Chriſtianis convenire ſuper hoc atque urgere Judaeos: Heus fratres, quae mora? ne nunc quidem datis manus poſt tot ſaecula extincti regni Judaici? Nam quid aliud miſeri poſſunt quam non ſine ſuſpirio frigidam illam reſponſionem edere, nim. florere adhuc ſub Arctoo cardine regnum Judae neſcio quod florentiſſimum? Qui tamen dum ita ſtimulati reſpondent, agnoſcunt nim. regni Judaici deſinentis nexum cum Chriſti praeſentia, ac proinde dant Oraculi certitudini manus.

At ecce tibi Baſnagius [nim. Judaeorum cauſae miſertus] ſuppeditavit illis arma mirifica, quibus frangant Chriſtianorum impreſſiones. Nam ita inceſſentibus nobis: Poſtquam abhinc plus mille & ſeptingentis annis deperiit vobis Jacobeum illud Judae regnum, quid miſeri ultra ceſſatis, ne praeſentem Meſſiam proni adoretis? Reſpondebunt certe illi: Ita nos quidem olim Patres noſtri docuerant: at vero nuper Chriſtianus homo, de nobis (ſiquis alius) optime meritus, dedocuit; & ab errore nos vetere revocavit: Is enim nobis oſtendit; ſceptri in ſtirpe Juda extinctionem nihil commune habere cum adventu Meſſiae. Diſparata ſunt enimvero iſta, nec prorſus in Jacobeo vaticinio haec duo invicem devinciuntur. Ita nos nuper, inquiunt, Cl. Baſnagius conditor Annalium Chriſtianorum docuit. Egregiam vero laudem (abſit verbis invidia) ab hoſtibus Chriſtiani nominis, Baſnagi, refers.

Ac tamen quae hic plaudente cavea Baſnagius protulit; ea tanto ante R. Bechai (6) produxerat, faſſus ea ſe a R. Salomone didiciſſe. Atque ex hac quidem contorta (7) expoſitione

(4) Gen. XXVI. 13. *Eundo & creſcendo, uſque dum* (In Hebr. עד כי, *ad chi*) *crevit magnopere*. Gen. XLI. 49. *Et congregavit Joſeph frumentum . . . multum valde* (עד כי *ad chi*) *donec ceſſavit numerare*. Ergo tria haec Scripturae loca (nim. Gen. XXVI. 13. XLI. 49. tandemq. hic XLIX. 10. quo Baſnag. abutitur) ob id notabilia ſunt quod τὸ עד (*ad*) non ſeorſum ſignificat, ſed junctim cum כי *chi* (ut ex accentuum doctrina in ſeq. Adnot. declaratur) cum quo junctum valet tantumdem ac *Donec*, *Uſque dum*.

(5) Duo ſunt ex principib. grammaticis accentus diſtinguentes majores: maximus unus (*Silluk* dictus) quo ſententia tota clauditur: alter vocatur *Atnachba*, qui hic ante τὸ *Ad-chi* depictus, monet ſpiritum detineri debere. De his vide rurſus Adnot. 6 & 7.

(6) Videatur Helvicus, & ex Helvico Polus ad Gen. XLIX. 10. apud quos confutatur R. Bechai in eo, quod poſt R. Salomonem τὸ עד (*ad*) a כי *chi* diſcerpens (idque contra diſtinguentium accentuum canones) interpretetur, *Non auferetur ſceptrum . . . in aeternum, poſtquam venerit Silo*. Confer & Adnot. ſeq.

(7) *Contortam* hanc expoſitionem Rabbini ipſi fateri debent, utpote contrariam doctrinae accentuum, quae apud Judaeos ſanctiſſima eſt, quia a veteribus ſuis ſancita grammaticis. Nam in Geneſeos loco, qui ad manus eſt, ante עד (*ad*) proxime antecedit accentus *Atnachba* (is nim. qui alter eſt ex duobus majoribus diſtinguentibus) quocirca ante τὸ *Ad* ſiſtendus eſt anhelitus, uti mox unico ſpiritu pronuntietur *Ad-chi*, *Donec*. Faceſſat igitur illa monoſyllaborum duum Bechaiana, ac Baſnagiana disjunctio, nata peſſumdare ſacroſanctos Judaicos accentuum

ne laudem nullam olim R. Salomo, nullam Bechai retulerant, forſitan quod horum doctrina contraria non tam Senioribus [hos enim odio potius proſequuntur propter eloquia Dei polluta, utpote cum profanis communicata] non tam LXX ſenibus, inquam, adverſaretur, quam Targumiſtis, Talmudiſtis, veteribuſque Judaeis omnibus: apud quos connexio Sceptri deſinentis cum adventu Meſſiae rata fuit. At nunc novus annalium reformator ubi connexionem illam a fundamentis diruit, idque totum in ſuos ſaſtos Chriſtianos retulit; cur non ei grates ingentes Judaei publice miſſa legatione agant?

Hactenus de Baſnagii decantata apud ſuos interpretatione.

SECTIO IV. SOLVTIO V.

Quae prae omnibus receptiſſima, exponitur, eaque novis firmamentis ita roboratur, ut nova videri poſſit.

Ex omnibus olim vulgatis Oraculi expoſitionibus illa commodiſſima mihi viſa, ut ſub nomine *Juda* univerſum gentis Hebraicae corpus intelligatur. Atque ut rem altius repetam, ſciendum eſt, ante utramque deportationem (tum ſcil. priorem illam X. tribuum in Aſſyriam, tum etiam alteram tribus Juda cum Benjamin in Babyloniam) tribus omnes fuiſſe habitaculis, συςήματι ſive coetibus, nominibuſque inter ſeſe diſcretas, ſicuti & durante captivitate fuerunt. At vero poſt ſolutam Babylonicam ſervitutem (nam Aſſyriaca illa decem tribuum numquam παντελῶς (8) ſoluta fuit) aliquot ante Chriſtum ſaeculis jam tota tribus Juda [quae ſemper omnium populoſiſſima] cum parvula tribu Benjamin; adhaec vero & ex decem tribubus ſparſim plurima multitudo terras patrias repetierant; verum fere nullo diſcrimine tribuum, ſed ſedibus, opinor, promiſcuis, ita ut illae nomenclationes deſiverint, *Terra Zabulon*, *terra Simeon*, *terra Nephthali*, praeter principem Juda tribum, quae Hieroſolymis & in Judaea ſedes priſtinas nomenque retinuit. Imo tribus eadem in tantum a tribubus ceteris obſervabatur, ut gens tota in Judaeum nomen tandem conceſſerit. Nec enim facile ſive Rubenitae, ſive Ephraimitae, ſive Zabulonitae audiebantur [niſi ſiqua diſcriminis illius urgeret neceſſitas] ſed omnes in commune *Judaei* audiebant, quaſi ſi tribus Juda omnes veluti abſorbens complecteretur, maxime cum haec veluti regina tribus Hieroſolymitanam totius gentis metropolim poſſideret, & regum ſemper ſedes extiterit. Quorſum, inquis, haec tam multa de cohaeſione tribuum ceterarum cum tribu Juda inculcaſſe pertinet? Imo, inquam, & id pluribus adhuc ſuadere eſt animus; quia ſi ſemel intellexerimus, poſt captivitates, reliquias ceterarum tribuum intime prorſum cum tribu Juda coaluiſſe, mirari poſtea deſinemus, ſi in Aſſamonaeis principibus, quamvis ex Levi, regnaſſe tribus Juda intelligatur.

Atque haec ſolutio ceteris huc uſque vulgatis anteferenda, maxime ſi detur opera ut novis firmamentis fulciatur. Ergo ſciendum, reliquias tribuum ceterarum tam arcte cum tribu principe coaluiſſe, ut illi tribui per omnia concorporatae viderentur, ac veluti in eamdem cum Juda familiam arrogatae; ac ſicuti jure Romano ſive adoptio ſive arrogatio generationem per omnia imitabatur [quippe tranſeuntibus arrogatis in arrogantium patriam poteſtatem, in nomina, in tribum, in ſacra, in jura omnia, praecipue jus ad regnum] ſic ubi reliquiae tribuum ceterarum diverſis temporibus ab Juda in domum unam recollectae fuerunt; non ut hoſpites, nec ut amici, ſed quaſi ὁμόφυλοι (*tribules*) in poſterum habiti. Hinc igitur Aſſamonaei principes, qui ante Chriſtum longo tempore remp. adminiſtrarunt, non tamquam de tribu Levi, ſed ut veri Judaei cenſebantur, h. e. quaſi tribules φυλῆς illius principis, quae quamvis per Levi arrogatum a ſe cum ceteris, regnare ſemper ipſa putabatur.

Atque hanc concorporationem ſive arrogationem ne cui de meo commentus videar, afferam Jacobea oracula, quo pacto primis Eccleſiae ſaeculis ediſſerta ab Judaeis in ſuis Targumim fuerint. Tomo IV. Polyglot. Londin. Targum duplex in Geneſim exhibetur, unum Jonathanis ben Uziel, alterum id quod Hieroſolymitanum vocatur: quorum aetas incerta, ſed Jonathan altero antiquior, & Chriſto ſi minus aequalis, at certe ſuppar. Uterque illud Jacobei vaticinii ver. 8. *Juda te laudabunt*

centuum canones. Alioqui Noſter pro eo ut gratiam a Judaeis ineat (quorum hic gratiam aucupatur) auferet ab iis maledicta.

(8) Numquam, inquam, tota ſimul multitudo, quae abducta in Aſſyriam fuerat, reverſa fuit; etſi plurimos diverſis temporibus illarum X. tribuum globos aut clam aut permiſſu dominantium patrias terras repetiiſſe, ſatis conſtat: ut illos omittam, qui jam tum, cum abigebantur, ſive aſtu fefellerunt coactores, ſive obtinuerunt manendi veniam.

Digitized by Google

laudabunt fratres tui. Ita verbis ambo totidem παραφράζουσι. Jonathan in hunc modum: *Juda . . . te laudabunt fratres tui*, *& vocabuntur Judaei de nomine tuo*. Hieroſolymitanum vero diſertius ſic: *Juda*, *te laudabunt omnes fratres tui*, *& de nomine tuo vocabuntur omnes Judaei*.

Ac porro in utroque paraphraſte poſt nuda vaticinii verba ſubjicitur expoſitio illa (*Et de nomine tuo vocabuntur omnes Judaei*) quia nim. hoc ſibi voluerunt, τὸ *Laudabunt te fratres tui*, tantumdem eſſe quod *Vocabuntur de nomine tuo Judaei*, non quaſi fratres ſcil. ſed quaſi de tuamet tribu deque lumbis tuis deſcendentes. Ergo ſicut in ceteris tribubus poſt peculiare cujuſvis Iſraëlitae nomen adjiciebatur v. g. רובני *Rubeni* i. e. *Rubenita*; ita ante Meſſiae adventum poſt proprium cujuslibet nomen ſubjicietur יהודי *Jehudi* h. e. *Judaeus*, veluti tamquam proſapiae nomen, ac veluti ſi ex vi arrogationis non tantum ſacra & cetera jura adoptantis conſecutus, ſed & tribum ipſam, ſicuti in adoptatis & arrogatis fiebat.

Quid ſi vero in paraphraſte utroq. τὸ *Vocabuntur* non labiorum tenus intelligendum ſit, ſed rei veritatem ex Hebraica proprietate notet? ſicuti in Evangelio, *Quod naſcetur ex te*, *filius Dei vocabitur*, h. e. *erit*. Millies hic idiotiſmus Hebraeus occurrit. Ergo & hic quoque *Judaei vocabuntur* h. e. *erunt*. Nim. quia arrogati nomen arrogantis conſequebantur, idque non dicis cauſa, ſed ex vero, quia, ut pluries dixi, arrogatio & adoptio imitabantur naturam. Ex quibus omnibus nitide efficitur Divinum Vatem, in deſignanda regni ſucceſſione, ſub Judae nomine poſteritatem omnem Hebraicam (quae poſtea *Judaica* dicta fuit) fuiſſe complexum.

Nec pluribus opus eſt, ut tandem intelligamus, ultimis ante Chriſtum ſaeculis tribus omnes ad unam fuiſſe redactas, ad Judam ſcil. ad quam reliquiae ceterarum tribuum referebantur; idque intellexiſſe Iſraëlem morti vicinum, ita vaticinantem: *Juda laudabunt te fratres tui*: eamque in partem carmen iſtud fuiſſe interpretatos Jonathanem & Hieroſolymitanum, quorum recitavi loca: & quia horum paraphraſes in uſum ſynagogarum elaboratae fuerant (nam illis temporibus ex Hebraici ſermonis inſcitia Scripturae ſanctae in Chaldaeum, quo tunc Judaei utebantur, traductae fuerant: unde tot ortae paraphraſes) hinc expoſitionem illam communi ſynagogae Judaicae conſenſu fuiſſe poſt Chriſti adventum adoptatam percipimus. Quocirca quia Aſſamonaei principes non tam dicis cauſa, quam proprie ad Judae tribum pertinebant: hinc quamdiu hi regnarunt, non ablatum de Juda ſceptrum. Tum vero ablatum, cum dominatus ad Romanos tranſiit: de quo alii legantur.

Hactenus mihi videor hoc argumentum, viſum pleriſque antea male fidum, ita roboraſſe, vix ut vis ejus non perſentiſci ab omnibus poſſit. Sed & alterum non infirmius oraculi praeſidium ad manus habeo, idque non involutum, ſed longe expeditius, quod in Sect. ſequentem rejicio.

SECTIO V.

Nodi ſolutio ultima, qua Jacobeum oraculum de Juda Geographico, ſive de ſorte Juda jubetur intelligi.

§. 1. *Verborum prophetiae levis explanatio. De Moſis religione in antiquis oraculorum verbis ſine interpolatione retinendis.*

Vaticinium ita in Hebraeo concipitur: *Non recedet ſceptrum de Juda*, *& legislator de inter pedes ejus*, *donec veniat Siloh*, *&* (donec) *ei* (fuerit) *obedientia populorum*. Vaticinia patriarcharum poëtico ſtylo plerumque decurrunt: qui ſtylus in ἐπεξηγήσει (nec enim aptius vocabulum reperire licuit) praecipue poſitus eſt, qua res eadem per iteratas locutiones bis inculcatur. Atque haec vis poëſeos illius pluribus exponetur, ubi dedita opera de poëtice Biblica (Deo dante) agetur.

Illud מבין רגליו (*mibben raglau*, h. e. *de inter pedes ejus*) non dubium eſt, quin idem ſit ac *inter femina*, quia in Vulgata redditur, *De femore ejus* (*Femur* autem & *Femen* ſynonyma) ſed & in LXX eſt, ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, *ex femoribus ejus*. Ac totum hoc videtur eſſe genitalium organorum honeſta circumlocutio. Et ſane femora in iis Patriarchis, ex quorum proſapia Meſſias erat prodituruſ, ita ſancta habebantur, ut ſi quis iis Patribus quidquam jurejurando promiſſurus eſſet; is dum juraret, dexteram femori Patriarchae applicare cogeretur, ut oſtenditur ex Gen. XXIV. 2. 9. & XLVII. 29. Quo ritu venturum Siloh reverebantur in ipſo femore Patriarchae.

Sequitur *Donec veniat* שילה *Shiloh*. Vox ultima eſt unum ex Meſſiae vocabulis, quia tria Targumim (Onkeli ſcil. Jonathanis, & Hieroſ.) interpretantur *Rex Meſſias*. Etſi non conſtat de vocis origine. Ac videtur Hieronymus loco ultimae gutturalis litterae ה *He* legiſſe quam ſimillimam alteram gutturalem *Hheth*, quae aliquanto craſſiore ſpiritu effertur; idque ex eo intelligitur, quia vertit, *Qui mittendus eſt*; a שלח *shalahh*, *mittere*.

Quo etiam referri poteſt illud Joannis IX. 7. *Vade, lava in natatoria Siloë* (quod venit ex hujus loci שילוח *Siloah*) *quod interpretatur MISSVS*, in Graeco Joannis eſt Ἀπεσταλμένος. Ac plane ex loco Joannis liquido oſtenditur, non ſolum eam piſcinam iſtud Meſſiae nomen geſſiſſe, ſed etiam tam in hoc Oraculo quam etiam in dicto Joannis loco τὸ *Siloê* ex Hebr. שילה venire, & hoc cum *Cheth* non cum *He* fuiſſe neceſſario ſcriptum, ut poſſit notare *Miſſum*. Tamen nec Seniorum interpretatio parvi eſt facienda: apud quos olim legebatur, ᾧ ἀπόκειται (*cui repoſitum eſt*) at nunc ſcribitur, τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ. Sicuti etiam apud Latinos Eccleſiae ſcriptores non uno modo antea legebatur. Sed nunc illa eſt uſitatior lectio, quam in ſua Itala Sabbaterius adoptavit: *Non deficiet princeps ex Juda, & dux de femoribus ejus, donec veniant, quae repoſita ſunt ei* (τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ). Hoc quidem apud veteres Latinos receptius: etſi tamen mire apud alios variat. Itaque non eſt dubium, quin pro *Siloh* LXX legerint *Selló*, vocem ſcil. ex relativo ש *ſe* & ex pronomine לו (ſive לה) *Lo* compoſitam, h. e. *quae ei*, ſupple ἀπόκειται, ideſt *repoſita ſunt*.

Vltima oraculi verba ſunt: *Et ipſe erit exſpectatio gentium*. Pro Heb. יקהת *ikkehath* (pro quo LXX προσδοκία, *exſpectatio*) malunt alii *Aggregatio populorum*. Quod magis probo, tum quia magis Hebraeo conſonum, tum quia ſententiae aptius. Nam populi gentilium, de quibus hic ſermo, quo pacto *exſpectarent*, quem non dum norant, quippe nullo dum praedicante? uti monet Apoſtolus ad Rom. X. 14. At ſive *Aggregatio* ſive *Obedientia* (hoc alterum Onkelos in ſua paraphraſi mavult) praedicationem arguit praeviam.

Atque in hac tota periocha ſiqua varietas veterum tranſlationum eſt, ea ex archaiſmis oraculi proficiſcitur. Nam Moſis aevo ſermo Hebraicus nonnihil immutatus ab eo fuiſſe videtur, qui Jacobi aetate uſurpabatur. Itaq. Legiſlator etſi facta ubi narrat, non alio quam aetatis ſuae eloquio uti amat, tamen hic, ubi de Oraculis veteribus recitandis agitur, noluit quidquam de vaticiniorum dialectis aut archaiſmis demere aut variare; quia odor ille antiquitatis plurimum majeſtatis praeſefert. Ita in Tullianis de legibus libris & auctoribus aliis non aliter ex XII Tabb. referuntur verba, quam cum eopte vetuſtatis horrore, quo ſcriptae ab initio fuerant. In Jacobi hoc oraculo quid non obſcuritatis in *Ben-raglaiim*, in *Siloh*, in (יקהת) *Ikkehath*? Obſcura ſunt haec vocabula, quia ex numero ἅπαξ, aut ſummum δὶς λεγομένων ſunt: & tamen ea Moſes permutare cum uſitatioribus non eſt auſus, non tantum ſenſa, ſed & verborum ſanctitatem reveritus in hoc Oraculo Diviniſſimo. Verum haec ὁδῷ πάρεργον.

§. 2. *In Jacobi prophetia vocem Juda pro ſorte Juda, ſive pro regione Judaeae videri acceptam.*

Nunc ad propoſitam expoſitionem accedens, haud pluribus detinebo lectorem. Nomina tribuum duplici ſignificatu pollebant, aut perſonali (qui ſcil. perſonam alicujus filii Jacob, cum ſua etiam poſteritate notabat) aut geographica notione, quoties portionem ei tribui in funiculo diſtributionis aſſignatam notat. Itaque Zabulon cum audis, conſiderandum eſt; utrum Jacobi filius deſignetur (ac pluries cum toto ſtemmate) an vero terra quam ſortitus fuit, quae ſaepiſſime abſolute *Zabulon* vocabatur, h.e. *Zabulonitis*. Hinc ſunt illae tam crebrae locutiones, *A Dan* (id eſt a Danitide) *uſq. Berſabee*. Item *Vſq. Dan*: *In Dan* & ſimilia. Sic etiam *Gad* haud raro pro Gaditide ponitur, & ita in ceteris. Imo quid in exemplis ceterarum tribuum corrogandis immoror, cum potius Juda exemplo ceteris eſſe poſſit τυπικῶς hujus acceptionis? quia nihil tritius in Scripturis quam *Judam* pro Judaea uſurpari. Nihil ergo pronius hac vaticinii Jacobei ſententia. *Ab Judaea* (inquit oraculum) *ejuſque Metropoli urbe* (9) *ſancta* (ex quo ſcil. tempore David in ea regni fundamenta jecit) *numquam aberit ſceptrum, quouſque Meſſias prodierit*. Atqui poſt Sedeciam per ſeptuaginta annorum ἀναρχίαν ajunt fuiſſe filum ſucceſſionis interruptum. Sed improprie ἀναρχίαν vocant, quia αἰχμαλωτάρχαι de ſtirpe Davidica ad tempus a Deo ſtatutum regni Hieroſolymitani habenas in loco captivitatis ſuſtinuerunt. Poſt ſervitutem vero ſolutam numquam ab Juda abfuit ſceptrum, ne ſub Herode quidem, qui utpote Judaeus (10) ex Judaeis,

(9) Jacob, dum hoc vaticinium edidit, non potuit non ſanctam urbem Hieroſolymitanam aliquando futuram totius imperii metropolim Chriſti & Davidem de ſuo ipſius ſemine naſciturum, ac principem praenuntiatorum a ſe hoc in oraculo regum) ob oculos habere; tantoque id magis quod tum urbs Jeruſalem, tum Sanctus Rex David typos praeferebant illuſtres regni a Meſſia ſtabiliendi: quo unice ſpectabat editum ab Iſraële oraculum.

(10) De Herodis magni genere non una eſt veterum opinio. At apud me magnae eſt auctoritatis

Judaeis, non incapax regni erat. At ad primum Meſſiae acceſſum Judaea ſplendore regni deſpoliata, in Romanae provinciae formulam redacta fuit.

Huic interpretationi cohaeret *συνέχεια* verſûs hujus. *Non auferetur ſceptrum.* In Heb. eſt יסור *jaſur*, quod proprie eſt *recedet*, cum ſit neutrum verbum. De quo verbo Mercerus apud Pagninum in סור ita notat. *Motum A LOCO ſignificat cum Mem*. Nec aliter hîc conſtruitur, certe quia vates ſanctiſs. Jacob *Judam* acceperat pro Judaea, eâdemque notione tota Hebraica poſteritas plerumque τὸ *Juda* uſurpavit. Vertes igitur, ſi libeat. *Non recedet principatus de Judaea*.

Nec dux de femore ejus. Hebraeum מחקק *meehokek* ab Hebraiſtis *Legislator* aptius redditur: quod alteram ſummae auctoritatis partem conſtituit. At quod ſequitur, *De femore* (in LXX, *ἐκ τῶν μηρῶν*, *ex femoribus*) *ejus*, id, ſi Hebraea (מבין רגליו *mibben raglau*) totidem verbis reddas, erit, *De inter pedes ejus*. Ac ſane vereor, ut hîc רגל (*regel*) non tam *pedem* quam *peditem* ſive *hominem* notet, ac verti poſſit, *Nec legislator de popularibus Judaeis*. Hujus interpretationis rationem in imo (11) margine reddimus.

Sequitur: *Donec veniat Siloh*. Cur *Siloh* Meſſiam notet, dixi jam ſupra §. 1. Ergo ad primum Meſſiae adventum ceſſavit Judaeae regnum, quae in provinciae formulam redacta.

Extrema Oraculi verba illa ſunt, *Et ipſe erit exſpectatio gentium*. Τὸ יקהת *ikkehath*, uti ſupra innuimus, a LXX redditur *προσδοκία*, unde in Vulgata *Exſpectatio*. At τὸ *Ikkehath* Hebraica proprietas requirit, ut *Obedientia* reddatur, aut ſaltem ut alii interpretati ſunt, *aggregatio populorum* (vide §. 1.) quod ſtatim poſt Chriſti mortem evenit.

§. 3. *Occurritur gravi objectioni petitae ex verbis illis EX FEMORE EJUS: cum haec verba ex Judae ſanguine deſcendentes, non vere terrae Juda incolas notent.*

Huic argumento ut reſpondeam, poſſem ad perfugium arrogationis (de qua ſuperiore Sect. egi) recurrere; quia, ut ibi dictum, adoptio & arrogatio generationem imitantur, tamquam ſi arrogati ex femore arrogantis Judae prodiiſſent. Verum malo nova reſponſa, ſepoſitis veteribus, reponere.

Age ergo nullidum tritam inſiſtamus viam; quam modo Adn. ſuperiore monſtravi; ac tametſi illud *De femore ejus*, tum Vulgatae tum etiam Seniorum auctoritate fulcitur; tamen quis vetat nova interpretatione Vaticinationis Jacobeae fidei novum lumen affundere? A רגל *regel* (*pes*) oritur adjectivum רגלי *ragli*, quod *peditem*, ſive *πεζὸν* notat. Vtitur Exodus XII. 37. ubi numerat ſexcenta millia peditum (רגלי *ragli*) ex Aegypto prodeuntium. Ejus plurale legitur Jer. XII. 7. את-רגלים *eth-raglim*, *cum peditibus*. Iſtud vero רגליו *raglau*, quod in hac prophetia occurrit, duale vulgo cenſetur, ut *mibben-raglau* ſit *de inter pedes ejus*. Verum quid ſi רגליו loci hujus non a duali *raglaim* profectum ſit, verum a plurativo *raglim* h. e. *pedites*? Quod ſi ita ſit,

---

ritatis Nicolai Damaſceni apud Joſephum narratio: qui Antipatrum Herodis parentem Judaeum ex Judaeis illis fuiſſe teſtatur, qui ex captivitate Babylonica redierunt. Vide Joſephum in XIV. Originum cap. 1. num. 3. Etſi Nicolai teſtimonio ſubjicit ſtatim Joſephus (*ταῦτα δὲ λέγει χαριζόμενος Ἡρώδῃ τῷ παιδὶ αὐτοῦ*) *ita ſcripſiſſe Nicolaum in Herodis ejus filii gratiam*, quem fortuna ad Judaeorum regnum evexit. Tamen difficile eſt Damaſcenum illuſtrem hiſtoricum in ſui temporis geſtis fallere voluiſſe, nec timuiſſe ne ab Judaeis ſuas tunc callentibus genealógias (maxime dum ex Danielis hebdomadis in vicino Chriſtus inſtabat) retunderetur. Adhaec ad calcem Bibl. Polyglot. exſtat quaedam Judaica hiſtoria Arabice ſcripta, in qua eadem de Herodis Judaica ſtirpe narrantur.

(11) Nam ex רגל (*regel*, *pes*) fit רגלי, *ragli*, quod *peditem* notat Exod. XII. 37. & Num. XI. 21. Ex ſingulari vero *ragli* it plurale רגלים *raglim*, h. e. *pedites* Jer. XII. 5. Poſtremo ſi ſit duale cum affixo 3. perſ. (nim. רגליו *raglau*) ſolet *pudenda* notare Deut. XXVIII. 57. & alibi. At ſi ſit plurale a ſing. רגלי (*pedes*, *peditis*) cumq. eodem affixo, tum *pedites* (non *pedes*) *ejus* notabit. Atque ita prorſus hoc loco ſe res habet, ubi τὸ *raglau* non venit a ſing. *regel*, ut ſit *pedes ejus*, ſed a *ragli*, ut omnino ſit *pedites ejus*. Conſonant Syrus (Judith. II. 7. ubi *pediteſ* notat) & Arabes, apud quos ab eo themate quam plurima cum *peditis* notione proficiſcuntur. Apud hos ipſos Arabes nullum eſt uſitatius *Hominis* vocabulum, quam *Ragiol*, ſive (uti vulgo efferunt) *Ragiolon*; certe quia ſicuti *Quadrupedum* nomine beſtiae veniunt, ita *Bipedum* vocabulo ſignificantur homines. Hanc Adnotationem mox §. 3. pluribus illuſtrabimus.

Cum autem hoc loco dicitur *de inter pedites* ſive *homines ejus*, quia τὸ *Ejus* ad terram Juda refertur; hinc expeditius vertes, *Et Legislator de inter populares ejus*.

ſit, tum commodius interpretabiſmur locum hunc, *Non recedet ſceptrum de Juda* (τοῦ τερ-ρῶ h. e. *de terra Juda*) *nec legislator de peditibus ejus, donec veniat Siloh*. Ac ne mireris inſolens hic *peditis* vocabulum, ſcito *peditem* idem eſſe quod popularem. Nam ſicuti Romae ex cenſu Ser. Tullii cives quoslibet, utpote ad militiam natos, in aliqua claſſium a Servio inſtitutarum fuere cenſiti; hoc idem & in quibuslibet aliis rebuſpublicis fiebat, ac maxime in Hebraeorum populo ab illo uſque tempore, quo Abraham trecentos octodecim pedites expeditos in occurſum hoſtium duxit. Sic etiam Exod. XII. 37. ſexcenta millia peditum (nec plures numero erant Iſraëlitae omnes ex Aegypto prodeuntes) in terram Chanaan militari forma proceſſerunt. Ad ſummam quia ab antiquiſſimis poſt homines natos temporibus mares quilibet ad patriae defenſionem ſeſe prognatos reputabant, & a prima aetate nomen militiae dabant; hinc *Peditis Civiſque* vocabula pro ſynonymis habebantur. Itaque ubi audis, *Non recedet ſceptrum de terra Juda, nec dux de inter* (raglau) *pedites ejus, donec* &c. in his τὸ *pedites ejus* tantumdem eſt quod *homines ejus*, ſive *populares ejus*. Ergo a רגליו *raglau* abeſt, meo ſaltem judicio, *femoris* intelligentia, cum ſint ſimpliciter *populares*.

§. 4. *De quodam hyperbati genere in Hebraica poëſi ſatis uſitato: quo hic adhibito, ultima explicationi hujus oraculi manus haud invenuſte imponitur.*

Non raro in Hebraica poëſi verba trajiciuntur lege quadam, ut ad abſolvendam ſententiam, ſtatim ſubjiciantur ſuperioribus alia ἐν παραλλήλῳ quaedam, ſingula ſingulis reſpondentia. Exemplo ſit illud Canticorum Salomonis, *Nigra ſum, ſed formoſa* . . . ubi ſtatim his duobus inciſis, alia duo ſubjiciuntur: *ſicut tabernacula Cedar* (nigerrima ſcil. quia cilicina) *ſicut pelles Salomonis*, formoſae ſcil. utpote elegantis coloris. Nec aliter illud Pſalmi decurrit: *Qui in altis habitat, & humilia reſpicit*. Ac ſtatim redduntur duobus hiſce paria paribus: *In caelo, & in terra*: quorum prius τῷ *In altis* reſpondet, alterum τῷ *Humilia*. Ac proderit quidem propheticum Jacobi carmen, quatuor inciſis conſtans, complecti verſiculis ex Hebraeo totidem: quorum primo tertius, ſecundo quartus reſpondent, plane ut in laudatis Canticorum I. 4. & Pſ. CXII. 6. locisque aliis pluribus. Quin & apud rhetoras veteres eadem inciſorum diſpoſitio (quae χιασμὸς ab iis vocabatur) in uſu fuit: de quo in imo (12) margine pauca. Subjicimus tetraſtichon Jacobeum.

1. *Non recedet ſceptrum de* (terra) *Juda*:
2. *Et* (non recedet) *legislator de inter pedites* (h. e. de inter populares terrae) *ejus*:
3. *Donec veniat SILOH*;
4. *Et* (donec) *ei fuerit obedientia* (aut aggregatio) *populorum*.

Nunc ſi verſiculum primum cum tertio jungas, ſecundum vero cum quarto; duo exſiſtent pulcherrima vaticinia Jacobea: quae nos quidem ad litteram impleta vidimus, Hebraei vero vident, ſed nondum animadvertunt, quia *oculos habent, & non videbunt*. Priore quid planius ac manifeſtius? Sceptrum (ſanctus Iſraël canit) in Judae regno conſtabit uſque ad Meſſiam. Ergo ubi, Judaeâ in provinciam a Romanis redactâ, in ea ceſſavit αὐτοκρατορία, tum vaticinium de adventu Meſſiae impletum fuit: id quod in terris agente Chriſto factum, fatentibus Judaeis ipſis, ereptum ſibi jus gladii. *Nobis*; inquiunt, *non licet occidere quemquam*.

Sed tamen adhuc umbra quaedam ſummae poteſtatis in vi ferendarum legum, maxime circa ſacra, reſidebat in Sanhedrin h. e. in concilio nationis, cui noxios, maxime a religione devios judicare & corrigere licuiſſe, conſtat ex reſponſo illo Pilati, *Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate*. Hoc quidem leve fuiſſe ſummae poteſtatis ſimulacrum, utpote jure gladii, imo & αὐτοκρατορίᾳ carens, nemo ignorat. Tamen hoc idem concilium poſt Chriſti mortem primum ex urbe principe Jamniam aut alio traductum volunt, ac poſtremo ſub excidii Hieroſolymitani tempus omnino diſtractum ac diſſolutum fuit. En igitur quo pertineat pars altera prophetiae, quae verſu ſecundo & quarto contenta, ita concipiuntur ver. 2. *Et non recedet legislator de inter pedites* [ſeu populares] *terrae ejus*: ver. 4.

(12) Apud Graecos rhetores χιασμὸς (i. e. *decuſſatio*) de periodo illa dicitur, cujus membra numero quatuor χιαστὶ (*decuſſatim*) diſponuntur, ita ut inciſo primo tertium, ſecundo quartum correſpondeat. Ex forma Graecae litterae X ortum eſt verbum χιάζω, a quo χιασμὸς, χιαστὸς, χιαστὶ. De hac figura tum Hermogenes loquitur, tum alii. H. Steph. in Theſ. initio tomi alterius col. VII. plura huc pertinentia ex vet. lex. affert.

ver. 4. *Donec* (13) *ei* (Meſſiae) *fuerit obedientia* [aut aggregatio] *populorum* . Cujus vaticinationis alterius complementum exſtare coepit in baptiſmate centurionis Cornelii, per quod reſeratâ gentibus Evangelii januâ , ex omnibus quamlibet remotiſſimis terrae partibus , turmatim nationibus ad Evangelium confluentibus, jam illa Jacobea populorum ad Meſſiam aggregatio impleta fuit, quae & quotidie impletur , eademque poſtremo in conſummatione complebitur .

(13) Iſtud *Donec* , etſi hic minime repetitum , tamen apertum eſt , ex inciſo ſuperiore (ſive ἀπὸ κοινοῦ , uti loquuntur) hic neceſſario eſſe ſupplendum .

DISSERTATIONIS VIII. PARS II.

AD GEN. XLIX. 11.

QVA JACOBI VATICINATIO DE PASSIONE DOMINI ELVCIDATVR.

L*igans ad vineam pullum ſuum , & ad vitem , o fili mi , aſinam ſuam , lavabit in vino ſtolam ſuam , & in ſanguine uvae pallium ſuum* . Quae ex Hebraeo ſic verbum verbo appendi poſſunt: *Ligans ad vitem pullum ſuum & ad SOREK , o fili mi , aſinam ſuam , lavit in vino veſtimentum ſuum , & in ſanguine uvarum operimentum ſuum* . Vaticinia haec ſunt ; & quidem poëtice per ἐπεξηγήσεις expreſſa , ſicut & (14) vaticinia cetera . Duplex autem hic prophetia occurrit : litteralis ferme una ad Judam pertinens ; cui & vinearum vinique copia mira promittitur , imo & regalis purpura per *ſorek* uvaeque ſanguinem adumbrata : μυστικωτέρα vero altera , ad Meſſiam , qui ſub Judae perſona latet, referenda. A priore magis litterali ordior .

S E C T I O I.

De hujus vaticinii intellectu , quatenus ad Judam Patriarcham , Chriſtumque ſub Juda latentem , refertur .

Ergo ad litteram quod attinet ; tanta vitium copia portioni Judae promittitur ; ut vineae carentes maceriis , vulgo jumentis pateant , & ita ut Judae poſteri ſint ſuos aſinos ad vites alligaturi , nihil penſi ducentes , ne forte eas jumenta arrodant . Tanta vero vini affluentia futura ſignificatur , ut eo etiam ad veſtimenta abluenda (h. e. uvae ſanguine inficienda, purpurae vicem) ſit Judae poſteritas abuſura . Pars vero vaticinationis altera, quae ſub litterae cortice latet, tota ad Chriſtum eſt referenda, tum gentes (quaſi pullum jugo non aſſuetum) tum Judaeos (qui ſub aſinae velo veniunt) ſibi , qui eſt *vitis vera* , devincturum ; idque ſuae paſſionis merito , quae tum hic tum Iſ. LXIII. 1. 2. 3. ſub vini ac torcularis ac talium figura deſcribitur . Atque haec quidem ſatis plana .

Quandoquidem autem Chriſti paſſio in Jacobeo carmine aperte praeſignatur ; nemo mihi ſuccenſeat , ſi , quae de aſina & pullo notantur , ea ad praeludia paſſionis referam h. e. ad ea , quae Matt. XXI. 2. 3. de *aſina alligata* (15) *& pullo* narrantur . Et quidem apud Evangeliſtam ver. 3. in eo quod Chriſtus

(14) Saepe a me de ἐπεξηγήσει dictum , in qua vis praecipua poëſeos vatum Divinorum eſt, ubi ſcil. bis eadem inculcantur . Maxima vero pars vaticiniorum veteris Teſtamenti ita decurrit. Itaque haec ſermonis figura indicio eſſe poteſt , ubinam vaticinia canantur, ubinam vero a poëſi ad pedeſtrem redeatur orationem . Hoc etiam diabolum in fundendis oraculis fuiſſe imitatum , docent oracula omnia apud ſcriptores profanos verſibus decurrentia , niſi quod paullo ante Plutarchi aetatem deſiiſſe ab oraculis fundi verſus , declarat ejus philoſophi liber ita ut dixi inſcriptus.

(15) Cum hoc vaticinium haud dubie ad Chriſtum (h. e. ad Judam μυστικώτερον) referendum

ſtus ſe ſe *Dominum* appellat (dicite , inquit , *quia Dominus his opus habet*) id non merae honorificentiae ſignificatu uſurpatur , ſed ſeſe re vera dominum ξυνωρίδος [*bigae*] illius declarat , ſub cujus velamine tum Judaei , tamquam aſina legis vinculo adſtricta , tum gentiles [veluti pulli indomiti , legiſque neſcii] continentur . De his vero tam certa Servator narrat , veluti ſi ſuis ipſe manibus jumentum illud ſuum alligaſſet .

Jam vero quod de veſtimentis vini ſanguine inficiendis ſequitur [hoc enim Jacob in hac vaticinatione ſtatim adjecit] id ſi litteram attendimus , pertinere mihi ſane videtur ad Judae regnum : quod cum ver. praecedente per ſceptrum vates deſignaſſet , hic per purpuram regalem notare voluit , ut uberius infra explicabitur . Et adſtipulatur Targum Onkeli , in quo hic ita ponitur : *Purpura optima erit veſtimentum ejus : operimentum ejus erit ſericum tinctum coccino variiſque coloribus .*

Quid quod *ſanguis uvae* [de quo ſtatim mentio injicitur] elegans eſt vini περίφρασις ? eaque non Hebraeis tantum familiaris (quae Deut. XXXI. 14. Eccleſiaſt. L. 16. & 1. Mach. VI. 34. reperitur) ſed & Graecis Latiniſque ſcriptoribus , quorum exempla videbis apud Caſaubonum ad Suet. II. 67. Hinc vero licet colligere vina non alia antiquis , quam rubra fuiſſe . Hinc Iſ. LXIII. 2. *rubrum indumentum* dicitur , *ſicut calcantium in torculari* . Ad quem locum pulchre a S. Cypriano alluditur Epiſt. LXIII. ad Caecilium : ex cujus Martyris ore praeſtabit hic & Iſaiam (uti quidem hic Vates in Itala apud Cyprianum loquitur) audire , & quae Martyr ipſe verbis Prophetae ſubjicit , diſcere : *Quare* [Iſaias ait] *rubicunda ſunt veſtimenta tua , & indumenta tua , velut a calcatione torcularis pleni & percalcati ?* Tum ſtatim Martyr (cum id ageret , ut eos refelleret , qui aquam ſolam in Dominico calice conſecrabant) ſic eos adoritur : *Numquid rubicunda veſtimenta aqua poteſt facere ?* At ſi quidem aevo Cypriani vinum album fuiſſet vulgare , idq. in calicem infundi placuiſſet , jam in argumento Cyprianico nulla fuiſſet vis neque locus . Jam vero vini rubri non albi in Scipturis mentio . Prover. XXIII. 31. dicitur : *Ne intuearis vinum* (כי יתאדם) *cum rubuerit* . Sed & in hoc quoque Jacobi vaticinio vitem שרקה *ſoreka* a rubedine nomen inveniſſe neceſſe eſt ; quippe cum in Buxtorfii Lex. Chald. שרוקים *ſerukim* fuſca ſignificet & שרק aut סרק *ſerak* ſit color ad fucandam faciem . Sed de *ſorek* vide prope hujus Diſſertationis finem . Interim antiquorum vina vix alterius coloris quam ſive nigri , ſive rubri , non item albi memorantur : de quo vide hujus pagellae (16) oram .

SE-

dum ſit ; non abſurde dicturus mihi videor , ſi aſinam (quam δεδεμένην , *alligatam* , ſolvi juſſit Matt. XXI. 2. Chriſtus) *ad vitem* (ut in hoc loco Geneſeos) alligatam diſcipulos reperiſſe credam : etſi hoc Evangelium non expreſſerit .

(16) *Quod vini color antiquitus nonniſi pullus aut rubellus fuerit ; nec vina alba niſi rara admodum & ex vite inſitivâ extiterint , non ſponte naturae ſcil. ſed ad id hominum ingenio adactâ .*

Ab Homero ordiar : qui quia in more habet perpetuis libentius quam διακριτικοῖς epithetis uti , vix aliter , vinum quam αἴθοπα h. e. *nigrum* appellat ; ſicuti & apud ceteros priſcos poëtas οἴνου μέλανος aut ἐρυθροῦ , non item λευκοῦ fit mentio . At illud magis mirificum quod eidem Homero familiare eſt mari *vineum* colorem tribuere , dum οἴνοπα πόντον vocat ſaepiſſime : quo certe ſignificatur non ſe alio colore vinum quam purpureo (quem & mare refert) obſervaſſe unquam . Quae obſervatio maximi momenti eſt ; ſicuti & quod eidem Poëtae Od. XIII. 703. βόες οἴνοπες , *tauri vinei* , ſunt *nigri boves* . Hoc modo qui canit , non alium vini colorem quam pullum cognoſſe profitetur . Quin & in vinea , quam Vulcanus in ſcuto caelaverat Iliad. XVIII. 562. μέλανες δ' ἀνὰ βότρυες ἦσαν .

Cernere erat nigros longe lateque racemos .

In inſcriptione Vrſi togati apud Grut. pag. 637.

Nigrum Falernum aut Setinum aut Caecubum.

Etiam potus deorum ad inſtar vinei coloris νέκταρ ἐρυθρὸν inter Homerica dicitur hymno in Venerem ver. 207. In alia inſcriptione PVLLVM VINVM legiſſe memini , quod & Latini ſcriptores paſſim habent , quibus vinum aut *pullum* eſt aut *rubellum* . Obſervatum eſt vites ultro natas vix alio quam rubeo nigrove colore uvas ſponte ſua gignere , niſi forte inſerantur . Quam pridem autem albi coloris uva , ex eaque vinum innotuerit , haud facile dixerim . Amineae vites apud Virg. 2. Georg. albas uvas gignunt . Λευκοῦ οἴνου eſt & apud Athenaeum &, ni fallor , apud Galenum & medicos mentio . Vel ſi tamen antiquiora vini albi exempla reperias ; haud continuo efficies , ea paſſim uſitata fuiſſe ac vulgaria.

S E C T I O II.

***DIGRESSIO** de purpurae & Serici initiis. Quid proprie Sericum, deq. ejus veriloquio in hac ipſa Jacobi vaticinatione detecto. Quid inter Sericum & Bombycinum interſit. Oraculi paraphraſis.*

Venio jam ad alterum Sectionis hujus caput longe graviſſimum. Nam, ut initio innuebam, ſicuti Judae verſu ſuperiore ſceptrum, ita hîc purpura regalis promitti videtur. Dum hoc vaticinium Jacobus ederet, nondum de purpura Tyria, ut arbitror, quidquam auditum fuerat. At etiamſi Jacobi aetate concefſerim purpurae γνησιώτατα innotuiſſe; conſtat tamen multas fuiſſe apud antiquos veluti ſuccedaneas purpuras. Balauſtiis (id nomen eſt agreſtis Punicae mali floribus) vulgo olim infectas veſtes, quis ignorat? Vel lege, quae Spanhemius (in De uſu & praeſt. num. to. I. pag. 315. ac deinceps) de balauſtiis diſſerit. Florem quemdam purpureum apud Indos Cteſias in Indicis memorat, ex quo purpura non ignobilior Graecâ conficiebatur. Hieropolitas, Phrygios e radicibus paraſſe tincturam, quae coccineam purpureamque referret, Strabo lib. 3. tradidit. Vacciniis Gallos ad purpuram parandam uſos, Plinius XVI. 18. & Vitruvius VII. 14. prodiderunt. Tertullianus non minus herbarum quam purpurearum concharum ſuccos in cenſum βαμμάτων (*infectionum*) retulit; ſic enim lib. de veland. mulier. *Nimirum enim Deus demonſtravit ſuccis herbarum, & concharum ſalivis incoquere lanas.* Cum ergo tot ignobilium infectionum genera ex floribus baccisq. vel politiſſimis Graecorum temporibus conficerentur; hinc de rudi adhuc Jacobea aetate aeſtimabimus: qua profecto cum quidquid in oculos πορφυροειδὲς incidiſſet, in eum uſum advocaretur; quidni rubeas in primis nigraſque uvas duce Jacobo hîc adhibitas ſtatuam?. quae temperamento adhibito non video quin florem purpurae referre quiverint, haud minus certe quam vaccinia. Nam & horum ſuccus temperamento egebat; & quo modo temperaretur, Vitruvius VII. 14. docuit. *Vaccinium*, inquit, *temperantes, & lac miſcentes, purpuram faciunt elegantem.*

Nequis vero me futilibus conjecturis nimium indulgere expoſtulet; duo hîc potiſſimum demonſtrare aggredior. I. Ac primum antiquorum *ſerica*, non a Seribus illis remotiſſimis populis, nec plane certae antiquitus poſitionis, ſed ab arbore *Sorek* [cujus hîc & alibi eſt in Hebraeo ſacri Codicis mentio] nomen obtinuiſſe ſtatuo. Ac praeter nominis convenientiam, ſcimus conſenſu maximo veteres ſerici ſtamina ex arborum lanugine depexa repetiiſſe. Plinius VI. 17. *Seres lanificio ſilvarum nobiles, perfuſam aqua depectentes frondium canitiem.* Paria apud Solinum, Ammianum, & poëtas reperies, quorum teſtimoniis ſuperſedeo, jampridem aliorum diligentia notatis. Sive ergo arbor illa ex qua vellera ad ſerici ſtructuram decerperentur, Hebraeorum *Sorek* fuerit; ſive (quod equidem unice amplector) non lanugo, ſed infectura ex arbore *Sorek* arceſſeretur: illud pro certo habeo ſerica a *Sorek* nomen inveniſſe, Iſaia fidem faciente, apud quem XIX. 9. *Piſchthim* (שריקות) *ſericoth* ſunt ipſiſſima *lina ſerica*; etiam Arabibus adſtipulantibus, a quibus, teſte Merecro, ſericum optimum *al-ſerak* nuncupatur. Itaque tantum abeſt, ut a Seribus *ſerici* appellatio ſit arceſſenda, ut telam hanc potius populis illis, unde afferebatur, indidiſſe antiquitus nomen mihi perſuaſerim: id quod jam pridem ante me Fullero viro tanto veniſſe in mentem poſtea gaviſus fui: ne cui forte audacior viderer, ſi primus dixiſſe profiteri vellem.

II. Alterum, in quo hujus rei univerſae caput eſt, haud paullo eſt dictu difficilius, nimirum nomine *ſericoth* ſive ſericorum, antiquiſſimis illis quidem certe temporibus, non tam lanificium ſive panni materiam, quam colorem veniſſe: quod ita certum puto, ut quemquam de eo dubitare vetem. Plane enim cum apud Iſaiam XIX. 9. paullo ante citatum פשתים שריקות *piſchthim ſericoth* h.e. *lina ſerica* junctim legantur; neceſſe eſt nomine *ſericoth* non ſtaminum materiam deſignari (quae *piſchthim* Iſaias h. e. *lina* vocat) ſed eorumdem βάμμα. Sicuti & משי *meſchi* (quod Ez. XVI. 10. *ſericum* quoque exponitur) coloris, non velleris, eſt vocabulum, mea quidem certe ſententia (venit enim a משה *maſchah* quod eſt *educere* quaſi *meſchi* ſit *extractum* a tinctura fullonica) ac certe idem *meſchi* eodem cap. ver. 13. *polymitum* ab Hieronymo vertitur, & in Targum *tinctum variis coloribus*. Ergo olim *ſericum* coloris magis, quam νήματος aut telae vocabulum fuit. Ceterum quae hodie *Serica* vulgo dicimus, e vermium filamentis contexta, ea non *ſerica* aetas vetuſta, ſed *bombycina* dixerat. Conſulantur de bombycinorum originibus Ariſtoteles in V. Hiſt. animal. cap. 19. Plinius XI. 22. & alii, ex quibus proderit nonnulla inferne (17) decerpere.

(17) In Ariſtotele quidem loco cit. bombycum & bombycinae telae deſcriptio paullo obſcurior

Itaque bombycinum a ſerico olim (ni vehementer fallor) hoc differebat, quod textura a colore. Vtroque Coos inſula praeſtabat, ubi & ex bombycum filis ſubtiliſſima & translucida tela pertexebatur, & ibidem laudatiſſima purpura conficiebatur. Ac fortaſſe quia bombycina (quibus nullum erat aliud in inſula praeſtantius opus) non alio plerumque colore, quam qui eſſet ibidem nobiliſſimus, purpureo nempe, inficerentur; inde poſtea factum ut ea demum *ſerica* intelligerentur, quae & bombycina filis eſſent, & colore purpurea. Certe enim Serica veſtis alio vocabulo *Coa* appellabatur: cur? niſi quia purpurâ Coâ nihil uſquam nobilius fuit? Ergo ex eo, uti dixi, vocabula conflata & confuſa fuere, & quae ſaut (ſtaminis habita ratione) *bombycina*, alio vocabulo *ſerica καταχρηστικῶς* dicebantur, tum etiam forſ. ſiquando colorem imbibiſſent alium a purpureo. Hoc credo per abuſum raro fiebat: nam plerumque ſerico ſive purpureo colore inficiebantur.

Ergo ut ab initio pluribus demonſtravi, ſi *ſericum* a שרק *ſerak* derivatur, non alium eo vocabulo, quam purpureum colorem notari oportet. Nam etiam (quod nec cogitanti exciderat) Zach. I. 8. equi *ſerukim* paſſim *rufi* exponuntur: & שרקים *ſerukim* (ait Mercerus in Pagnini theſauro) *ſpadiceos* exponunt. Recte; nam *ſpadiceus* eſt de genere purpurei coloris. Adhaec autem in lexico Chald. Buxtorfii *ſerak* (שרק ſive סרק) eſt color ad fucandam faciem, & שרוקים *ſerukim fuſca* ſignificat, qui eſt opinor, purpurae ſaturae color, qui *αἷμα οἴνου*, ſive *pullum vinum* referebat; ut mirandum non ſit, ſi ex uvis *τῆ ſorek*, adhibito congruo temperamento, purpura heroicis temporibus inficeretur, ut initio diximus.

Illud כבס *chibbes*, quod in Jacobeo vaticinio *lavabit* vertitur, pene ſilentio involveram. Atqui *chibbes* fullonicum eſt verbum & *inficere* ſignificat, unde fullones haud raro כובסים *chobeſim* nuncupantur.

Ergo, ſi lubet, Jacobeae vaticinationis paraphraſis iſta pertexi poteſt: *Judas tanta vitium abundantia affluet, ut non tantum ad vulgarem vitem jumenta ſit alligaturus, verum etiam ad SOREK illam praeſtantiſſimam, quae purpurae tingendae inſerviet; cujus ſanguine, non ſecus ac conchae ſanie, Judas* (hoc eſt Judae poſteri) *ſuam regalem purpuram inficiet.* Sane etiam & in *ſanguine uvae* pulcherrima eſt ad Tyriam purpuram alluſio; quae, ut omnes norunt, ex conchae illius, cui *Purpurae* nomen erat, ſanguine inficiebatur; ſicuti hic Jacobea purpura eximiae illius uvae *Sorek* ſanguine ſaturari dicitur. Hanc alluſionem ſiquis probe attenderit, nae is haud abſurde inde colliget, jam tum Jacobi aevo concharum ſaniem ad inficiendas veſtes apud Tyrios alioſque fuiſſe uſurpatam; alioqui nullus fuiſſet, opinor, pulcherrimae huic alluſioni locus. Quare cum Jacobo poſterior Hercules ille Tyrius fuerit, quem purpurae auctorem jactitant; fallax fortaſſis Graecia fuerit in hoc invento ei tribuendo: quod Phoenicum regioni longe antea innotuiſſe neceſſe eſt, ab Jacobeis ſcil. uſque temporibus.

SECTIO III.

De eodem hoc vaticinio, quatenus adumbrat paſſionem Dominicam.

Dictum eſt Sect. I. duplicem Jacobi verbis contineri prophetiam, litteralem unam, qua Judae ac poſteris vini & vinearum praeſtantia & opulentia praemonſtratur, imo & promiſſa regia purpura per *Sorek uvaeque ſanguinem* deſignata: *μυστικωτέραν* vero alteram, quae ad Meſſiam ab Juda naſciturum referatur. De priore jam egi Sect. I. At alteram etſi ibi quoque

---

ſcurior eſt: at in Plinio, qui ex Ariſtotele hauſit, paullo clarior: quae ſic habet lib. XI. cap. 22. *Primum eruca fit: deinde quod vocatur bombylius: ex eo necydalus: ex hoc in ſex menſibus bombyx. Telas araneorum modo texunt . . . quae bombycina appellatur. Prima eas redordiri* (h. e. *retexere* atq. in fila diducere: quod hodieque apud nos in bombycum folliculis mira artificum ſolertia factitat) *rurſuſque texere invenit in Ceo mulier Pamphila.* In qua narratione quaedam quidem cum bombycibus noſtratibus hodiernis conveniunt, cetera non item; neque id mirum; primum quia multiplex bombycum genus tunc fuiſſe neceſſe eſt, deinde quia ex locorum, in quibus ars bombycina exercebatur, diſtantia ad nos obſcurior notitia pervaſerat.

Verum ubi ſub Juſtiniano bombycum, qui hodie in uſu ſunt, ſemina, teſte Procopio, a Monachis allata fuerunt; ab eo tempore explorata omnia de arte bombycina hodierna evaſerunt.

Fuerat & tertium bombycini vetuſtioribus temporibus opificium, quo ex quarumdam arborum ramis collecta vellera, probeque carminata, in uſum veſtium tenuiſſimarum texebantur.

De his pluribuſque id genus aliis legi poſſunt Salmaſius ad Solinum non uno loco, itemque ad Aureliani vitam: ad haec vero Voſſius in Etymol. aliique plurimi.

Digitized by Google

quoque perſtrictam, hic jam paullo explicatius exponam.

Ergo Sanctus Iſrael, dum Judam filium ſibi praeſentem alloquitur, ſimul de longinquo de Meſſia in hunc modum vaticinatur. *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad Sorek* (vitem ſcil. praeſtantiſſimam ac purpurae aemulam) *aſinam ſuam* [quae Matth. XXI. 2. impleta vidimus] *Lavit in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvae operimentum ſuum.* Atque haec de Meſſia, ejuſque regia purpura intelligi, liquido oſtendunt paria quae poſt Jacobum de Chriſto cecinit Iſaias LXIII. ubi ſic incipit: *Quis eſt iſte qui venit de Edom* (h. e. *de rubro*, quaſi ſcil. purpura infectus) *tinctis veſtibus de Boſra* (in Heb. מבצרה, *mibbotſrah*, h. e. *de vindemia*) *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Torcular calcavi ſolus . . . . & aſperſus eſt ſanguis* [uvae] *ſuper veſtimenta mea & omnia indumenta mea* [אגאלתי *egalti*, h. e.] *infeci*; nempe *ſanguine* illo *uvae*, quem paullo ſuperius ab Jacob patriarcha praedictum vidimus.

Atque hic litterae cortex vaticiniorum Jacobi & Iſaiae. Quod ſi quaeras quid τοῦ *Sorek* (de quo ſatis ſuperiore ſect. dictum) quid *Vindemiae* nomine, quid *Sanguinis uvae* notetur; reſpondebitur, haud aliud deſignari, quam regiam Chriſti purpuram, quam ſua ſibi paſſione quaeſivit. Haec vero purpura regia Chriſti auctoritatem adjunctam habet, quam ipſe ſignificavit dicens: *Data eſt mihi omnis poteſtas in caelo & in terra.* De immenſa Chriſti αὐτοκρατορίᾳ adeundi theologi: qui tamen quantumcumque nitantur, prae rei magnitudine quid niſi balbutire queant?

Atque hic Diſſertationis hujus, nimis jam in longum productae, finis eſto; poſtquam tamen unum illud monuero, duas a me hactenus contextas Diſſertationis hujus partes, non videri debere diſparatas: ſed in unum coituras, ubi intellectum fuerit, non temere terrenum Judae regnum diei Meſſia prodeunte deſiturum. Non temere inquam ita factum; quia Judae regnum cum non niſi figura aeterni Chriſti dominatûs extiterit; tamdiu illud praeire debuit, donec Rex verus & aeternus oriretur, qui purpurâ immortali illa, ſuomet ſanguine (ex Jacobi & Iſaiae oraculis) coloratâ, in aeternum ſplendeſceret.

SYLVARVM LIBELLVS

AD MOSAICI PHALEG INTELLIGENTIAM COMPARATARVM.

MONITVM.

SVpra in Spicilegio pag. 63. lectorem admonui, mihi in praeſens non licuiſſe noſtra ad Phaleg adnotata dare, propterea quod id univerſum, quod mihi ad id operis ante plures annos ſepoſueram, non aliud quam farrago mera atque incompoſita videretur. Promiſi tamen, inter Diſſertationes me daturum quandam παρασκευαστικὴν πραγματείαν, lectores per hujus itineris avia manu ducturam. Ac de hac quidem per me ſtetit promiſſo fides; habes enim eam diſſertationem ſupra pag. 201. Interea vero ſpiſſam farraginem illam Phalegicam, quam modo deſignavi, poſtquam amiſſa, diu non comparuerat, tandem repertam, animadverti non magno in praeſens uſui futuram: neque id ea de cauſa ſolum quod cum ſit obeſior, tamen non ultra Japhetidarum κληρουχίαν procedat, verum etiam quod commentario Japhetico ſane quam prolixo alter de ſolo DODANIM (Japhetidarum uno) ſubjicitur; is vero priore illo toto Japhetico non multo brevior, eodemque abſtruſior & operoſior. Quid his facerem, cum ne otii quidem ſatis ſuppetat ad amputandam ex tam ſpiſſis duabus ſylvis luxuriem? Ne multa. Re mature conſiderata ſeorſum ab opere, i. e. in calce voluminis, non tantum duas haſce Sylvas (illuſtraturis Phalegica aliquando forſitan profuturas) ſed & quidvis aliud edi licere, viſum poſtremo mihi fuit. Atque huic tandem acquievi conſilio: eâque gratia quidquid hic ſequitur, in qualemcumque critici lectoris uſum ex diuturnis latebris erui: quem ſimul rogo, ut harum lectioni Sylvarum προπαρασκευὴν illam, quae pag. 201. proſtat, ne gravetur praemittere; ac poſtremo meminerit, mihi non vacaſſe in Sylvas iſtas acute inquirere, atque id laborare, ut abnormia, ſiqua ſe darent, abſcinderem, nimiam vero redundantiam (praecipue in DODANIM) depaſcerem & caſtigarem. Itaque qualiacumque ſunt, utenda lectori trado.

SYL-

SYLVARVM PHALEGICARVM

PARS PRIOR

DE JAPHETIDARVM COLONIIS.

TVm in Japhetidarum, tum & in Semidarum & Chamidarum locis aſſignandis, nolo equidem actum agere, nec Bocharti aliorumque ſerinia compilare. Satis erit, ſi ubi in alterius ſententiam in metandis τῶν γεναρχῶν caſtris pedibus ivero, id aperte fatear; tum ſiquid novi in mentem venerit, id breviter in medium proferam. Ab Japhetidis ordiar, quia Japhet ex Gen. X. 21. natu maximus fuit; quem exeipere debet Semi poſteritas: at Chamum (qui natu minimus erat) ultimo loco expediri convenit.

DE JAPHETIDARVM SORTE.

Gen. X. 2. *Filii Japhet: Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Thubal, & Moſoch, & Thiras.* [ver. 3.] *Porro filii Gomer: Aſcenez, & Riphat, & Thogorma.* [v. 4.] *Filii autem Javan: Eliſa, & Tharſis, Cetthim, & Dodanim.* [v. 5.] *Ab his diviſae ſunt inſulae gentium in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam, & familias ſuas in nationibus ſuis.*

SECTIO I.
GOMER, ejuſque filii [v. 3.] *ASCENEZ, RIPHATH & THOGORMA.*

De *Gomer* in hunc modum Joſephus: τοὺς μὲν γὰρ νῦν ὑφ' Ἑλλήνων Γαλάτας καλουμένους, Γομαρεῖς δὲ λεγομένους, Γομαρὸς ἔκτισε. *Qui enim nunc a Graecis Galatae dicuntur, olim vero Gomarenſes vocabantur, Gomarus condidit.* Non te magnopere conturbet, quod narrat, Galatas olim *Gomarenſes* dictos (id quod ſi poſſit oſtendere, jam profligata quaeſtio eſſet) nam, ut in Differt. παρεργικῶς. pag. 211. num. VII. adnotavi, ſollemne hoc Flavio fuit, ut poſtquam unum ex Noachidis alicubi conſediſſe ait, deinde veluti jure ſuo utens, illius loci incolas olim ab illo Noachida appellatos tradat: in quibus ſemper ſubaudiendum eſt ἴσως *fortaſſis* aut tale aliquid. Vtros autem *Galatas* Joſephus a Gomaro propagatos voluerit, Europaeos ne (qui *Galli* nobis ſive *Celtae*, Graecis autem Γαλάται dicebantur) an Aſiaticos, qui modo Γαλάται, modo Γαλλογραικοὶ dicti, animi pendeo. Europaeos ſi intellexit; favebit opinioni huic ſimilitudo nominum, quia inter Celtas etiam *Cimbri* fuerant, ex Gomer ſic forſan appellati; nam videtur ex *Gomer* fluxiſſe vox *Cimmer*; deinde *Cimber*. Vide Calmetum hic. At vero ſi *Galatarum* nomine Joſephus Gallograecos deſignaverit; vix aut ne vix quidem Joſephi opinio a Bocharti ſententia diſſidebit: qui Gomarenſes Japheti filios in Phrygiam colonos deduxit, & quidem non poenitendis rationibus, quas neſeio cur Calmetus contempſerit. Quos ergo Gomarenſes in Galatiam Aſiaticam Joſephus deduxit, iidem ac Phryges cum Bocharto erunt; quia quae poſtea Gallograecia dicta fuit, ea olim pars Phrygiae fuerat. Strabo lib. II. Τῆς Φρυγίας ἐςὶ μέρος ἡ τῶν Γαλλογραικῶν λεγομένη Γαλατία. *Phrygiae pars eſt, quae Gallograecorum Galatia dicitur.*

Ac ſane facile ſive in Calmeti (qui a Gomaro Cimbros ſive Celtas deduxit) ſive potius in Bocharti pedibus irem ſententiam, qui eum Gallograecorum parentem fecit; ſi quidem oſtendi poſſet Gomari filios *Aſcenez, Riphath & Thogorma* (de quibus Moſes v. 3.) in vicinia ſui patris tentoria tetendiſſe. At contra immania fuiſſent inter parentem filioſque intervalla, ſi quidem pater Gomarus ſive in Galatia Celtica, ſive in Gallograecia conſediſſet. Ergo neceſſe eſt ita rationes inire, ut ne longius a Gomaro patre filiis habitacula tribuantur. Mitto quae aſſerri potuiſſent, ut Gomer filiis propius admoveatur, quia non mihi (1) plane ſatisfaciunt. At illud mihi tandem arriſit, nim. *Gomer* (ſive *Gomarum*, uti Joſephus appellat) in Scythiae parte, quae Sogdiana dicitur, habitaſſe, ibique

a ſe

(1) Veluti ſi *Gomer* cum filiis in Arabiam amandetur, ad cujus meridiem apud Plinium VI. 28. *Camari* inſula, earum maxima quae ibi ſunt: deinde in ejusdem Arabiae mediterraneis *Riphearma* eſt oppidum teſte Plinio ibidem, a *Riphat* ſcil. Gomari filio dictum.

Digitized by Google

a ſe Comaros (2) ſibi cognomines , quorum Ptolemaeus VI. 13. meminit , propagatie ; filios autem Gomari qui hic ver. 3. memorantur , non longiſſime a parente habitaſſe . De filiis ergo dicendum , poſtquam Gomari ſive Comari ſedes primitivas in Sogdiana monſtraro.

Gomer tres filios habuit (infra verſ. 3.) *Aſcenez* , *Riphat* , & *Thogorma* : quorum veſtigia ſi in uno eodemque Sogdianae tractu, quem *Comari* inſidebant , demonſtravero ; jam antiquas Gomari & filiorum ſedes oſtendiſſe videbor . Id vero in *Aſcenez* & *Thogorma* haud difficulter ex eodem Ptolemaeo conficiam : nam a *Thogorma* ſunt *Toornae* (eliquato ſcil. *Gimel* , & M in N , ut aſſolet , tranſmutato) quos ibidem hic Geographus ſtatuit. Ab *Aſcenez* vero eſt *Aſcatangas* mons ibidem nobilis , cui & populi ibidem erant cognomines, nim. *Aſcatangae* aut *Aſcatancae*. Vide Ptol. VI. 13. Sane Ezechiel XXXVIII. 6. *Gomer* & *Thogormam* ſimul junxit & ad Septemtrionem Judaeae poſuit : *Gomer* & ... *domus Thogorma latera Aquilonis* .

Reſtat ex tribus Gomeri filiis *Riphat* ; qui non alibi quaerendus videtur , quam in *Riphaeis* montibus , ubi & major eruditorum pars hunc Gomeri filium conſediſſe putavit. *Riphaei* autem montes etſi quam longiſſimo a Sogdiana ſpatio in Europae Sarmatia (quae eſt hodie Moſcovia) fuere ; tamen etiam in Aſiatica Scythia deprehenduntur . Vtros conditor *Riphat* inſedit primum ? Non Europaeos puto , quod Calmetus & alii praedicant , ſed Aſiaticos ; illos nimirum tractus , in quibus *Arimphaei* [indidem nomen adepti, ſed praefixo ה emphatico] habitabant. A Plinio VI. 7. in tractu Aſiatico circa *Maeotin* recenſentur *Arimphaei* , *qui ad Riphaeos pertinent montes*. Mox idem cap. XIII. in Aſiatica Scythiae deſcriptione: *Vbi . . . Riphaeorum montium deficiunt juga . Ibique Arimphaeos quosdam accepimus , haud diſſimilem Hyperboreis gentem* . De quibus Aryimphaeis multa ibi narrat , fortaſſis ponenda in numero eorum μυθολογουμένων , quae Strabo (3) taxat . En igitur in una eademque Scythia primum circa *Riphaeos* montes , *Riphat* Gomeri filius ſe prodit ; mox longo inde intervallo ad Orientale maris Hyrcani latus Pater ipſe Gomer in *Comaris* populis ; & duo alii filii in *Aſcatanca* ac populis *Toornis* occurrunt . Plane vero de Aſcenezi plurimis longe lateque ſedibus , quas poſtea ſecutis temporibus inſederunt , plura mihi dicenda reſtant , quae ſatius erit junctim in imam (4) oram conferri: plane ut tum ex his primis Japhetidis, tum & ex

(2) *Comaros* quidem Ptolemaeus VI. 13. in Sogdiana inter Sacas commemorat (& quidem παρὰ τὸν Ἰαξάρτην , juxta *Iaxarten*) at lib. VI. cap. 11. ab eodem in vicina Bactriana prope Salataras χόμαροι *Chomari* alii (quia cum aſpiratione) recenſentur .

(3) Strabo lib. VII. οἱ τὰ Ῥιπαῖα ὄρη , καὶ τοὺς Ὑπερβορείους μυθοποιοῦντες . *Qui de Riphaeis montibus deque Hyperboreis pertexunt fabulas* . Magis enim ſic vertendum duxi , quam cum aliis in hunc modum , *Qui Riphaeos* &c. *comminiſcuntur*. Non enim Strabo , an uſquam Riphaei montes extiterint , dubitavit (de quibus omnes paſſim ſcriptores antiqui meminerunt) ſed narrationes quae de iis , ac maxime de Hyperboreis (hos enim in ultimo nominat: de quibus Hyperboreis vide παράδοξα a Plinio & aliis narrata) circumferebantur , eas demum fabuloſas putat . Faceſſat ergo Bocharti opinio , qui Riphaeos montes inter ſabulas amandavit .

(4) *De ſedibus plurimis ab Aſcenezo deinceps diverſo tempore occupatis* .

Dixerit aliquis cur [illegible] Aſcatangam neſcio quam in extremo Septentrione latentem Aſcenezus relegabitur , cum in vicino celebris regio *Aſcania* in Phrygia minore fuerit? An non praeſtat hujus *Aſcaniae* conditorem Aſcenezum cum Bocharto aliiſque efficere ? praeſertim cum etiam in vicina Myſia (teſte Strabone lib. XIV. pag. 681.) pago cuidam *Aſcaniae* nomen fuerit , & ibidem palus *Aſcania* , unde amnis *Aſcanius* flueret . Quae omnia eo nos ducunt , ut in Phrygia Myſiaque Aſcenezus conſediſſe merito videatur . His tamen reponi poteſt , totam hanc , quae circa Phrygiam Myſiamque *Aſcania* fuit , non niſi poſt Troica tempora id nomen fuiſſe conſecutam , credo quod poſt illud tempus Aſcenezi poſteri colonias aliquot illuc deduxerint . Certe Xanthus Lydus apud Apollodorum in Strabone loco ſup. cit. ait , poſt bellum Trojanum Phrygas duce Scamandrio ex altera quadam Europae *Aſcania* veniſſe in Phrygiam , ubi deinde & *Aſcania* fuit , ab illa altera nomen utique adepta . Hinc Homeri verſus illos in Navium catalogo ver. 369.

Φόρκυς αὖ Φρύγας ἦγε καὶ Ἀσκάνιος θεοειδὴς
Τῆλ' ἐξ Ἀσκανίης ,
Phorcys & Aſcanius par diis Phrygia agmina ducunt
Longe ex Aſcania .

Hinc inquam hos verſus non de Phrygiae *Aſcania* (quae viciniſſima erat , non vero τῆλε *longe*) eſſe intelligendos , ſed de remotiore altera , Apollodorus ibidem affirmat . Quocirca ſic totum

& ex aliis, quorum colonias deinceps perſequemur, perſpiciatur, quam aperte Noachi oraculum de Japheto in Semi tabernaculis habitaturo fuerit impletum.

S E C T. II.
De MAGOGO, quique huic conſertus eſt, GOGO.

Scythiae Orientali illi, quae Seras inter, & mare Caſpium longiſſime extenditur, ſatis jam videmur de conditoribus providiſſe, dum eo *Gomerum* cum tribus filiis *Aſcenez*, *Thiras*, & *Thogorma* amandavimus, a quibus poſtea & Minoris Aſiae partem, & alia fortaſſe terrarum ſpatia frequentata fuiſſe coloniis demonſtravimus. Reſtat de Occidentali Scythia, quae inter Pontum Euxinum & Mare Hyrcanum longe ac late producitur, conſiderandum. Atque hanc provinciam *Magogo* antiquorum ac recentium ſuffragia jamdiu demandarunt. Huic vero qua de cauſa quave ratione apud Prophetas *Gog* conſeratur, non ſatis explicatum reperio. Sed utcumque ſe res habuit; certe ſi oſtendero a *Gog* (qui Chaldaeis Arabibuſque *Caue* pronuntiatur) poſtea *Caucones* illos ab Homero decantatos primam traxiſſe originem, ſimul & Aſiae Minoris, & veteris Graeciae non ignobilis conditor nec poenitendus orbis frequentator *Gog* invenietur. Atque hinc jam incipit incredibilis Japhetidarum multiplicatio in oculos incurrere, quae in ſequentibus magis magiſque ſemper extabit. Atque hujus tam ſtupendae Japhetidarum fecunditatis ita jam ante meminimus, ut ejus primariam cauſam a Divina promiſſione repeteremus illa: *Dilatet Deus Japhet*.

His in univerſum delibatis, jam eo devenio, ut quae pauca de *Magogi* ſorte meditata habeo, ea in medium proferam. Ac primum omnium difficultatem maximam ingeruut Ezechielis XXXVIII. 2. & alibi loca, ubi cum *Magog* (quem hucuſque ex Moſe novimus) *Gog* jungitur: & quidem ita junguntur, ut ambigas, utrum duo ſint diverſa nomina, an unum & idem. Qui diverſa eſſe nomina exiſtimarunt, ii regiminis ſyntaxi eadem diſtinguunt. Nam pro eo, quod in Vulgata legitur: *Pone faciem tuam contra Gog terram Magog*, ii vertendum putant *contra Gogum terrae Magog*, quaſi *Gog* ſive regum Scythiae nomen commune ſit, ſive unius alicujus peculiare, veluti ſi *Gyges* fuerit. At qui unum idemque volunt eſſe nomen, ii ſive per appoſitionem ea poſita credunt, ſive ut ſit *Gog in terra Magog*. Equidem *Gog* geographicum eſſe, non hominis nomen, puto, idque a *Magog* diverſum: ſunt enim meo judicio *Gog* & *Magog* provinciarum duarum diſcreta vocabula, ſed tamen & vicinitate & forſitan etiam dominatu conjunctarum. Sane in Hebraeo codice, quo utebantur Graeci interpp. poſt *Gog* fuiſſe copulam [ו] *ve* i. e. *Et*, arguit eorum interpretatio ἐπὶ Γὼγ, καὶ τὴν γῆν τοῦ Μαγὼγ: eamdemque copulam & Italica vetus apud Hieron. in Ezech. & Syrus & Arabs adhibuerunt: etſi eadem conjunctio aberat ab Hieronymi Hebraeis exemplaribus (uti ex Vulgata conſtat) itemque aberat ab eo codice quo Jonathan Paraphraſtes utebatur. In hoc lectionum diſcidio, etſi Graecae interpretationis multo ceteris antiquioris ipſa per ſe ceteroqui auctoritas vinceret; tamen poſt divinam Joannis auctoritatem, non eſt dubitandum quin ea copula ſit genuina & neceſſaria; in cujus Apoc. XX. 7. legitur *Gog ET Magog*, τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγὼγ. Ergo & apud Ezechielem *Gog* a *Magog* particulae copulae interventu ſejungebatur. Quare duae erant diverſae regiones;

---

totum hoc litigium componi poteſt. Ponamus, Aſcenezum initio prope Gomerum patrem in Scythia intra Imaum in *Aſcatangae* [illegible] conſediſſe: deinde Aſcenezi poſteros illinc colonias deduxiſſe tum in illam, cujus Xanthus meminit, Europae *Aſcaniam* (quae videtur in Sarmatia Europaea fuiſſe) tum in eam cujus Jeremias LI. 27. commeminit (quo loco *Aſcenez* h. e. Aſcenezi coloni, cum *Ararat* & *Minni*, quae ſunt in Armenia, copulantur) tum demum etiam in Phrygiae Minoris *Aſcaniam*, & in Myſiam. Poſtremo ne Bocharti quidem ingenioſam conjecturam prorſus repudio, qui Pontum Euxinum, olim Ἄξενον dictum putat, non quaſi *inhoſpitalem*; ſed quia ejus oram longe ac late Aſcenezus tenuerit. Non quidem Graecis eſt inſolens falſas locorum etymologias pro ſuo ingenio cudere: verum ſicuti Graecanicum etymon falſum, ſic Bocharti conjectura ita admitti poteſt, non ut eae primae Aſcenezi ſedes fuerint (quia prope Gomarum patrem metari filium decuerat ab initio) ſed diu poſtea ſint ab Aſcenezi poſteris occupatae: nam primam, ut iterum dicam, hujus habitationem prope patrem i. e. prope *Comaros* fuiſſe decuit, in *Aſcatancis*. Sane vero qui veterum populorum hiſtoriam legerit, eos numquam ſatis fixas habuiſſe ſedes comperiet, ſed abundante potiſſimum juventute, aſſidue palantes huc atque illuc divertiſſe, uti novas ac vacuas ſibi habitationes pararent.

regiones; quae tamen loco & imperio videntur junctae fuiſſe. Vna, inquam, utrique provinciae erat reſpublica, unum imperium; cui tamquam ὑπήκοα (*ſubdita*) *Moſoch* & *Thubal* ſerviebant. Sic enim is locus verti poteſt Ezech. XXXVIII. 2. *Pone faciem tuam contra Gog & terram Magog* (ſequitur, נשיא ראש *neſi ros*, quod LXX ἄρχοντα ῥὼς, tamquam ſit proprium nomen; ſed malo ἄρχοντα τῆς ἀρχῆς &c.) *principem imperii Moſoch & Thubal*.

Quorſum haec tam multa de diverſitate τοῦ *Gog* a *Magog*? deinde quorſum de eorumdem finitimo poſitu? Nimirum quod ad prius attinet, neceſſario id mihi adnotandum putavi, ut veritati litarem, utut ceteri refragentur, qui paſſim confundunt ea duo nomina. Poſterius autem eam vim habet, ut, quia vocis *Magog* nulla in vetere (5) geographia mentio ſupereſt, quae nos de Magogi ſitu certiores efficiat; *Gogi* autem veſtigia plura ac certiſſima reperio; ex hujus poſitu etiam *Magogum*, quippe ὅμορον, cognoſcamus.

Et quidem neceſſe eſt *Gogi* provinciam illuſtriorem prae *Magogo* fuiſſe; nam & Ezechiel poſt modo recitatum locum, deinceps eodem & ſeq. capite paſſim *Gog* nominat, *Magog* autem reticet [fort. quia ſub illius nomine etiam *Magog* veniebat, propter viciniam ſcil. & reip. unius communionem] & a *Gogo* non item a *Magogo* deflexa nomina ſuperſunt apud geographos veteres, uti mox docebitur. Sane vero unius prae altero claritudo duabus ex cauſis oriri potuit, tum quod in *Gogi* provincia imperii ſedes fuiſſe videtur (Ezech. XXXVIII. 3. *Ecce ego ad te Gog principem capitis Moſoch & Thubal*: quod verti aliter poſſet, *principem imperii Moſoch & Thubal*) tum etiam quia *Gog* facile vicinior noſtris hominibus erat, priorque adibatur: proinde & notior fuit; dum interim illa altera obſcurior manſit.

Quod dixi a *Gogo* Ezechielico derivata nomina apud antiquos ſcriptores ſupereſſe; id primum in *Gogarene* certiſſimum eſt, quae ſine ullis ambagibus eſt *Gog* ipſum Ezechielis. Verum *Gogarenes* hujus jam Bochartus aliique meminerunt. At *Gogarorum* gentem quo pacto viri docti praeteriverunt? quam recenſet Plinius VI. 7. quae non eſt alia niſi eorum qui Gogarenem incolebant; etſi Plinius eo loco gentium nomina catervatim ponit, nullis unicuique ſedibus aſſignatis. Adhaec apud eumdem ibidem & *Caucadae* (quaſi Gogadae ſcil.) recenſentur, quos facile eſt ad eamdem Gogarenem pertinuiſſe. Quo id modo? quia *Gog*, variante dialecto CAVC dicebatur (nam Chaldaei Arabeſque vocalem *Cholem*

(5) *De veſtigiis quibusdam Magogi nominis.*

Cum nego ſupereſſe nominis ejus veſtigium, id de propriis *Magogi* ſedibus intelligo. Ceteroqui *Magynos*, qui a Tibullo cum Scythis junguntur, etſi a Magogo nomen adeptos, Bocharto dem; tamen horum ſitus, utpote ignotus, de Magogi ſedibus nihilo certiores nos facit. Nec ſatis eſt, Magogum in Scythis ponere, niſi quae pars Scythiae ſit, doceas: nam & Gomer cum filiis Scythiam incoluit; & totum Boreum extremae Europae & totius Aſiae latus communi Scytharum appellatione continetur. Multo minus Hierapolis Syriae Coeles urbs a Prometheo aedificata, quae olim *Magog* vocata reperitur, nos de primis Magogi ſedibus certos efficiet: nam non aliud ex eo Hierapolis nomine aſſequimur, quam eam fuiſſe olim Scytharum coloniam; ſed quorumnam, tamdiu ignorabimus, quamdiu veteres *Magogi* ſedes in Scythia quaerimus.

Ceterum ſi nominis indicio uti volumus ad Magogi colonias inquirendas, in Africa plures reperire poſſis; veluti ſunt in Syrtica regione *Macae* populi Herodoto memorati, ut *Macomades* ejusdem regionis taceam. Sunt & in Mauretania Tingitana *Maconitae*, & in Europa *Macetae*, qui & Macedones; ſunt & in Lydia *Macedones Cadueni*; & in Judaea oppidum *Makeda*. Iſtoſne omnes Magogi ἀποίκους fuiſſe adſtruimus? minime id quidem. Nec enim nominum qualiſcumque ſimilitudo ſatis eſt; niſi praeterea ex antiquorum teſtimonio docueris originem Scythicam. Alioqui ſi tantum nominis indicio ducimur, nihil propius erit, quam ut univerſum *Macoci* regnum in ſuperiore Aethiopia a *Magogo*, aut ejus poſteris aliquando occupatum dicamus. Id quidem fieri potuit (nec enim ea religio, qua viros doctos terreri video, me movet, ne ſcil. ſortes trium Noae filiorum confundantur, qui ſciam, univerſam veterem hiſtoriam vix aliud eſſe quam migrationum & incurſionum aſſiduarum perpetuas narrationes) id inquam fieri potuit; verum ut re vera ita fuiſſe dicamus, docendum erit, *Macoci* in Aethiopia nomen ſatis antiquum eſſe, deinde Scythas eo aliquando incurriſſe. Interim id certo ſcio, Scythicas quaquaverſum incurſiones fuiſſe creberrimas; ac praeterea gentium univerſitatem *Gogi* & *Magogi* nomine deſignari, ex Divina Apocalypſi didici, de cujus loco ſub finem hujus de Magog diſputationis pauca forſitan delibabo.

Digitized by Google

Cholem in AV reſolvunt; G vero & C apud omnes paſſim alternant, ut ubi ex גמל *gamal* fit *Camelus*, & alia ſexcenta) unde fit, ut incolae Gogarenes apud alios *Gogari*, apud alios vero diverſa utentes dialecto *Caucadae* dicerentur. Quid quod & ipſum *Caucaſi* nomen *Gogo* etymon ſuum debet, a *Gog* ſcil. ſive *Cauc* deductum? nam Caucaſus Hebraice *Gogi* ſive *Cauci arcem* ſignificat, uti recte Bochartus vidit. Ad eamdem vero originem eamdemque dialectum (ſecundum quam *Caucadae* & *Caucaſus* ita appellati fuerunt) pertinet in primis *Cauconum* antiquior bello Trojano gens; de quibus, quia nihil hic adnotatum a quoquam reperio, dabo primum operam ut oſtendam, non aliunde revera eos, quam ex *Gog*, de quo loquimur, fuiſſe profectos: deinde de eorumdem coloniis quaquaverſum diffuſis, quae potero, depromam.

ΕΜΒΟΛΟΝ *DE CAVCONIBVS ET CAVCHIS* τῦ *Gog* ἀποίκοις.

Sane vero inter populos ab Homero celebratos nihil eſt quidquam *Cauconibus* illuſtrius aut antiquius; qui cum Pelaſgis & aliis Priamo auxiliares venerunt. Sic enim legitur Il. K 428.

Πρὸς μὲν ἁλὸς Κᾶρες, καὶ Παίονες ἀγκυλότοξοι,
Καὶ Λέλεγες, καὶ Καύκωνες, δῖοί τε Πελασγοί.
Ad mare tum Cares, tum Paeones arcitenentes,
Tum Leleges, & Caucones, diique Pelaſgi.

Hos autem ex Gog, ſive ſecundum aliam dialectum, ex CAVC eſſe oriundos, non tantum nomen oſtendit, verum etiam *Cauconis* eorum parentis γενεαλογία apud Athenaeum, cujus locum vide inferne (6) poſitum; ac praeterea, quod *Cauconum* genus ab Scythica origine paſſim repetebatur. Scythicam, quam dixi, Cauconum originem adſtruit tum Strabo mox producendus, tum Scholiaſtes Homeri ad modo recitatum Poetae locum ſic adnotans: Καύκωνες ἔθνος Παφλαγονίας· οἱ δὲ Σκυθίας. Alios cenſere ait Paphlagoniae gentem, alios vero Scythiae. Atqui utrumque verum fuit, ſed diverſis temporibus. Non enim cauſa huic interpreti fuit, cur ex duabus narrationibus, quas repererat, unam ab altera inſcite diſpeſceret, quaſi ſimul ambae ſtare non poſſent. Apud nonnullos invenerat, *Caucones* ex Scythia veniſſe: idque verum erat, modo intelligas de prima eorum origine; nam principio de *Gogarene* Scythiae progreſſi, inter Moſaica tempora & Troicam cladem, ſedes ſibi maritimas (Hom. πρὸς ἁλὸς) in Paphlagonia quaeſierunt; nec enim qui de Scythia hos veniſſe dicebant, inde illos ἀμέσως ad bellum Trojanum arceſſebant, quia Gogarene non erat πρὸς ἁλὸς *ad mare*. Rurſus qui ex Paphlagonia eosdem adſciſcebant, intelligendi erant de loco, unde ἀμέσως ad Trojam profecti fuerint, ex παραλίας ſcil. Paphlagoniae, ubi inter Maryandynos & flumen Parthenium habitabant. Dices dandam eſſe Scholiaſtae veniam, quando & magno geographo Amaſeno pares, aut majores tenebrae obortae fuerint, dubitanti, utrum SCYTHICAE originis Caucones fuerint, an *Macedonicae*, an vero *Pelaſgicae*. Verum longe diſpar eruditiſſimi ſcriptoris cauſa fuit, qui numquam eo dementiae venit, ut dubitaret utrum Caucones Priami auxiliares ἀμέσως (*proxime*) ex Paphlagonia venerint; ſed de prima eorum origine diſputans, inter Scythas, interque Macedonas ac Pelaſgos judex ſedet. Verum Strabonis locum, accuratiore indagine dignum, iniquus ſim, ſi intactum praeteream: de quo videſis inferne (7) adnotata.

(6) Apud Athenaeum initio lib. X. ſic ſcribitur: Ζηνόδοτος δ' ἐν δευτέρῳ ἐπιτομῶν, Καύκωνα φησὶ τῦ Ποσειδῶνος καὶ Ἀστυδαμείας τῦ Φόρβαντος γενέσθαι τὸν Λεπρέα &c. *Zenodotus in Epitomarum ſecundo ſcribit, Cauconum Neptuni filium ex Aſtidamia Phorbantis filia Lepreum ſuſcepiſſe*. Vides hic *Cauconum* (aliis *Cauconem*) quem volunt gentis Cauconum fuiſſe conditorem, Neptuni filium dici; quia ſcil. *Magog* (a quo *Gog* deſcendebat) Japheti (qui gentilibus Neptunus) filius erat. Nam Chamum, Japhetum, Semum in Jovem, Neptunum, Plutonem gentiles transformarunt; ut optimis rationibus Bochartus demonſtravit. Non temere autem Lepreum Cauconi filium fuiſſe narrabant; quia Lepreaticam etiam Caucones inſederant, uti & alii prodiderunt, & in primis Strabo lib. VIII. pag. 425. ubi & Cauconis (ſive ἀρχηγέτου, ſive ἄλλως ὁμωνύμου h. e. ſive *Cauconum ducis* ſive *alterius cognominis*) monumentum in Lepreatica fuiſſe narrat: de quo ſepulcro meminit etiam Pauſanias in Eliacis prioribus cap. 5. Ceterum celebre *Cauconis* nomen fuiſſe apud veteres proditum fuit.

(7) *Diverſae Strabonis narrationes de Cauconum origine.*

Strabo lib. XII pag. 542. de Cauconibus Paphlagoniae incolis ſic orditur: Τὸς δὲ Καύκωνας (eos ſcil. qui a Maryandynis ad fl. Parthenium pertingunt) . . . οἱ μὲν Σκύθας φασὶν, οἱ δὲ τῶν Μακεδόνων τινὰς, οἱ δὲ τῶν Πελασγῶν. *Caucones . . . alii*

Jam vero non tantum in Paphlagonia, ſed & in Peloponneſo Caucones laxas olim ſedes incoluiſſe, apud antiquos reperio: de quibus Peloponneſi Cauconibus, ac ſi qua porro ſunt alia, quae diſceptari de iisdem poſſint, vide, quae inferne (8) adnotantur.

Poſtremo

---

alii Scythas faciunt, alii Macedonici, alii Pelaſgici generis. Ex his opinionibus apparet Geographum primam illam (quae & in Homeri Scholiaſte, ut oſtendi ſupra, reperitur) veriorem habuiſſe, quam ideo priore loco recenſuit. Ceterum altera, quae Cauconas eosdem ac Macedonas efficit, fort. ex antiquo horum nomine fluxit, quo Macedones antiquitus *Macetae* vocabantur, & regio *Macetia*: quod fort. ex eo fluxerat, quod ad *Magogum* Scythiae parentem genus ſuum referrent. Quae conjectura, quamvis leviuſcula, tamen id haberet commodi, quod primam opinionem cum ſecunda conciliaret. At tertia, quae Cauconas cum Pelaſgis permiſcet, cum Homero pugnat, qui loco paullo ante recitato Caucones a Pelaſgis diſpeſcit. Tamen qui ſic cenſuerunt, id ſpectarunt, quod utrique πολυπλάνητοι *errones* eſſent (pluries enim lib. XII. & alibi laudatus geographus Caucones aeque vagos ac Pelaſgos facit) imo & quod utriq. ex Arcadia profecti quibusdam viderentur. Idem Strabo lib. VIII. pag. 345. Πλείους δ' εἰσὶ λόγοι περὶ τῶν Καυκώνων· καὶ γὰρ Ἀρκαδικὸν ἔθνος φασὶ, καθάπερ τὸ Πελασγικὸν, καὶ πλανητικὸν ἄλλως ὥσπερ ἐκεῖνο. *De Cauconibus varia feruntur: nam iis Arcadicum fuiſſe genus perhibent, ut & Pelaſgis: quorum utrique peraeque errones erant.* Mox addit, eosdem Caucones apud Homerum auxilio Trojanis veniſſe, ſed non dici ex utra Cauconide (Paphlagonica ne an Peloponneſiaca) ſed tamen videri potius veniſſe ex Paphlagonica. Haec ibi. At lib. XII. poſt verba initio hujus adnotationis adſcripta, addit Calliſthenem duos hosce verſiculos in recenſionem Homericam aſſuiſſe:

Καύκωνας δ' αὖτ' ἦγε Πολυκλέος υἱὸς ἀμύμων,
Οἳ περὶ Παρθένιον ποταμὸν κλυτὰ δώματ' ἔναιον.
Cauconas duxit proles generoſa Polyclis,
Circa Parthenium ſedes quibus obtigit amnem.

Ex quibus apparet non poſſe ambigi, quin ex Paphlagonia, non autem ex Peloponneſo, Caucones Priamo ſuppetias tulerint. Nam vel ſi verſus illi Homerici non fuerint, id ſaltem certum eſt, Calliſthenis aevo non fuiſſe dubitatum, quin Caucones ex Paphlagonia Trojam venerint.

(8) *De Peloponneſi Cauconibus ex Homero, Strabone & aliis. Ejus* καθόλου *epocham Strabo Pelopis & Danai coloniis ſuoparem aeſtimat.*

De Cauconibus Peloponneſiis teſtes habeo tum plures alios, tum Strabonem locis pluribus, ac praeſertim lib. VIII. pag. 342. ubi eos duplices fuiſſe ait, alios Triphyliaa incolas apud Meſſeniam, alios vero circa Dymam, Elidem, & amnem Cauconem diffuſos, ac de his alteris intelligi oportere Homeri locum Od. Γ. 366. ubi Minerva Mentorem ementita ait:

. . . Αὐτὰρ ἠῶθεν μετὰ Καύκωνας μεγαθύμους
Εἶμ', ἔνθα χρεῖός μοι ὀφέλλεται.
Magnanimos ſed mane equidem Cauconas adibo,
Exacturus eam, quae dudum credita ſumma eſt.

Nam niſi de poſterioribus Cauconibus, qui diverſi erant a Triphyliacis, intelligatur, non poſſe conſtare poëtae ſummo rationes, contendit. At mox eodem ipſo libro pag. 345. de eâdem duplici Cauconia differens, ait, errare eos qui totam Eleam fuiſſe Cauconiam putant, ſed illas Cauconum ſedes duplices, tum ex auctoribus aliis, tum ex Homeri recitato loco colligi neceſſario.

Ex huc uſque dictis duabus maxime in regionibus inter ſe valde remotis Cauconas habitaſſe conſtat, in Paphlagonia, & in Peloponneſi duobus locis; & quidem utrorumque ab Homero mentionem fieri, de Peloponneſiis quidem in modo adducto Odyſſeae loco, de Paphlagonicis autem in Iliadis X. unde Cauconum ſuppetias veniſſe Priamo, etiam Strabo (lib. VIII. pag. 345.) agnoſcit. Nunc quaerat hic aliquis, utri priores alteris fuerint, utri alterorum ἄποικοι, *coloni*. Quidquid Palmerius „ & alii dixerint; equidem ita ſtatuo, quandoquidem Caucones ἀνέκαθεν *Scythae* ſive *Gogari* ſunt; eos, ubi primum ex Gogarene prodierunt, in viciniore Paphlagonia prius conſediſſe; mox in Peloponneſum colonias tranſcripſiſſe; proinde Cauconas Peloponneſios Cauconum Paphlagonum colonos eſſe. Quando autem Homerus utrorumque Cauconum meminit, neceſſe eſt, ante Trojae excidium Caucones non tantum in Paphlagoniam, ſed & in Peloponneſum irrupiſſe: niſi vero κατὰ πρόληψιν Poëta Troica tempora ad poſteriorem aetatem accommodarit. Sed praeſtat rem antiquiorem Homero fateri. Nam facile tum, cum Pelops Phrygas colonos in eam peninſulam deduxit, Caucones aut ſe comites praebuerunt, aut certe alioqui circa idem tempus eorum adventus accidit. Innuere id videtur Strabo (lib. VII. pag. 321.) quo loco Graeciam olim barbaram fuiſſe contendit: Πέλοπος μὲν ἐκ τῆς Φρυγίας ἐπαγομένου λαὸν εἰς τὴν ἀπ' αὐτοῦ κληθεῖσαν Πελοπόννησον, Δαναοῦ δὲ ἐξ Αἰγύπτου, Δρυόπων τε καὶ Καυκώνων, καὶ Πελασγῶν, καὶ Λελέγων, καὶ ἄλλων τοιούτων κατανειμαμένων τὰ ἐντὸς ἰσθμοῦ καὶ τὰ ἐκτὸς δέ. *Quando & Pelops e Phrygia ſecum*

cum

Poſtremo & *Cauchorum* gens in Germania percelebris ac longe lateque ad ſeptemtrionalem Oceanum ab Amiſia amni ad Albim diffuſa [quorum (9) deſcriptionem videbis inferne poſitam] jure ſuo poſſit de origine a *Gog* diſceptare . Vtinam autem , ſicuti ſup. Caucona͏s a Scythis propagatos productis teſtibus demonſtravimus , ita & de Caucorum non diſpari origine auctores idoneos proferre poſſemus. Nunc quando in gente Germanica , h. e. illitterata ac ſero ceteris mortalibus agnita , fruſtra veteres origines perſcrutamur ; ſi conjecturae locus eſt , nihil facilius dictu erit , quam ſuſpicari Gogi poſteros emenſa Europae Sarmatia [quae una regio Germaniam a Scythia Aſiatica ſemovet] ſedes illas invaſiſſe , quas deinde ſub *Caucorum* nomine ante hominum memoriam tenuerunt . Favet huic conjecturae Strabo lib. XII. aut non valde diſſentit , ubi de iis , quae ante bellum Trojanum acciderunt , diſſerit hiſce verbis : *Τότε γὰρ Πελασγῶν ἦν φῦλον , καὶ τῶν Καυκώνων , καὶ Λελέγων · εἴρηται δὲ ὅτι πολλαχῆ τῆς Εὐρώπης ἐτύγχανε τὸ παλαιὸν πλανώμενα* . Ait , antiquiſſimis illis temporibus Pelaſgos , Caucones , Leleges longe lateque per Europam palantes diſcurriſſe .

Ad Caucorum nomen proxime accedit Vaccaeorum urbs *Cauca* in Hiſpania , quae nunc *Coca* dicitur . Sed quis praeſtare auſit etiam *Caucaeos* iſtos , ut & omnes tales *ὁμωνύμως* ex Gogo ortos ? Satis fuerit , ſi Caucona͏s oſtenderim Gogi poſteris *ὁμοφύλως* fuiſſe . Ceterum cum Cauconum gens per Europam errabunda diu fuerit ; non eſt incredibile , eos non tantum in Graeciam , ſed & in Germaniam & Hiſpanias aliquando penetraſſe .

Haec habui dicere de *Gog* & *Magog* : quae duo nomina in Divina Joannis Apocalypſi pro gentium univerſitate meo judicio exempli cauſa ponuntur . Nam quia Gogi poſteri tum ſub *Cauconum* , tum ſub alio atque alio nobis incomperto nomine terras late omnes aliquando inundarunt (idem de *Magogidis* dictum eſto) & quia ceteroqui Scythiam fuiſſe omni tempore gentium ſeminarium , univerſa antiquitas loquitur ; hinc ſatis Joanni ad ſpecimen aliquod fuit , ſi gentium univerſitatem duobus tantum fecundiſſimis parentibus nominatis deſignaret . Locus ſic habet Apoc. XX. 7. [Poſt illos mille annos] *Solvetur Satanas . . . & ſeducet gentes , quae ſunt ſuper quatuor angules terrae , Gog & Magog* (Gr. τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγὼγ i. e. Gogidas & Magogidas late per terras omnes diffuſos) *& congregabit eos in praelium , quorum numerus eſt ſicut arena maris.*

SECTIO III. MADAI.

Cum in Iſaia , in IV. Regum , in Daniele & in Esdra *Madai* nomine *Media* intelligatur ; haud temere hanc a *Madai* Japhetida quaſi primo conditore , id nomen adſecutam , omnis antiquitas credidit , idque pro certo Bochartus habuit . At contra Joſephus Medus Anglus rem indigniſſimam ratus , ſi huic Japheti filio (Japhetidis autem Gen. X. 5. *Inſulae* aſſignantur) non *inſula* h. e. maritima regio , ſed mediterranea tribueretur , eaque circumſepta quaquaverſum Semidarum provinciis ; hinc noſtrum hunc *Madai* in Macedoniam ablegavit : cujus antiquum nomen *Aemathia* ſic ille interpretatur , quaſi ſit אי כרי h. e. *I* (ſeu *Ae*) *Madai* , quod eſt *inſula Madai* ; aut αἶα (h. e. *terra*) *Madai* . Hactenus dicta non me magnopere moverent ; nec enim video cur dedecuerit in medio Semidarum habitare

eum adduxit populum in cognominatam a ſe Peloponneſum , & ex Aegypto Danaus , & Dryopes , CAVCONES , Pelaſgi , Leleges , aliique non tantum intra iſthmum ſita obtinuerunt , ſed & quae extra ſunt . Ante haec tempora imo & paullo poſt Strabo peninſulam a barbaris tentam contendit .

(9) Hi populi in Strabone lib. VII. pag. 291. Καῦκοι ſine ulla aſpiratione ſcribuntur : at Tacito C anterius aſpiratur , ſicuti & Dioni (qui lib. LIV. eorum regionem Χαυκίδα *Chaucidem* vocat) contra Ptolemaeus poſterius aſpiravit . Hic quidem ſic eos deſcripſit , ut bifariam diſtingueret , in *Minores* atque *Majores* , quorum Καῦχοι οἱ μικροὶ *Cauchi minores* ab Amiſia ad uſque Viſurgim incolerent , mox Καῦχοι οἱ μείζους *majores* a Viſurgi ad Albim . Sed multus in iis eſt Tacitus , tum alibi , tum in *De mor. Germ.* cap. 35. *Chaucorum gens , quamquam incipiat a Friſiis ac partem litoris occupet ; omnium quas expoſui gentium lateribus obtenditur , donec in Cattos uſque ſinuetur . Tam immenſum terrarum ſpatium non tenent tantum Chauci , ſed & implent ; populus inter Germanos nobiliſſimus , quique magnitudinem ſuam malit juſtitia tueri ; ſine cupiditate , ſine impotentia , quieti ſecretique : nulla provocant bella , nullis raptibus aut latrociniis populantur* . Noſtra aetate Minores Cauci Friſiae Orientali , & Oldenburgico Comitatui reſpondent : at Majores ibi fuere , ubi nunc Bremenſis Ducatus eſt , & portio Lavemburgica .

bitare Japhetidam, cum Japheto promiſſum fuerit *habitare in tabernaculis Sem* Gen. IX. 27. Adhaec illud *Inſulae* (quas videtur Moſes Gen. X. 5. in commune Japhetidis aſſignare: *Ab his*, inquit, *diviſae ſunt inſulae gentium*) quam in partem ſit accipiendum, in imo (10) margine tangimus.

Illud majus eſt quod quae *Madai* veſtigia in Macedonia maximeque in Paeoniae finibus reperiſſe ſe Anglus laudatus ait, ea fort. ad *Cetthim* peculiariter pertinere, ut infra in loco dicam. Illud me magis permovet, quod in hoc tractu in Paeoniae finibus reperiſſe ſe *Medos*, ſive *Maedos* & *Maedicam* regionem, a *Madai* utique nomen adeptam oſtendit. Adhaec ſi quaeras, cur poſtea in ſacris paginis *Madai* nomine Media venerit; reſpondebit Noſter, Madai poſteros fort. ex priſcis ſuis ſedibus h. e. Macedonia, aliquando veniſſe in eam regionem, quae poſtea *Media* dicta fuit, eique nomen indidiſſe; id vero ante Iſaiae, & auctoris IV. Reg. aetatem eveniſſe, apud quos *Madai* eſt *Media*. His Calmetus addit, ex Strabone (cum quo & alios plures & antiquiores conſentientes video) conſtare, Medum Medeae filium *Mediae*, in qua regnabat, dediſſe nomen, idque aevo Argonautico h. e. ante Trojae excidium, ſive non paullo ante Iſaiae & auctoris IV. Reg. aetatem; ut non ſit mirandum, ſi bi regionem illam, diu ante ſe *Mediam* appellatam, vocarint *Madai*. Et omnia quidem in hac ſententia non inepte ſe habent. Illud minus pulchre tamen, quod quae *Madai* veſtigia nominis in Macedonia reperiſſe ſe Medus praedicat, ea ſint extra Macedoniam longe plura. Nam in eo Macedoniae tractu, qui Paeonia vocabatur, fuerunt quidem *Medi*: at *Maedica* regio non ibi fuit, ſed in ea Thraciae parte, quae inter Strymonem & Neſtum amnes montemq. Pangaeum porrigebatur. Ibi & *Maedica* regio, & *Maedorum* gens a Polybio, Livio, Ptolemaeo (cui ea pars Μαιδικὴ ϛρατηγία *Maedica praefectura* vocatur) & aliis ponitur. Adhaec in eadem Thracia & *Maduateni* populi, & in Thraciae Cherſoneſo urbs celeberrima *Madytos* erat. Longe plura ſunt haec Madai veſtigia, quae Thracia oſtentat, quam ſunt illi in Paeonia *Medi*; quos non difficile eſt de vicina Thracia & Medica regione illuc poſtea penetraſſe. Imo & diſerte hoc tradit Stephanus in Μαιδοὶ: quos ait gentem eſſe Thraciae, ac porro addit: Ἐκ τούτων μεταβάντες τινὲς εἰς Μακεδόνας, Μαιδοβίθυνοι ἐκλήθησαν. *Ex his nonnulli tranſgreſſi in Macedoniam, Maedobithyni ſunt appellati*. Vide de his etiam Strabonem lib. VII. pag. 295. & quos ibi citat Caſaubonus. Ex his, & aliis quae addi poſſent, intelligitur, ſiquid umquam in Macedonia *Maedici* nominis fuit, id ex Thracia manaſſe.

Ad ſummam videtur *Madai* principio quidem in Aſia cognominem illam *Mediam* frequentaſſe, quam Iſaias cum aliis pluribus totidem litteris *Madai* vocat. Factum hoc ad implendum vaticinium, *Habitet* (Japheth) *in tabernaculis Sem*. Creſcente mox ibi propagine, fuere qui in Thraciam, & inde in Paeoniam transfunderent ſemen. Teneatur ergo canon ille, ut ex ὁμωνύμοις locis, quae viciniora communi Noachidarum patriae ſunt, ea initio inſeſſa a cognominib. γενάρχαις fuerint: at mox eorum partem, ut laxius habitarent, aliiſve de cauſis, longius poſtea progreſſos.

Porro *Madai* iſtius filios nullos memorat Legiſlator: quocirca ad *Javanem* ſermonem convertimus, a quo procreati ſunt filii plures, ac memorabiles.

SECTIO IV. DE IAVAN EJVSQVE FILIIS.

Qui in Hebraeo & Latino codice IAVAN vocatur, ſi cum Hebraicis conſonis (יון) alias vocales conjungas, exiſtet ſive Ἰάων, ſive Ἴων: a quo *Iones* omnium confeſſione orti, qui tamen Homero & antiquis Ἰάονες quatuor ſyllabis vocabantur. Cum autem Ionia priſcis temporibus non multo plus Attica regione complecteretur; paullatim latius poſtea patuit, ita ut tandem ab iſthmo Corinthio ad Thraciam uſq. pertineret, & Graeciam univerſam contineret. Haec qui noſſe accuratius explicata cupit, legat ea apud Bochartum in Phaleg lib. III. cap. 3. Hanc ergo terrae Atticae Ioniam pleriq. eruditorum *Javanis*

(10) Hinc apparet, Japhetidarum ſortem fuiſſe inſulas, quas longe lateque circa diſſeminatas, & conglobatas circa Europam viſimus. Sed quia איים *jim* nomine etiam peninſulae veniunt; hinc liquet, merito in libro Judith Minorem Aſiam (unam ex maximis peninſulis) *fines Japheth* vocari, quippe cum in Japhetidarum habitacula ceſſerit. Imo & Europa ipſa tota quanta eſt (quia omni ex parte mari circumflua, iſthmo tantum excepto, quem hinc Tanais, illinc Obyus perſecant) peculium Japhetidarum fuit. Ac merito Japhetidis Moſes *inſulas gentium* dividundas aſſignat.

nis (h. e. Ionis) ſedem primitivam fuiſſe volunt, utpote ab antiquiore tempore nominis *Ioniae* poſſeſſione potitam : cui cedat neceſſe eſt illa altera Ionia, quae in Aſiae minoris occiduo littore inter Cariam & Aeolidem extendebatur, quippe quae non eſt Codri regno antiquior, cujus proles non multo poſt Troica tempora colonias quasdam, dictas *Ionicas*, illuc deduxit. Ob has rationes trita jamdiu fuit hominum exiſtimatio, non niſi Atticam cum Graecia Iavani tribuentium. Vide Bochartum in Iavan.

Teneo tamen equidem ſollemne meum, ut Iaphetidas primo ex communi Noachidarum patria egreſſu quantum poſſim magna ex parte in Aſia minore collocem, quippe cum eam regionem liber Judith *Fines Japhet* nuncuparit : de quo vide dicta in Diſſert. παραινετ. pag. 204. adnor. 8. Cumque de omnibus Iapheti filiis certo oſtendi non poſſit eos in Minorem Aſiam principio (etſi alio poſtea diverſuros) ſeceſſiſſe ; ſaltem in Iavane tribuſque filiis ita factum, non injucundum erit cognoſcere. Ac de patre Iavane, qui Graecis eſt *Iaon* aut *Ion*, hîc breviter ago : de filiis ejus *Eliſa*, *Tharſis*, *Cetthim*, *Dodanim* ſect. ſeq. paria demonſtraturus.

Et quidem quod Iavan in Aſiae Minoris παραλίᾳ initio conſederit, liquido demonſtrat *Ioniae* (antiquitus *Iaoniae*) nomen ei regioni partum. Non enim iis aſſentior, qui a quibusdam coloniis *Ionicis* poſt Trojae excidium in tractum illum qui Cariam & Aeolidem interjacet, deductis ejus in Aſia nominis initium repetunt. Quid enim aſſentiar, cum ejus deductionis narrationes non ſatis conſentiant, & in iis plura videantur ἀσύστατα ? Ex terra Attica cunctas profectas volunt : quod nemo admiſerit, quia eo tempore Attica anguſtior erat, quam pro tanta juventute ſuppeditanda, Athenae vero ipſae tunc ſatis adhuc urbs infrequens. Adde quod Herodotus (11) narrat has inter ſe colonias lingua non conſenſiſſe : ſatis ut ex ore appareat, colonias illas variis ex locis temporibuſq. profectas. Accedit quod ſi indidem coloni omnes tempore uno profecti, uno demum in Aſiae littore conſediſſent ; quis dubitat urbes haſce de amicitia & ὁμονοίᾳ invicem colenda per conventus, concilia, feſta, ludos fuiſſe cogitaturas? Atqui nihil ejuſmodi cautum aut actum legimus.

At illud maxime omnium incredibile, quod vulgo putant, Aſiaticae *Ioniae* nomen ab hiſce duodecim numero civitatibus in totam Aſiaticam Ioniam redundaſſe ; imo & mare Ionium, tam longe lateque diffuſum eisdem hiſce urbibus, vix terrae Aſiae angulum occupantibus, nomen debere ſuum. Haec quidem ſatis incredibilia, ac ſatis ceteroqui compertum Troicorum temporum narrationes, ſi minus in totum, at magna ex parte fabulis inquinatas ad nos perveniſſe. Ergo non niſi ab *Ionio* nomine, quod inditum Aſiae illi ab Iavan conditore fuit ; & mare totum quod ei peninſulae ex parte Europae obtenditur, *Ionium* appellatum, imo etiam urbes illae duodecim (quas ex varietate dialectorum, quibus utebantur, non ex Attica tantum ſed ex diverſis locis profectas fuiſſe neceſſe eſt) non a loco diſceſsûs (niſi vehementer erro) ſed a loco ad quem appulerunt, *Ionicae* dictae fuerunt ; quia priſtinae Ionis Moſaici ſedes jam ab initio *Ioniae* nomen jure ſuo ſibi adſciverant, & mare illud univerſum *Ionium* dicebatur. Sicuti & Atticae regionis *Ionia*, (quae a Iavanitis in περαίαν transfretantibus ortum haud dubie cepit) poſtea latius quotidie ſe diffundens, totam denique pervaſit Graeciam ab iſthmo Corinthio ad Thraciae uſque fines.

Poſtremo quaecumque de *Iavan* Minoris Aſiae conditore & auctore totius Ionii nominis dixi, mirifice confirmantur ex eo quod Iavanis filii ac praecipue *Tarſis*, *Cetthim*, & *Dodanim*, patrem ſecuti, in eadem hac peninſula fixere tentoria, uno forſitan excepto *Eliſa*, quem non certo conſtat in Minore Aſia ſui nominis reliquiſſe veſtigia, ſed potius Elidem in Peloponneſo condidiſſe. Verum de ſingulis Iavanis filiis ſeorſum diſſertum imus, & ita ut manifeſto appareat, *Tharſis* conditorem Tarſi Ciliciaeque fuiſſe, *Cetthim* Κητείους Homericos in eadem Aſia propagaſſe, *Dodanim Dardaniam* nomenque *Dardanium* in Troade ejusdem Min. Aſiae reliquiſſe.

SECT. V.

(11) Herodotus I. 142. *γλῶσσαν δὲ οὐ τὴν αὐτὴν οὗτοι νενομίκασι, ἀλλὰ τρόπους τέσσερας παραγωγέων*. *Hi* (de Ionicis XII. civitatibus loquitur) *linguam non eamdem, ſed quatuor derivationum modis variatam de more uſurpant*. Haec linguarum diſcrimina ubi pluribus civitatibus nominatim tribuiſſet, ad extremum ait : *εἰσὶ χαρακτῆρες γλώσσης τέσσερες γίνονται*. *Atque hunc in modum quatuor apud eos ſunt formae linguarum*.

SECT. V. *DE IAVANIS FILIIS ELISA, TARSIS, CETTHIM, DODANIM.*

§. 1. *De ELISA Elidis conditore.*

Si Joſepho ſit fides; *Eliſa* habendus erit *Aeoliorum* parens. Horum in Troade ſedes fuit, h. e. in Minore illa Aſia, quam *Iavan* Eliſae pater, quamque fratres ejus *Tharſis*, *Cetthim*, *Dodanim* tenuerunt. Commoda ſatis opinio, quae adhace illuſtriorem efficit libri Judith locum illum, quo Aſia minor vocatur *Fines Iaphet*; quia Joſepho teſte *Eliſa* Iapheti nepos in Troade ſedes habuit, ibique Aeoliam condidit. Verum etſi nihil facilius fuit, quam ut *Eliſa* primo ex Armenia diſceſſu aliquamdiu in *finibus Iaphet* cum patre fratribuſque reſtiterit; tamen quia nulla ibi veſtigia *Eliſae* nominis ſuperfuerunt (praeter *Aeoliorum* qualemcumque ſimilitudinem: quos ceteroqui plerique aliunde advenas fuiſſe volunt) ſatius eſt affirmare, *Eliſam* pererrata tantum Aſia Minore, non multo poſt Peloponneſo ac maxime in *Elide* ſibi ſedem ſtabiliviſſe. Videatur Bochartus de Eliſa, quem Elidis conditorem facit.

§. 2. THARSIS.

De triplici Tharſis: de Tharſis Salomonica, deque navibus Tarſis.

Duae ſunt (praeter minoris momenti ceteras) de hujus *Tharſis* provincia opiniones: una antiquorum plurium ac recentiorum, qui Ciliciam (cujus metropolis *Tarſus*) huic Japheti filio attribuunt: altera Bocharti, qui γενάρχην hunc in Gades uſque & Baeticae *Tarteſſum* abduxit. At ita uti fit, dum quiſq. ſuis ſtudent partibus, in alteras, quaſi ſi ſecum redire in gratiam nequeant, inſurgunt, atque haud raro plumbeis gladiis. Cujuſmodi illud eſt, quod Calmetus pro Cilicia militans, negat *Tarteſſum* (cui Phoenicia quaedam inſtituta, & Herculis Phoenicii cultum Bochartus tribuerat, ſed non in alium finem, quam ut oſtenderet, Ezechielicum *Tharſis*, quocum Tyrus exercebat commercia, eſſe ipſam Tarteſſum) negat, inquam, Tarteſſum poſſe venire nomine τῦ *Tharſis*, a quo (utpote *Iavanis*, parentis Graecorum, filio) non aliud ſcil. quam Graecam urbem expectare debeas. Suavis ratiocinatio: quaſi vero Babelicis temporibus Graecum uſpiam aut Hellenicum nomen auditum fuerit. Vel Thucydides, Strabo, tot alii in conſilium adhibeantur, qui Graeciam ipſam tum intra, tum extra iſthmum, diutiſſime barbaram fuiſſe praedicant; tum ſcil. quando Pelaſgi, Caucones, Leleges, Cares, tot aliae barbarae gentes illas tenebant regiones, quae diu poſtea Ἑλλὰς coepere dici.

Equidem hoc primum ſtatuo, in hoc quidem certe Moſis loco ſub *Tharſis* nomine Ciliciae Tarſum eſſe intelligendam, urbem antiquiſſimam atque omni aevo celeberrimam; adde & longe viciniorem communi Japhetidarum patriae, ac poſtremo in Aſia minore poſitam, quam & pater & fratres de quibus videbimus, tenuerunt. Accedit quod ubicumque duo loci cognomines de aliquo ex his γενάρχαις decertant, ita ſemper rationes inire ſoleo, ut in pari cauſa viciniori dem palmam: verum hac lege, ut ſecutis temporibus colonos in longinquiorem alteram ſcripſiſſe credatur. Certe hunc Tharſis, ubi primum ex priſtinis Japhetidarum ſedibus, terras quaeſiturus erupit, longe eſt veriſimilius in vicina Cilicia non longe a patre & fratribus conſediſſe, quam immenſos terrarum ac marium tractus fuiſſe emenſurum, atque in ultimos terrae terminos penetraturum, ut tandem in Baeticae littore conſiſteret. Atque hanc demum Ciliciae metropolim eſſe *Tarſis* illam in Jonae hiſtoria nominatam, non eſt cur quiſquam abnuat; etſi Jonae tempore potuerit jam alibi terrarum alia Tarſis eſſe. Multo vero magis hoc idem de hoc Moſis loco credendum, quo ſcribente non dubito quin una tantummodo *Tarſis* eſſet, eaque in Cilicia, τῦ *Tarſis* Javanitae opus.

Ergo illud propius fidem eſt, in Baeticam ſerius penetraſſe mortales, ſive poſt expugnatae ab Joſua Palaeſtinae tempora, ſive potius aliquanto tardius. Utut res ſe habet de Tarteſſi conditae aevo, deque ejus conditoribus; illud eſt exploratum, hanc eodem nomine (12) *Tarſis* fuiſſe appellatam.

Nec vero eſt abſonum (quantum ab omnis aevi

(12) Eodem quidem nomine, ſed variante dialecto. Nam Hebraeis ubique paſſim תרשיש *Tarſhiſh* vocatur. Sed quia ש Hebraicum Chaldaei Syrique ſaepiſſime in T commutant, idcirco ex *Tarſis* ortum eſt Tartis & cum terminatione apud nos uſitata *Tarteſſus*. Nec tamen apud omnes *Tarteſſus* audivit, quia apud Polybium (lib. III. pag. 248. edit. Amſtel.) in Tab. foederis inter Poenos Romanoſque ſanciti Θαρσεῖον nuncupatur propius Hebraeam quam Chaldaicam dialectum. Hujus nomen patrium Θαρσεάτης & contracte Θαρσείτης fuiſſet: ſed Stephanus

aevi hiſtoria intelligo) ut plures eodem nomine urbes conderentur, non tantum ab iiſdem, verum & a diverſi generis conditoribus. Quocirca nulla per me mora erit, quin Ezechielicos de *Tarſenſibus* negotiatoribus locos, ita ut a Bocharto ſcite fit, de Tarteſſo Gaditana intelligas; quam jam ante Ezechielis aevum conditam, ac frequentibus Phoenicum navigationibus petitam, rite colligas: quam dudum autem ante Ezechielis aetatem Tarteſſus exſtiterit, nemo facile praeſtabit. Vides interim, quantum ſit inter utramque *Tarſum* diſcriminis, ab antiquitate, & loco. Quod ſi de conditoribus Gaditanae agitur, non aliud initio Tarteſſus fuiſſe videtur, quam Tarſenſium Ciliciae colonia, quae commerciorum opportunitate fortaſſis pellecta, de cognomine urbe condenda cogitarit.

Nec dum tamen videor omnes nominis ejusdem locos perſecutus: nam & tertia item *Tarſis* fuerit oportet, ſi Regum & Paralipomenon libros audimus: ex quibus fit manifeſtum, claſſem Salomonicam ex mari Rubro ſolventem, in Tarſis adnavigare conſueviſſe, atque inde tertio anno aurum, totque alias merces advexiſſe. Vide Sam. 1. X. 22. ubi ſcribitur: *Claſſis regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in THARSIS, deferens inde aurum*, & ceteras Ophir opes. Pluries de hac navigatione in libris Samuelis & Paralip. agitur. Ex quibus liquet, non fuiſſe huic claſſi propoſitum, ut Tarteſſum peteret, multo minus, ut Tarſum Ciliciae, alioſve maris Interni locos: in quos ſi Salomonis claſſiarii cogitaſſent, nae illi ex portubus Interni maris, non vero ſinûs Arabici, ſolviſſent. Fuit ergo & *Tarſis* alia, eaque per Oceanum adeunda. Scio hanc de *Tarſis* Salomonica diſputationem cum inquiſitione altera de *Ophirae* ſitu eſſe conſertam. Etſi vero de *Ophir* non eſt hic locus, tamen, quandoquidem de *Tarſis* occepi; de ea & hoc quod reſtat, admetiar. Quaerendum ergo eſt, ubinam gentium Tharſis haec tertia fuerit. Mihi quidem, niſi vehementer fallor, non aliud Tharſis illa, quo claſſis Salomonica contendebat, quam *Tarſiana* (13) Carmaniae fuiſſe videtur. Nec longe urbs *Tarſiana* aberat a Sagani oſtiis, per quae is fluvius in Orientale Sinus Perſici litus haud longe a freto ſe exonerat. Vide hujus urbis poſitum in Agathodaemonis Tab. VI. Aſiae. Atque in urbe *Tarſiana* nundinas fuiſſe auguror, quo negotiatores convenirent, tum qui de *Ophir* aurum afferrent, tum qui ex Arabia, Perſide, India, ceteriſque provinciis quaquaverſum poſitis merces alias exquiſitiſſimas. Nulli vero mirum videatur triennium in ea expeditione impenſum: quia tunc temporis artis imperitia, nauticae acus defectus, & ſimilia navigationes remorabantur, atque in primis illud, quod veriſimile eſt Claſſem Palaeſtinam toto itinere in itu ac reditu in portubus plurimis ſubſtitiſſe, variorum locorum nundinationi intentam.

---

phanus citato Polybio Θυρσίτας cum E affert. Θυρσίται, inquit, ἔθνος Ἰβηρικὸν· Πολύβιος τρίτῳ. *Therſitae, gens eſt Iberica. Polybius* lib. III.

(13) *Vrbs Tarſiana ex Ptolemaeo in Carmania adſtruitur, ex promontorio cognomine ſic dicta. Id promontorium in Arriano & Plinio illuſtratur.*

Vrbis hujus non alius, quem ſciam, meminit, quam Ptolemaeus VI. 8. ubi inter *Choddam* & *Alexandriam* Ταρσιάνα legitur; etſi ibi moneatur lector, in Palatino reperiri Ταρουάνα· ſicuti & in Agathodaemonis Tabula *Taruana* nunc legitur. Verum nihil eſt, cur omnium Ptolemaei codicum Graecorum Latinorumque ſcripturae unus Palatinus praeferatur. Ac mihi perſuadeo, eos qui Tabulas Agathodaemonis recenſuerunt, id dediſſe operam, ut Palatina ſcriptura in eas Tabulas admitteretur, atque ex *Tarſiana* feciſſe *Taruanam*.

Ceterum uti ſcripturam qua Ταρσιάνα legitur, praeferam, facit in primis Arrianus in Indicis pag. 353. num. 37. ubi *Tarſiam* promontorium agnoſcit in Carmaniae finibus, his verbis: Ἐνθένδε ὑδρευσάμενοι καταίρουσιν ἐς ΤΑΡΣΙ'ΗΝ ἌΚΡΗΝ; ἀνατείνουσαν ἐς τὸ πέλαγος. *Inde* (h. e. ex *Pylora* inſ.) *ubi tantum aquati fuiſſemus, in TARSIAM promontorium, longe in mare porrectum, deferuntur*. Hoc vero promontorium ad Carmaniam pertinuiſſe, declarant quae Arrianus ſubjicit: *Ad hunc uſque locum Carmania pertinet: citeriora Perſae tenent*. Ad hujus ergo promontorii radices urbs *Tarſiana* (prave in Pal. *Taruana*, ut ſupra monui, ſeſe explicabat, non ſine portu) ut ipſa Arriani narratio ſuadet.

Ceterum ſi Arrianus cum Plinio conferatur, multo plus lucis utrique affundetur. Plinius ergo lib. VI. cap. 25. in Carmaniae deſcriptione ita loquitur: *Ibi portus Macedonum*. Quis ſcit an non idem ille portus, in quo olim Salomonica hiemabat claſſis, qui aevo Salomonico *Tarſis* (ſicuti & promontorium ab Arriano memoratum) dicebatur? Pergit Plinius: *Et arae Alexandri in promontorio*. Illud promontorium κατ' ἐξοχὴν intelligit; quod Arrianus *Tarſiam* nuncupavit. Sequitur: *Amnes: Saganos*, ac poſt alii. Sed *Sagani* amnis mentio ſatis oſtendit, de ea Car-

tentam. Atque haec mea eſt de Tharſis Salomonica opinatio. Nec plura locus hic poſtulat: praeſertim quia illud potius in tranſitu praeſtat excutere, quid vox *Tarſis* & naves *Tharſis* ſibi velint.

DIGRESSIO de Biblica navium Tarſis notione.

Sunt qui cum Sanctio Jeſuita, *Tarſis* in pleriſque Scripturae locis non aliud eſſe quam *Mare* putent: veluti *naves Tharſis* ſunt naves *marinae*, quatenus a cymbis amnicis diſtinguuntur, quibus illae grandiores & inſtructiores ſunt, ac tales, quae poſſint longis ac periculoſis navigationibus ſe committere. Hos ſi audimus, nihil neceſſe erit certum ac definitum locum, cui *Tarſis* nomen fuerit, adſtruere, quo Palaeſtina claſſis curſum dirigeret; quia *Tharſis γνωνὸν maris* nomen eſt, uti diximus: & 3. Reg. X. 22. ubi in Vulgata legitur, *Claſſis . . . ibat in Tharſis*, in Heb. non aliud eſt, quam אני תרשיש *oni Tarſis*, i. e. *navis τῦ Tarſis*, ſive *navis marina*. Ac fuit, cum id amplecterer pluribus (14) de cauſis.

Sed fregit me tandem duplex Paralipomenon locus, in quorum uno (2. Paral. IX. 21.) ſic legitur in Hebraeo: *Nam naves regis* (הלכות תרשיש *holechoth Tharſis*) *euntes in Tharſis . . . ſemel per ternos annos, veniebant naves* (inquam illae) *τῦ Tarſis portantes aurum* &c. ubi vides tantumdem eſſe *naves τῦ Tarſis* ac quod prius dixit, *naves euntes in Tarſis*. In altero vero (2. Par. X. 36.) Joſaphat collatis cum Ochozia operis, claſſem fecit ללכת תרשיש *lalechet Tharſis* i. e. *ad eundum in Tharſis*: verum (mox v. ſeq.) ob foedus illud irato Numine contritae ſunt naves illae & non potuerunt (ללכת אל-תרשיש *lalecheth el Tarſis*) *ire in Tarſis*. Nec patet illud effugium, nim. *ad eundum in Tarſis* perinde eſſe ac ſi dixiſſet *ad ſulcandum mare* (h. e. mare magnum, non vero ad lacus Palaeſtinae) quia jam admonuerat ſcriptor, naves illas in portu Aſiongaber fabricatas fuiſſe; ineptum eſt autem, naves quae in marinis portubus conficiuntur, cum lintribus & id genus aliis potuiſſe confundi. Verum etſi his locis difficile & abſurdum eſt nomine *Tarſis* poſſe univerſe *mare* intelligi: tamen ſiquis ita ſe obfirmet, quid ei facias? Et Calmeti certe exceptio eſt frigidiſſima: quem (15) videſis ad hunc locum. Verum, ut eo redeam, in his

---

Carmaniae parte loqui Plinium, in qua & celebre Arriani promontorium *Tarſia*, & urbs Ptolemaei *Tarſiana* ſita fuerat.

(14) Ac primum omnium in Graecis Interpp. Iſ. II. 16. pro *Tarſis* eſt *maris*, τῶν πλοίων θαλάσσης: Id vero in Vulgata frequentius eſt, ut 3. Reg. XXII. 49. Iſ. XXIII 1. 14. & LX. 9. Ezech. I. 16. & XXVII. 25. Ex quo palam eſt, quid Hieronymus (aut vero veteres interpretes alii, quorum non pauca in Vulgatam transfuſa ſunt) putarit eſſe *Tarſis*. Jonathanem etiam Paraphraſten in Jonae hiſtoria τὸ *Tharſis* interpretatum *Mare*, comperio: quod credibile eſt & alibi ſaepe in Targumim factum. Rimetur haec cui tanti res fuerit. Sed & in pluribus aliis Scripturae locis (quae vide citata a Calmeto hic) *Naves maris* occurrunt. Quamquam utrum in his locis *naves maris* tantumdem ſint ac *Tharſis*, inutile eſt quaerere; quia *naves Tharſis* (quocumque modo τὸ *Tharſis* interpretere) non poterant non *maris* eſſe. Itaque deſinamus ultra huic argumento immorari; praeſertim cum vox ipſa *Tharſis*, ſive eam navibus, ſive locis tribuas, *marinum* ne ſcio quid notaſſe apud Orientales videntur. Ab eo enim vocabulo, ſi primam litteram (quae ſervilis eſt, Calaſio judice) removeas; quod reſtat, Arabice notiones habet non diſſonas nauticis: ſicuti & eâdem reaſſumptâ ſervili, Arabicum תרשאש *Tharſas* eſt *aſperſio*. Id ſi eſt; *naves Tharſis* erunt fort. quae maris aſpergine irrorantur: quaecumque vero loca *Tharſis* nomen tulerunt, ob eamdem cauſam ita forſan vocata, quia maritima, ac madentia maris aſpergine: unde Pſ. LXXI. 10 *Reges Tharſis & inſulae* συνωνύμως uſurpantur; quia non magis איים *jim* (*inſulae*) quam *Tharſis*, loca ſunt, quae mari alluuntur, idque notare nata videntur. Alioqui ſi *Tharſis* unus eſt ſingularis locus; *Rex* dixiſſet, non *reges*. Atque ea ſunt, quae olim in hanc ſententiam in mentem venerunt.

(15) Calmetus ad Gen. X. 4. In eo totus eſt, ut contendat, non alium fuiſſe *Tarſis*, quam Tarſum Ciliciae. Itaque ubicumque *Tarſis* occurrit, illud Ciliciae Tarſo accommodat. *Naves Tarſis*, ei ſi credimus, ſunt naves tales, quae poſſint tantum iter tolerare, quantum ab Joppe in Ciliciam eſt. Id etſi durum & improprium eſt (nec enim alia loca deerant per mare internum adeunda, ut ſola Tarſus terminus navigationum exſtiterit) tamen eſto. At illud ferri non poteſt, quod duos Paralip. locos eamdem in partem torquere conatur. Quis ei dicenti credat, *naves* (*holechoth Tharſis*) *euntes Tharſis* idem eſſe, ac quae tales ſint, ut in Ciliciam adnavigare poſſent, etſi ex portu Maris Rubri ſolverent? Deinde ex eo quid ſequitur? nempe in altero Paral.

bis duobus Paralip. locis, ſi bona fide volumus agere, non poteſt non aliquis terminus navigationis intelligi. Itaque nulla eſt translatio ex antiquis, quae ibi pro *Tarſis*, *mare* poſuerit. Quocirca admittendam eſſe cenſeo tertiam *Tarſis*, quam claſſis regum Juda petebat: eam vero *Tarſianam* Carmaniae eſſe puto in ſinu Perſico, quam ſupra demonſtravi. Atque haec de *Tarſis* tribus: inter quas ſolam illam Ciliciae τοῦ *Tarſis* Japhetidae opus fuiſſe certo ſcimus: nam ceterae cujus opus fuerint, incertum. Niſi quod prona eſt conjectura, a Tarſenſibus Ciliciae, ubi primum navigatione, opibus, potentiâ florere coeperunt, cognomines alibi fundatas colonias, in primis Tarteſſum (h. e. *Tarſum*) in Baetica, itemque in Carmania Tarſianam. Haec vero Carmaniae potuit illa eſſe, quam Salomonica claſſis petebat.

§. 3. CETTHIM.

I. *Gentes plurimae a Cetthim ſatae.*

Originem ſuam a *Cetthim* plures orbis partes oſtentant, deque ea decertant, *Macedonia*, *Latium* cum vetere *Italia*, *Cyprus*, adhaec *Cetis* Ciliciae, ac tandem meo judicio, multo potiore jure ac merito, *Teuthrania*, ſive Myſia circa Caicum. I. Ac primum pro duabus primis afferuntur a patronis ſuis argumenta minime inficianda, ut utri primatum adjudices, neſcias. Vide Bochartum pro Italia ſtrenue depugnantem, pro Macedonia vero praeter ceteros Calmetum. II. Adhaec pro Cypro Joſephus ſtat, & antiquorum alii poſt Joſephum; cujus locum in I. Antiq. 6. dignum eſt noſſe. Χέτιμος δὲ Χετιμὰ τὴν νῆσον ἔσχεν &c. *Chetimus autem Chetimam inſulam occupavit; quae nunc Cyprus dicitur: ab ea vero inſulae omnes & loca maritima* (Χετὶμ) *Chetim ab Hebraeis vocantur. Atque ejus, quod dico, teſtis mihi una urbium Cypriarum, quae nomen adhuc ſervare valuit: quae* (Κίτιος) *Citium iis dicitur: qui etſi ejus nomen ad Graecorum ingenium interpolarunt; tamen ne ſic quidem a Chetimi nomine multum abludit.* Quae eo integra protuli, ut animadvertas quid in Joſepho ſit diſcriminis inter γενάρχας ceteros, atque hunc *Cetthim*: in ceteris ferme parciſſimus, occupatas ab iis ſedes paucis indicat: in *Cetthim* contra luxuriat praeter ſolitum, ac tamquam in re explorata triumphat. Adhaec in ceteris ſolet hoc ſibi ſuo jure ſumere, cum hunc illumve populum ait ab uno aliquo ex Noachidis traxiſſe originem: ad *Chettim* autem ubi ventum eſt, etiam rationes & documenta ſententiae ſuae producit: quod argumento eſt, hanc originem apud Flavium compertam atque exploratam fuiſſe. Poſtremo de *Citthaeis* exſtat Menandri locus apud Joſephum IX. 14. quem non niſi de Cypri *Citthaeis* eſſe intelligendum Scaliger, Bochartus aliique adnotarunt. III. Adhaec & in Ciliciae ora maritima, qua parte Cypro obtenditur, *Cetis* eſt regio cujus deſcriptionem reperies apud Ptolemaeum V. 8. qui Cetidis hujus urbes maritimas ita recenſet: *Anemurium*, tum poſt *Orymagdi* fluminis oſtia tres alias urbes cum Sarpedone promontorio ad uſque *Calycadnum* amnem, ac tandem *Zephyrium* promontorium: in mediterraneis autem tantum *Olbaſa* notat. Cum Ptolemaeo confer Agathodaemonis primam Aſiae Tabulam. IV. Sed & de Homeri *Ceteis* reperias ex noſtris hominibus qui meminerint: ſed quam vellem de eorum ſitu ſollicitos ſe praebuiſſent. Atqui jamdiu de *Ceteis* Homericis brevem diſputationem pertexuerat Strabo lib. XIII. pag. 616. ad Od. Λ. 518. ubi de Neoptolemo ſermo eſt:

> Ἀλλ' οἷον τὸν Τηλεφίδην κατενήρατο χαλκῷ
> Ἥρω' Εὐρύπυλον, πολλοὶ δ' ἀμφ' αὐτὸν ἑταῖροι
> Κήτειοι κτείνοντο, γυναίων εἵνεκα δώρων.
>
> *Sed qualem quantumque heroem perculit haſta*
> *Telephidem Eurypylum! circum & ſocia agmina mixtim*
> *CETEI, propter muliebria dona, cadebant.*

Vbi Geographus ex eo quod Eurypyli regnum in locis circa Caicum ex Homero fuiſſe videatur: illic & *Ceteos* fuiſſe innuit, h. e. proprie in *Elaitide* ſive Teuthrania: de quibus infra pluribus. Et hi ergo *Cetei* ad *Cetthim* genus ſuum jure meritoque referent.

In hac autem contentione, eccuinam primatum adjudicabimus? Mihi, ut more meo agam, videntur *Cetthim* non in unum locum (quod pleriq. hic alibiq. fecerunt) cogendi,

Paral. loco *lalecbeth Tarſis*, i. e. *ad eundum in Tharſis* non erit aliud, quam εἰς τὸ *poſſe ire Tarſum*. Nimirum eo res redit, ut Joſaphat una cum Ochozia in Mari Rubro claſſem fecerit, quae poſſet ire per mediterraneum in Ciliciam: deinde confractae naves illae *non obtinuerunt* (Hebraea interpretor) *ire in Tharſis* i. e. ſi Calmeto credimus, non obtinuerunt tales eſſe, quae poſſent ire in Ciliciam. Ad iſta quis riſum teneat?

ſed haec ſimul loca videntur diverſis temporibus occupaſſe ; idque ipſum inſinuaſſe Moſes, dum non *Ceth* , ſed *Cetthim* numero multitudinis ſcripſit ; nimirum quia jam tum, dum haec Moſes exararet , plura jam loca Cetthaei inſederant . Confer quae ſupra in Diſſert. Πα αρχαιας. ſect. V. de his Noachidarum nominibus in IM terminatis adnotavimus . Niſi vero προφητικῶς ea nomina terminaſſe in IM Legiſlatorem malimus : nim. ita ut, quos ſecuturis temporibus pluribus in locis habitaturos , animo providiſſet, eorum nomina plurativâ terminatione tanto ante donaverit : quod parum eruditos adprobaturos , ſatis ſcio . Fallitur autem Aben-Ezra , cui כתים *Chittim* loci hujus eſt שם יחיד *ſem jachid* i. e. *nomen ſingulare* , quamvis plurativam formam referre videatur : fallitur , quia *Mem* certe in hoc nomine ad radicem non pertinet , & fit ea vox ex radice duplicante ſecundam , ut inferne (16) adnotatum vides .

II. *De Cetthim primitivis , in Teuthrania , mox in Cilicia & Latio .*

Quaerat hîc aliquis, ubinam *Cetthim* primo ex communi patria diſceſſu conſederint : nec enim credibile eſt , dicta loca omnia ſemel ac ſimul eos occupaſſe . Ecqui ergo primi *Cetthei* fuerunt , ecqui vero horum coloni, aut (ſi ſic libet) colonorum deinceps coloni? Sane, ſi ea inſiſtenda via ſit in hoc negotio , ad quam ſupra in Diſſert. V. παραινεσ.. pag. 310. num. 2. 3. 4. digitum intendimus (nim. ut in hoc litigii genere ferme vicinioribus communi patriae locis primatus deferatur ; ita ut remotiores populi viciniorum ἄποικοι *coloni* plerumque fuerint) ſi haec inquam ineunda via ſit ; dicendum erit , *Cettheos* poſt alia proximiora loca , prout poſtulavit uſus , inſeſſa , tandem in Minorem Aſiam (h. e. in *fines Japhet* , ut in lib. Judith vocatur) incurriſſe, ac fort. primum in ea Ciliciae Aſperae parte conſediſſe, quae a *Ceteorum* utique incolatu , CETIS audivit , ſicuti & a Ptolemaeo vocatur . In eadem Cilicia Tarſis etiam hujus Chetimi frater (de quo proxime dictum) metatus fuerat : atque hinc hominibus & pecoribus augeſcentibus , ferme uti quondam Abram & Lot, ſic illi alio verſus ſe diffuderunt ; Tarſidae in Baeticam, ubi *Tarteſſum*, inque Carmaniam , ubi *Tarſianam* condiderunt ; itemq. Cetthei Cilices coacti ſunt per colonias exonerare vulgus , ut qui in montano & infelici Aſperae Ciliciae ſolo metati primum , ibi parum felicia pabula nacti eſſent . Atque ea cauſa fuerit , cur ab aevo uſque Moſis pluribus in locis *Cetthim* reperiantur ; quippe etiam in lib. Num. XXIV. 24. *Trieres de Italia* (Heb. *Chitthim*) memorantur . Ergo in Teuthraniam primum miſſis colonis, mox trajecto mari in Cyprum , in Macedoniam , in Italiam transfretarunt . Atque hoc, quem modo recitavi, ordine Cettheorum expeditiones proceſſiſſe olim augurabar .

Ar

---

(16) Mem in Chettim *ſervile eſſe ad formandum multitudinis numerum , non vero , quod Bochartus voluit , radicale .*

Mem ad radicem non pertinere , ſed formando plurali hîc inſervire , ex eo potes animadvertere , quod quicumque populi , urbes , loca ab hoc *Chettim* nomen derivativum habent , aut habere putantur , ea carent elemento M. Vide loca , quae a Bocharto recenſentur pro Italia , quaecumque ab aliis pro Macedonia , a *Chettim* deducta : quibus adde *Citium* in Cypro , *Cetidem* Ciliciae , *Ceteos* Homericos , ibiq. amnem *Ceteum* . Adhaec radicem hujus nominis eſſe ex duplicantibus ſecundam , arguit *Tau* geminatum. Nec inepte id nomen a כתת *cathath* , quod eſt *tundere* , *percutere* derivabitur . Nam Χεθὶμ Joſepho teſte (cui cur de ſignificatu Hebraici vocabuli auctorem ſe profitenti fidem abrogemus , non video) ſignificat *inſulas & loca maritima* ; idcirco autem id nomen regionibus littoralibus videtur inditum , quia marinis fluctibus aſſidue *tunduntur* : quae locutio poetis eſt perquam familiaris , quoties de maritimis loquuntur locis . Ex dictis potes intelligere quam pulchre hoc nomen Cettheis omnibus, tum Ciliciae aut Teuthraniae incolis , tum Cypri, Macedoniae, Italiae congruat, qui omnes maritimis locis inhaeſerunt. Confer eum his , quae modo de Arabica τῦ *Tarſis* etymologia enotabamus .

Antequam hinc abeo : Arabica τῦ *Cetthim* originatio a Bocharto tradita, ut ſit illa quidem ingenioſa , at cum locis Latii a *Chetthim* derivatis non belle cohaeret, a quibus M abeſt ; quod tamen in *Chettim* eſſe radicale vir magnus putavit . Quamquam bene eſt, quod idem non obfirmate contendit , *Mem* in ea voce pertinuiſſe ad radicem : nam eo mox labitur , ut dicat (pag. 160. 40.) *ſolam alluſionem vocum* כתים *Chittim* (in quo *Mem* ſervile eſt) & כתים *Chetim* (in quo eſt radicale, & Arabice ſignificat *latens*) *veteribus potuiſſe anſam dare vertendi Chittim in Latii vocem* . Id vero non aegre ei aſſentior . Idem enim *Chittim* , quod Hebraei apud Joſephum putarunt notare *inſulas* , Latini interpretati ſunt LATIVM , quaſi ſi *Chetim* cum uno T , & ſingulari numero dictum eſſet.

Digitized by Google

At nunc expenſa re melius, vela retrorſum dare cogor. Nam, ubi primam horum popular. de quibus eſt diſceptatio, antiquitatem ad obruſſam revocare coepi; ſtatim animadverti, Ceteos Homericos, qui circa Caicum erant, *Ceteis* Ciliciae Aſperae non tantum eſſe longo intervallo antiquiores, verum etiam eoſdem Homericos προγόνους Cilicum & conditores exſtitiſſe. Id, quibus ex indiciis deprehenderim, in ſubjecta (17) adnotatione expono. Quae cum ita ſint, primas τῶν *Cetthim* Moſaicorum ſedes in Myſia circa Caicum ſtabilias cenſeo, ac pro certo habeas, eos primo ex communi Japhetidarum patria diſceſſu totam, qua in longum porrigitur, terram *Japhet* (ſicuti in libro Judith nuncupatur Aſia Minor) percurriſſe, ſedes ſibi quaeſituros. Verum ubi ad Aegaei maris partem illam, qua ſinus Adramyttenus eſt, ventum fuit, ibi ad conſpectum maris, tamquam ad *Atria* (18) *mortis*, credo, expalluerunt, quippe ignari maritimi itineris: quocirca in Myſia circa Caicum (19) reſtiterunt; ubi *Ceteos* fuiſſe ſupra ex Homero & Strabone oſtendimus;

Ii 2 quibus

(17) *Ceteos Teuthraniae (quae eſt pars Myſiae) ab Homero decantatos maxima prae ceteris antiquitate pollere. Strabo ſuppletur & illuſtratur.*

Ac primum *Cetidis* regionis illius, quae in Aſpera Cilicia erat, nemo ante Ptolemaeum, quod ſciam, commeminit: at *Cetei* Teuthraniae incolae circa Caicum ſedentes, Homeri poëmate nobilitantur, de quibus poëta tamquam de populo Troïcis temporibus antiquiore loquitur.

Adhaec Cetei Homerici vicini & cognati *Cilicum* Homericorum (in Troade, Myſia & ſinu Adramytteno habitantium) erant, eidemque uterque populus regi parebant: id quod in ſequentibus demonſtrabitur. Quocirca unde in eam, quae nunc *Cilicia* ad Taurum montem eſt, venere primum *Cilices*, indidem & *Ceteos* in eamdem Ciliciam ſimul veniſſe neceſſe eſt. Atqui ex priore Cilicia, quae circa Troadem erat, migraſſe primum in alteram poſteriorem Cilicas, Strabo ex antiquorum ſententia tradit lib. XIII. pag. 627. Τὰς δὲ Κίλικας τὰς ἐν τῇ Τροίᾳ μετανασάντας, εἰς Συρίαν ἀνακεχωρηκότας, ἀποτεμέσθαι παρὰ τῶν Σύρων τὴν νῦν λεγομένην Κιλικίαν, *Cilicas qui in Troade erant, migraſſe in Syriam, Syriſque ademiſſe eam, quae nunc Cilicia dicitur*. Hoc ipſum jam antea Strabo ſuopte ipſe judicio conjecerat lib. XII. ad finem pag. 572. hac ratiocinatione uſus. Nam quemadmodum duplices olim Lycii fuerunt, tum Lycii *Troïci*, tum & alteri ad Cariam; horum autem unum fuiſſe communem ſtipitem, & unos ex alteris propagatos neceſſe eſt: idem de duplicibus Cilicibus (Trojania unis, alteris ad montem Taurum) dicendum erit. Haec praefatus, ſic ſubjicit: ὁ μὲν ἔχομέν γε τοιαύτης λαβεῖν μαρτυρίας, ὅτι καὶ πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἦσαν ἤδη οἱ νῦν Κίλικες· ὅτι Τήλεφος ἐκ τῆς Ἀρκαδίας ἀφῖχθαι νομίζοιτ' ἂν μετὰ τῆς μητρός. Coactus ſum equidem in verſione quaedam de meo infindere ad juvandam Geographi βραχυλογίαν: ceteroqui ſine ea parentheſi vix eſt, ut Amaſeni mentem aſſequare. Sic ergo interpretari libuit. *Atqui non licet nobis teſtem ullum producere, quo adſtruamus, eos, qui nunc ſunt Cilices, ante bellum Trojanum exſtitiſſe: nam Telephum* (qui Cilicibus in Myſia imperavit, non ex Cilicia ad Taurum ſita, ſed) *ex Arcadia una cum matre veniſſe, exiſtimari poteſt*. Vides non dubitaſſe Geographum quin Cilices Syrorum finitimi ex Trojanis Cilicibus ſint propagati. Atqui & Euſtathius id pro certo poſuit; qui ad Il. A. (pag. 119. 18.) ſic ſcribit: Τῶν δὲ ῥηθέντων Κιλίκων [nim. τῶν περὶ Θήβην] ἔνδοξος ἀποικία λέγεται· ἱστορεῖται γὰρ ὅτι οἱ κατὰ Παμφυλίαν Κίλικες ἀπὸ τῶν πρὸς τῇ Ἴδῃ ᾠκίσθησαν· αὐτοὶ δὲ πόθεν ἐκλήθησαν, προγέγραπται. i. e. *Horum, quos dixi Cilicum* (nim. Thebanorum in Myſia) *illuſtris colonia prodita litteris exſtat. Nam memoriae proditum fuit, Cilicas illos, qui Pamphyliae finitimi ſunt, ab iis qui ad Idam ſedes habebant, fuiſſe conditos. Illi vero* (Cilices conditores) *unde ſibi nomen quaeſierint, ſupra ſcriptum fuit*. Scripſerat ſup. pag. 33. ver. 39. a Cilla ſive Cillo Pelopis auriga *Cilicos* deinceps cognominatos: id quod & in Strabone reperias. Ex his vides, non poſſe dubitari, quin Cilicum Troïcorum alteri illi ad montem Taurum coloni fuerint (Harduinum contrarium docuiſſe apud eum alicubi legi) ex quo conſequitur, ne de eo quidem dubitari poſſe, quin, qui Aſperam Ciliciam *Cetei* incolebant, ex illis Ceteis fuerint, qui in Myſia (& vero una cum Cilicibus) eiſdem regibus Teuthranti deinde Telepho, mox Eurypylo paruerant. Atque haec migratio poſterior Troïcis temporibus Amaſeno viſa fuit: de quo alii viderint.

(18) *Adramyttium*, ubi Adramyttenus eſt ſinus, Hebraice ſignificat *Atria mortis*. Is locus paullo ſupra Teuthraniam & Caicum amnem ad ſeptemtrionem recedit: circa ſinum vero Adramyttenum Cilicas Homericos Ceteorum ὁμοφύλους ſediſſe certum eſt.

(19) Vide Strabonem lib. XIII. pag. 616. ubi ex Homero oſtendit colligi, *Ceteos* circa Caicum fuiſſe. Nam locus, quem ex Homero (Od. Λ. 518.) ſupra attulimus, Ceteos in Eurypyli regno fuiſſe docet: at hujus regnum in Myſia circa

quibus & ea licebit adjungere, quae in illum Poëtae locum tum idem (20) Strabo, tum (21) Euſtathius commentantur; quaeque de Cilicum & Ceteorum (22) ὁμοφυλίᾳ dici ex conjectura poſſunt.

Maneat ergo primas Ceteorum ſedes in Myſia circa Caicum fuiſſe, inde vero cum ſociis ſuis illis Cilicibus in Ciliciam (quae ab eorum adventu *Cilicia* vocata) Syriae finitimam commigraſſe. Cumque ſaepe-laudatus Amaſenus Scriptor, migrationem hanc poſteriorem Troicis temporibus fuiſſe exiſtimaverit; non ei nos quidem repugnabimus. Sed tamen cum Moſes *Cetthim* numero multitudinis dixerit (non ita uſurpaturus, ſi uno tantum loco Cetthidae ſuo tempore conſediſſent) quaerendum profecto numne poſt Teuthraniam ſedes altera Cetthaeorum fuerit antiquior Troicis imo & Moſaicis temporibus. Equidem non alias perantiquas eorum ſedes, quam Ciliciam & Latium, reperio. Vel lege quae Bochartus de Ceteis Italis attulit, quamque de meo ſymbolam ſum infra in Auctario collaturus; profecto intelliges, *Ceteorum* in Latium adventum cum univerſa fabulari hiſtoria conſertum eſſe, ac facile non tantum Iliacis, verum & Moſaicis temporibus anteceſſiſſe. Verum hanc, quam dixi ſymbolam, tamdiu differo, dum ceteras Cettheorum migrationes minus antiquas expediero.

III. *De poſterioribus habitaculis Ceteorum, Cilicia ad Taurum, Cypro, Macedonia.*

Atque hactenus Cetthidarum horum duobus maxime in locis ſedes Moſe antiquiores metati ſumus, in Myſia atque in Latio. De ceteris porro eorum habitationibus, nim. de *Cetide* Ciliciae, de *Cypro* deque *Macetia*, quam pridem ibi *Ceteum* nomen auditum fuerit, haud habeo dicere. De Cypriis *Cittaeis* nihil antiquius eſt Menandri (23) loco (modo

circa Caicum erat, ſive hanc *Teuthraniam* libeat appellare (a Teuthrante qui olim ibi regnavit dictam) ſive *Elaitidem*, ſive poſtremo *Aeolidem*. Ac profecto Ceteos circa Caicum conſediſſe, praeter Homeri locum, index Straboni eſt τὸ ἐν τῇ Ἐλαΐτιδι χειμαῤῥῶδες ποτάμιον Κήτειον (rectius Κήτειος: ut alibi oſtendo) *Is, qui in Elaitide volvitur, torrenti quam juſto amni ſimilior, Cetéus*: quem in alios primum amnes, poſtremo in Caicum influere tradit. Vides ut hic Geographus ex *Ceteo* flumine ibi *Ceteos* cognomines fuiſſe colligat; ferme ut Bochartus ex locorum & populorum nominibus ſolet argumenta venari. Verum amnis hujus ſitum ſubtilius expoſuit Plinius V. 30. in deſcriptione Teuthraniae: *Longeque clariſſimum Aſiae Pergamum, quod intermeat Selinus, praefluit Cetius profuſus Pindaſo monte. Abeſt haud procul Elaea* (unde *Elaitis* illa, quam modo ex Strabone nominavi) *quam in littore diximus. Pergamena vocatur ejus tractus juriſdictio*. Ad ſummam ne locorum tot nomina te morentur; *Cetium* & Homeri *Ceteos* ſive in Elaitide, ſive Aeolide, ſive Pergamena regione, ſive in Teuthrania, ſive omnino in Myſia circa Caicum fuiſſe dicas; res erit quidem diſcreta nominibus (quae nomina alia aliis temporibus in uſu fuere) ſed loca ſunt ferme eadem.

(20) Strabonis iſtas in Homerum animadverſiones, valde aſperas & ſalebroſas, ſeorſum explanaveram. Nunc miſſas facio.

(21) Euſtathius (pag. 1697. 25.) ubi eorum interpretationem poſuiſſet, qui Κητείους iſtos appellative acceperant, haec ſubdit: Ἕτεροι δὲ (Κητείους) ἔθνος Μυσίας φασὶ τοὺς ὕστερον Ἐλαΐτας, ἀπὸ Κητείου ποταμοῦ χειμαῤῥώδους ἐν τῇ Ἐλαΐτιδι, ὃν καὶ Κητόεντά φασιν. Ἄλλοι δὲ Κητείους τοὺς Περγαμηνοὺς νοοῦσιν. *Alii (*Ceteos*) Myſiae populum faciunt, poſtea Eleatas vocatos, dictos a Ceteo, torrente verius quam amne, Eleaitidis; quem* (Ceteum) *etiam Cetoëntem nuncupant. Alii Ceteorum nomine Pergamenos intelligunt*. Poſterius hoc de *Pergamenis*, quo ſpectet, Plinius V. 30. in deſcriptione Teuthraniae docebit; cujus locum alibi dabimus. Hinc in Pergamenorum nummo amnes duo adſcribuntur, ϹΕΛΕΙΝΟΥϹ *Selinus* qui intermeat Pergamum, & ΚΗΤΕΙΟϹ Cetêus ſeu Cetius, qui praefluit.

(22) Cilicas & Ceteos aut ὁμοφύλους, aut alio ὁμονοίας glutine conjunctiſſimos fuiſſe, ex eo poteſt intelligi, primum quia in Teuthrania Cetei erant finitimi Cilicum, & uterque populus eidem regi ſuberat; nam pars ſaltem *Cilicum* ſub Teuthrantis & ſucceſſorum ditione fuerat: deinde quod in Cilicum ἀποικίᾳ *migratione*, quam ἔνδοξον *illuſtrem* Euſtathius vocat, ſimul & Cetei migrarunt in eam, quae nunc eſt, Ciliciam, ibique Cetidem regionem incoluerunt: tandem quod in Latio & Campania, ut *Ceteorum* ſic etiam *Cilicum* veſtigia deprehendi poſſunt, ut alibi conjicimus.

(23) Locus Menandri Tyrii apud Joſ. IX. 14. ſic habet: οὗτος (Ebulaeus Tyri rex) ἀποστάντας Κιτταίους, ἀναπλεύσας προσηγάγετο αὐτοὺς πάλιν. *Hic* (Ebulaeus, qui Salmanaſari aequalis fuit) *Cittaeos, qui ab imperio ſuo defecerant, claſſe eo devectus, ad obſequium reduxit*. Hos *Cittaeos* ad Cyprum pertinere, primus vidit Scaliger, quem Bochartus ſecutus eſt. Vide quoque Meurſii Cyprum. At Vſſerius ad An. M. 3287. Γιτταίους legere

Digitized by Google

do de Cypro ſit capiendus) ex quo appareat Salmanaſaris aevo jam exſtitiſſe ibi Citiaeos. Ac ſane pro Cypro inſula illud majoris momenti afferri poteſt, quod non tantum urbs ibi Κίτιον erat, verum & inſulae Vniverſae Κίτιον nomen fuiſſe, teſtis ſatis idoneus Epiphanius, quippe domo ipſe Cyprius, lib. I. adv. haer. prodidit.

Porro de *Cetide* Ciliciae regione, quantae antiquitatis *Cetenm* ibi nomen fuerit, haud facile dixerim. Verum ſi inter Ceteos Ciliciae ad Taurum incolas interque Cyprios de antiquitate pugna oriatur, facilius ſecundum Cilicas quam Cyprios ſententiam pronuntiaturus mihi videor. Nam Cilicum de Troade abitio, cum qua & Ceteorum colonia illa conjuncta fuit, videtur antiquior; quippe facilius fuit per continentem ſe diffundere in Syriam, quam in Cyprum tranſmittere. At mox ubi Cetei in Cilicia conſediſſent, facile deinde fuit in proximam inſulam adnavigare. Ergo Cetei primum de Troade in Ciliciam, deinde de Cilicia in Cyprum tranſmearunt.

Relinquitur, ut de Macedonia breviter dicam; quam *terram Chettim* fuiſſe appellatam teſtatur antiquum *Macetiae* nomen a *Cetthim* deductum, teſtantur duo Machabaici prioris loca. Quamquam autem utcumque ea loca poſſunt (24) alioſum accipi: tamen non repugno, quin & Macedonia ſuos Cetthaeos habuerit. Quantae vero antiquitatis Macedonum Cetthaei fuerint, quis umquam decreverit?

Atque haec ſatis de Cetthidis ſint; quorum prima ſedes intra *fines Japhet* (i. e. ex Judith II. 15 in Aſia Minore) quemadmodum decebat Japhetidam, conſtituimus, eaſque ſedes proprie in Teuthrania, ſive Myſia circa Caicum oſtendimus; unde illi ab antiquiſſimis temporibus, & ante Moſis ſcribentis aevum in Latium commigrarunt. Hanc enim in Latium migrationem praeceſſiſſe Moſis ſcribentis aetati, praeter ſuperius allatas rationes, hoc inſuper argumento eſt, quod *trieres Chittim* in Balaami vaticinio Num. XXIV. 24. ſunt Romanorum naves: quas *trieres de Italia* ſcite vertit Vulgatus Interpres, ſecutus veterem Italicam translationem. Ita, ſcribente Moſe, duobus ſaltem in locis Cetthei erant, in Myſia circa Caicum, & fort. in Latio, ut recte potuerit eos *Chitthim* num. plurativo Legiſlator in Gen. X. vocare. At mox ſecutis temporibus iidem illi, qui Myſiam incolebant, Cetei cum ὁμοφύλοις Cilicibus in Ciliciam ad Taurum, & hinc in Cyprum conceſſerunt. In Macetiam autem de Latio ne, an ex Myſia, an aliunde venerint, aut ecquando venerint, haud plane compertum habeo. Sunt & alia loca, quae a *Cetthim* nomen deductum praeferunt. *Cetius* mons, & oppidum *Cetium* in Norici finibus. In Suida Κηττοὶ δῆμος τῆς Λεοντίδος. *Cetaeum* in Taprobana ex Ptolemaeo. *Citiaei* apud Cic. de Finib. ut alia taceam. Sed mera nominum affinitas ſine alio ſuae originis documento, haud ſatis fidem faciet, hos populos fuiſſe non dicam *Cetthidas* ipſos Moſaicos, ſed ne illorum quidem colonos.

A V C T A R I V M

DE CETTHIM ITALICIS.

Jamdiu profecto eſt, quod his Cetthim immoror, nec tamen abſolvi omnia; nam debeo adhuc fidem meam exſolvere, qua me modo obligaveram; nempe ut de *Ceteis* Italicis, praeter ea quae ſcite & appoſite Bochartus attulit, alias praeterea plures animadverſiones in medium afferrem.

CAP. I. *Ceteos inter Latii primitivos incolas eſſe numerandos.*

Enimvero Getthim Italiae (quos fere primos ejus terrae incolas fuiſſe puto) cum Homericis *Ceteis* Teuthraniae incolis tam arto nexu copulantur, ut unos ab alteris ᾠκισθῆναι [*conditos fuiſſe*] neceſſe ſit. Quid enim? Ceteo Myſiae amni, qui in Caicum influit, alter in Campania cognominis ab Ariſtotele in de Mirab. memoratus, reſpondet. Adhaec ſicuti in Myſia eiſdem regibus Teuthranti, deinde Telepho, poſtea Eurypylo *Cilices* ſimul & *Cetei* ſuberant (quas duas gentes arta ſocietate junctas fuiſſe, ſupra animadvertimus) ita in Italia quoque praeter

gere malit. Ita Philiſtini fuerint. Nec prorſus erit abſonum, ſi de *Cetide* Ciliciae intelligas; ad omnia enim ea loca claſſi iter patebat. Verum prima interpretatio potior.

(24) Prior locus eſt 1. Mach. I. 1. ubi Alexander dicitur *egreſſus de terra Cethim*, alter VIII. 5. ubi Perſes *Ceteorum* (Gr. Κιτιαίων) rex appellatur. Poterat ſane his locis *Cethim* γενικῶς pro locis maritimis, quibus illi reges dominabantur, accipi: de qua quaeſtione vide ſup. initio Flavii Joſephi locum. Sed tamen potius eſt, ut Macedonia peculiariter intelligatur.

Digitized by Google

praeter Ceteos conſediſſe etiam & Cilicas (25) reperio. Ac *Cilicum* illorum in Italia nomen fuiſſe poſtea mutatum in *Sicelos*, haud vana eſt (26) conjectura.

Adde quod Typhoëi κεραύνωσις ab aliis in Myſia Lydiave, qua parte Cilices priſci erant, ab aliis in Cilicia Pamphyliae vicina, a pleriſque in Campaniae inſula Inarime, aut in Sicilia eveniſſe dicitur: prono errore, quia in omnibus prioribus tribus locis Cilices aliquando fuerunt: imo & in ultimo; ſi quidem probari poſſit, *Sicelos* (qui poſtea ex Italia pulſi in Sicaniam irruperunt) non alios fuiſſe quam Cilices illos ex Myſia una cum Ceteis advenas. Poſtremo non tantum *Pithecuſae* noſtrae *Arimi* olim dicebantur, ſed & in Lydia prope primitivorum Cilicum ſedes, & in Cilicia quae ad Taurum eſt, *Arimi* oſtendebantur: de quibus vide Strabonem lib. XIII. pag. 626. Quae ſane nomina Latii & Campaniae locis non aliunde quam a *Ceteis* Cilicum ſociis imponi potuerunt.

Haec cum rationi ſint conſentanea; tamen illud adhuc incertum erit, utrum de Myſia huc advecti *Cetei*, nomina eadem, quae in Teuthrania uſurpabantur, his locis impoſuerint; an contra. Atqui prius longe veriſimilius eſſe, ſupra oſtenſum fuit; quia debuere Moſaici *Cetthidae* prius in viciniore loco conſiſtere (potiſſimum autem in Minore Aſia, quam *terram Japhetidarum* fuiſſe olim vocatam, toties dictum fuit) quam remotiora loca incolis frequentarent: de quo plura adhuc jam differere aggredior.

CAP. 2. *De eo amplius, quod ex Myſia Ceteorum coloni in Italiam venerint, non contra.*

Atque haec tantum conjecturae locum habere dices. Verum quae jam ſum allaturus, neminem dubitare ſinent, quin *Cetei* Itali *Ceteorum* Teuthraniae coloni fuerint. Suidas in Λατῖνοι haec habet: Λατῖνοι· οἱ νῦν Ῥωμαῖοι. Τήλεφος γὰρ υἱὸς Ἡρακλέους, ὁ ἐπικληθεὶς Λατῖνος, μετωνόμασε τοὺς πάλαι Κητίους λεγομένους, νῦν Λατίνους &c. *Latini iidem qui nunc Romani. Nam Telephus Herculis filius, cognomento Latinus, eos, qui olim Cetii vocabantur, Latinos tranſnominavit. Hi vero rurſus vocati ſunt Itali ex quodam Italo olim principe regionis. Mox ubi Aeneas occidentem tenuit, ab eo dicti ſunt Aeneadae: poſt quem omnes dicti fuere Romani, a Romulo eam appellationem conſecuti.* Atque hic quidem Suidae locus, ut & ſimiles Cedreni & Euſebii (27) non effugerunt Bocharti diligentiam. Verum quidnam ex eo elicuit? Profecto nihil aliud, quam fuiſſe olim in Italia Ceteos. Atqui videre potiſſimum debuiſſet, *Ceteos* illos, quos Telephus *Latinos* tranſnominavit, non alio duce, quam ipſo Telepho in Italiam veniſſe. At unde

(25) Siculi, inquam, in Myſia quae ad Calcum eſt, Cilices & Cetei ſimul habitabant, itemque illam, quae ad Taurum montem eſt Cilicia, Cetei ſimul & Cilices incolebant; ita in Italia cum Ceteis ſimul & Cilicas conſediſſe ſuſpicor. Ea ſi ſuſpicio Strabonis animum ſubiiſſet; minus miratus eſſet (lib. XIII. pag. 626.) συνοικίζοντα Pindarum τοῖς ἐν τῇ Κιλικίᾳ τὰ ἐν Πιθηκούσαις, ἅπερ ἐστὶ πρὸ τῆς Κυμαίας, *cum rebus Ciliciis componentem ea, quae ſunt Pithecuſarum, Cumanae regioni objectarum.* Locus Pindari exſtat Pyth. ᾠδ. Α. ver. 32. ubi Typhonem, qui apud *Pithecuſas* torqueretur, in *Cilicio antro nutritum* dicit:

τόν ποτε
ΚΙΛΙΚΙΟΝ θρέψε πολυώ-
νυμον ἄντρον.

Pindaro concinit Aeſchylus in Prometh. vincto ver. 351. ubi Typhoëum vocat ſimiliter Κιλικίων οἰκήτορα ἄντρων. Quibus locis ad *Ciliciam* refertur *Inarime* Campaniae inſula, in qua dum ſcriberet Homerus Il. B. 783. Typhoëi cubile fuit:

Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς,
Endo Arimis, ubi habere cubile Typhoëa narrant.

Ex quibus potes intelligere, haec loca cum Ceteis etiam Cilicas Campanos primitus incoluiſſe. An a *Cilicia* deductum *Calatiae* ſive *Calaciae* nomen fuit?

(26) Ut *Ceteos*, ſic etiam *Sicelos* primos omnium incoluiſſe Italiam, certiſſimum eſt. Vide quae ex Dionyſio & aliis affert de Siculis Cluverius initio *Priſci Latii*. *Siculi* vero unde venerint, ignorare ſe fatetur Halicarnaſſeus. At non futilis eſt conjectura, *Cilicum* nomen in *Sicelorum* (h. e. *Siculorum*) vocabulum trajectione litterarum tranſiiſſe.

(27) Cedrenus: Τῆς δὲ Ἰταλίας ἐβασίλευσεν ὁ υἱὸς αὐτοῦ (Ἡρακλέους) ἀπὸ τῆς Αὔγης, Τήλεβος (corr. Τήλεφος) καὶ μετ' αὐτὸν υἱὸς αὐτοῦ Λατῖνος, ἔτη ιη'· ὃς τοὺς Κητίους ἐπωνόμασε Λατίνους. *Porro autem Italiae principatum tenuit filius ejus* (Herculis) *quem ex Auge ſuſceperat, Telephus, ac mox ejus filius Latinus, annis duodeviginti: qui Ceteos fecit, ut Latini cognominarentur.* Praeiverat Euſebius dicens: Κίτιοι, ἐξ ὧν Λατῖνοι, οἱ καὶ Ῥωμαῖοι. *Citii unde Latini, qui & Romani.*

unde quaeſo Ceteos Telephus perveniſſet, niſi ex Teuthania, in qua Teuthranti Ceteorum regi Telephus in regnum ſucceſſerat? Vides jam, non poſſe dubitari, primas Cetthidarum ſedes in Myſia circa Caicum fuiſſe, inde vero illorum coloniam Telepho duce in Italiam fuiſſe tranſmiſſam. Si de tempore quaeras; id ſtatim poſt Trojanam cladem eveniſſe oportebit, ſi Homero fides; quippe Troici belli tempore Telephus ab Achille vulneratus, ad eodemque ſanatus a Poëta inducitur. Quamquam quid fabularum narrationibus tantopere κατὰ πόδα inſiſtimus, cum de Telephi genere, parentibus, patria, mira apud antiquos opinionum diſſidia fuerint? Quare ea miſſa facimus. At etiam de Telephi filio Latino quanta inconſtantia! Dionyſius (28) Telephum Tyrſeni parentem fecerat, at Cedrenus eumdem patrem Latini dicit, Suidas Telephum & Latinum duo fuiſſe ducis unius nomina exiſtimat. Atque equidem hoc ultimum verius arbitror, quippe cum *Telephus* & *Latinus* idem prorſus (29) ſignificent.

At unde haec tanta inconſtantia, niſi ex veterum poëtarum licentia, qui quod libitum fuit, in ſua poëmata intulerunt? Ita Heſiodus *Latinum* Vlyſſis ex Circe filium fuiſſe docet, illum inquam Latinum, quem *inſularum* (30) h. e. Cetthidarum regem fuiſſe oſtenditur. At in tanta fabularis hiſtoriae variatione, illud verum eſſe deprehenditur, in quo inter omnes convenit, nim. fuiſſe antiquitus in Italia *Ceteos*, hos vero veniſſe ex Myſia. Ad tempus migrationis quod attinet, nolo te fabulae inſiſtere, ſed Moſem potius ducem ſequi, qui quo tempore ſcribebat, jam pluribus in locis Cetthaei erant, eoque *Cetthim* ab eo vocantur, num. plur. non vero *Ceth*. Quamquam quid impedit, quominus praeter Telephum Eurypyli patrem, alter longe antiquior Telephus in Teuthrania regnarit, atque is demum Ceteis coloniis Italiam frequentaverit? Nam uſu hoc venire aſſidue videmus, avorum nomina a nepotibus repeti. Ergo Telephus iſte dux Italicae coloniae Moſe antiquior fuerit: & certe Telephi (31) in ciſta expoſiti narratio ultimam antiquitatem redolet.

Verum quid fabulis diutius immoror? Age illuc, unde digreſſa eſt oratio, ad *Telephi* nomen redeamus. *Telephum* dixi tantumdem Arabice eſſe, quod apud nos *Latinus*; ac proinde vere hoc ab Suida (ſive ab iis potius, quos Suidas auctores habet) ſcriptum eſſe, *Telephum* ac *Latinum* duo fuiſſe unius Latinorum conditoris nomina. Hoc ſi pro certo arripimus; jam & illud conſequens erit,

---

(28) Dionyſius Halic. lib. I. ubi de Tyrrhenorum originibus. Ἕτεροι δὲ Τηλέφου παῖδα τὸν Τυῤῥηνὸν ἀποφαίνουσι· ἐλθεῖν δὲ μετὰ Τροίας ἅλωσιν εἰς Ἰταλίαν. *Alii Tyrrhenum Telephi malunt filium: veniſſeque poſt Trojam captam in Italiam.*

(29) Vt enim *Latinus* eſt a *latendo*; ſic *Telephus* eſt ab Arabico טלף *talapha*, cui verbo in Conjug. I. inter cetera ineſt *latendi* vis. Vide Golii lexicon. Cum autem Suidas (ſeu quivis alius antiquior) ait, Telephum cognomento *Latinum* fuiſſe nuncupatum, morem illum tangit, quo in uno eodemque viro aut urbe ambo nomina copulabantur, tum Orientale antiquius, tum etiam Latinum ex interpretatione Orientalis factum, ut *Aequi Faliſci*, & alia ſexcenta nomina, quae in Diatribis Tyrrhenicis Romae inter Cortonenſia editis poſui.

(30) Apud Heſiodum extrema in Θεογονίᾳ ſic reperio, Circem Vlyſſi Agrium & Latinum peperiſſe, qui in ultimo receſſu *Inſularum* regnaverint:

Οἳ δή τοι μάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων
Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλυτοῖσιν ἄνασσον.
Queis procul Etruſci regnantur, & ille receſſus,
INSVLAE ubi in magno ſe oſtentant aequore ſacrae.

Quid hoc eſſe putem, quod *Latinum*, qui certe Latium tenuit, in *inſulis* exercuiſſe imperium dicit? Aut quaenam ſunt hae *inſulae*, niſi ipſum Latium ſive *Cetea* regio? *Cetea* enim vox apud Hebraeos, Joſepho teſte (cujus locum jam ſupra attuli) non aliud quam *inſulas* ſignificat. Illud etiam hic notandum, quod Latinum *Tyrrhenorum* regem facit; in quo ἀνιστορησίᾳ laboraſſe magnum poëtam dicerem; niſi quidam apud Dionyſium (cujus verba in proxima adnotatione 28. in medium protuli) in eadem opinione fuiſſent, quippe qui Tyrrhenum *Telephi* h. e. Latini filium feciſſent: ſive (ſi ſic mavis interpretari) Tyrrhenos a Latinis ortos.

(31) Ea narratio apud Strabonem lib. XIII. pag. 615. auctore Euripide, habet in hunc modum: Εὐριπίδης δ' ὑπὸ Αὔγης &c. *Euripidem auctorem habeo, Augen cum filio Telepho in ſcirpeam arcam (εἰς λάρνακα) incluſos, inque mare dejectos fuiſſe, cum is corruptam ab Hercule filiam deprehendiſſet: ſed providentia Minervae factum, ut ciſta traducto mari in Caici oſtium appelleretur: porro corporibus exemptis, Teuthrantem in uxorem accepiſſe Augen, Telephum pro filio adoptaſſe. Atque haec quidem fabula eſt.*

Digitized by Google

erit, & alia duo nomina idem prorſus, quod *Latinus*, notantia ejusdem viri fuiſſe. Ea vero ſunt *Saturnus* & *Camiſes*, quae nomina idem prorſus Hebraice (32) ſonant, quod *Latinus*. Cumque uterque ille, tum *Saturnus*, tum *Camiſes* primi & antiquiſſimi Italiae regum fuiſſe fingantur; non erit dubitandum, quin uni eidemque deductori Ceteorum coloniae poſteri alia alii nomina, ſed ſignificationis ejusdem, pro ſua quiſque dialecto impoſuerint. Fatendum eſt igitur, *Saturnum*, *Camiſem*, *Telephum* & *Latinum* quatuor fuiſſe conditoris unius nomina, utpote eamdem prorſus ſignificationem praeferentia.

Maneat ergo, *Ceteos* primos fuiſſe Italiae incolas: hos vero ex locis circa Caſcum huc fuiſſe pervectos: adhaec eorum ducem nomen geſſiſſe tale, quod *latendi* ſignificationem haberet, unde factum, ut, cum plures poſtea Orientales dialecti in Italia graſſarentur, alii *Saturnum* vocarint, alii *Camiſem*, ſive *Telephum* aut *Latinum*: quod ultimum nomen ita ad Latialem linguam pertinet, ut nihilo minus quam alia ab (33) Oriente ſit.

Quamquam ne illud quidem temere eſt, quod vox *Cetthim* (34) nihilo minus *latendi* notionem obtinet: ut proinde ſicuti ſermone noſtro *Latinorum* populus *Latino* regi ὁμώνυμος reperitur; ſic etiam *Ceteos* (qui a *Latinis* magis ſono vocabuli, quam ſignificatu nominis differebant) duci ſuo ſive *Telepho* ſive *Saturno*, ſive *Camiſi* cognomines fuiſſe oporteat. Belle atque appoſite id quidem. Nam in omni hiſtoria, tum Moſaica, tum etiam profana heroicorum temporum, populi fermè conditori ſuo cognomines reperiuntur. Itaque quemadmodum apud Moſem *Javan* ſeu *Ion* & *Iones*, *Aſſur* & *Aſſyrii* (& ſic ceteri, quos Legiſlator capite X. recenſet) idem nomen gerunt; ſic & apud profanos rex *Italus* & *Italorum* populus; *Tyrſenus* dux & gens *Tyrrhena*; *Hellen* & *Hellenes* & alii ſunt in eumdem modum, ὅσοι ψάμμος.

Dixi partim. Non enim, quoties populum aliquem duci & conditori ſuo cognominem audis, univerſe verum eſt, nomen illud ab auctore generis in gentem ab eo propagatam fluxiſſe. Nam ſaepius rem contra accidiſſe exiſtimo, nim. ut quia populus aliquis hoc aut illo ob res geſtas nomine deſignabatur, etiam deinde poſteritas cognominem aliquem heroëm commenta fuerit, qui γενάρχης gentis illius fuiſſe diceretur. Exempli gratia Cauconas Peloponneſios certum eſt Cauconum Paphlagonum colonos fuiſſe, hos vero de *Gog* (ſive CAVC ſecundum aliam dialectum) Scythiae veniſſe: quorum utrumque nos in MAGOG oſtendimus. Tamen non defuere, qui Cauconem quemdam excogitarint, ejuſque ſepulcrum in Lepreatide commonſtrarint, a quo ſcil. Cauconas Peloponneſios propagatos voluerunt. Atqui equidem facilius crediderim, ducem coloniae *Cauconum* quicumque is fuerit, fuiſſe poſtea *Cauconem* dictum ob eam cauſam, quod Cauconas in Pelopis inſulam deduxiſſet. Eadem plurium aliorum ducum ratio erit, quos a populis, quibus imperabant, nomen apud poſteros adeptos, mihi perſuadeo. Ea vero conſuetudo a Moſe ipſo manaſſe videtur, apud quem nomina illa in Gen. X. non ſunt omnia virorum ſingularium, ſed eorum non pauca ſunt populorum ab uno ex illis aut ſatorum, aut in colonias deductorum: qui deinde populi nomen ſuum in γενάρχας transfuderint. Quorſum vero haec? nempe ut intelligas, fieri admodum veriſimile, *Ceteos* ſeu *Latinos* (quorum unum eſt alterius interpretatio) id apud poſteros effeciſſe, ut idem aut ἰσοδυναμοῦν nomen in ducem ejus coloniae transfunderetur; cui, quicumque is fuerit, apud ſeram poſteritatem, & *Saturni*, & *Camiſis*, & *Telephi* & *Latini* (quae omnia unum idemque ſunt) nomen tribueretur. Ac de *Ceteis* Italis tantum.

CAP. 3. *In quamnam Italiae partem ſuas Cetthei colonias primo illuc adventu deduxerint.*

Vno verbo. In eo mihi videntur Cetthei

(32) Saturhus idem eſt ac *Latens*; nam Hebraice סתור *ſatur*, idem eſt atque *occultatus*, *deliteſcens*. *Camiſes* vero (unde Italia ſive Latium olim *Camiſene* ſeu Cameſene dicta fuit) tantumdem prorſus valet; a כמוס *camus* ſcil. quod Deut. XXXII. 34. *reconditum* ſeu latens ſignificat, quod optime vidit Bochartus.

(33) Eſt enim *Lateo* ſive ab Heb. verbo לאט *laat*, ſive a לוט *lut*, cujus participium eſt לט *lat*: utrumque autem verbum *abſcondendi*, & *latendi* notionem gerit.

(34) Arabicum verbum כתם *chetema* eſt *abſcondere*, & כתים *chetim* eſt *occultus*, *latens*. At, inquies, in hac originatione *Mem* radicale erit; cum tamen in Moſaico *Cetthim* τὸ *Mem* ſit formativum pluralis. Verum huic incommodo jampridem occurrit Bochartus, quem vide pag. 160. 40.

thei primitus conſediſſe Italiae angulo, qui primus omnium *Choniae* (35) ſive *Saturniae* ſibi ab initio arrogavit nomen; quaeque poſtea Graecia Magna dicta, barbaris Βρεττία, ſive Bruttiorum peninſula. Ergo Cherſoneſus illa ſola *Italiae* nomine veniebat, quae hinc Sinu Lametico (*Golfo di S. Eufemia*) illinc Scylletico (*Golfo di Squillace*) continebatur; ea primitiva ſedes Cetthidarum fuit. Nec aetas tota Pythagorica, Scylax, Herodotus, Antiochus Syrac. Thucydides, Ariſtoteles, aetas Alexandri, & ejus ſucceſſorum regum multo longius veteris Italiae h. e. primi Cettheorum domicilii fines porrigebant, uti copioſe oſtenſum fuit in Commentar. ad Tab. Heracl. a pag. 56. ad 58.

Hanc eamdem heroicis temporibus Χώνη ſive Χωνίαν h. e. *Saturniam* appellatam ibidem oſtenſum pag. 81. Atque hinc factum ut Graeci poſteriores (vide Dionyſium) Χωνίαν in Κρονίαν tranſmutarint, ut aptius peregrina vox Χωνία *Chonia* cum *Saturnia* conſentiret. Cum autem tam Χώνη, & Χωνία, quam *Saturnus* Orientali lingua (quam linguam in hoc tractu fuiſſe primitus uſurpatam ex hoc aliiſque indiciis intelligitur) *latendi* vi polleat (nam סתור *fatur* eſt *latens*) hinc poſtea a *Latente deo Latii* nomen ei regioni, in quam numinis hujus μυθολογύμενα commigrarunt, attributum fuit: de quo mox pauca dicam. Lege omnino noſtros in Tab. Heracl. Commentarios pag. 80. ac deinceps.

At Italiae nomen, quod ab initio ſolius Bruttiorum peninſulae peculium fuerat, laxius poſtea uſurpari coepit, ita ut cum paullatim per ſequentes aetates (quas in opere dicto notavi) ſerperet longius, ita ut Romanam etiam tandem regionem & ulteriora complecteretur, hinc toti huic regioni Romanae Κρονίας (ſic namque Graeci Χωνίαν, uti dixi, corruperant) & *Saturniae* (id enim Latine Κρονία ſonat) nomen quaeſitum fuit: & inſuper *Latentis dei* fabula ex eo reperta, quia *Saturnus* Hebraice eſt *latens*. Atque hinc poſtremo etiam Romana tota regio vocata *Latium*, uti regionis nomen vocibus Κρονία & *Saturnia* reſponderet, & ut uno verbo dicam, omnia fuere ſuſque deque confuſa; & quaecumque de Italia primitiva, h. e. de anguſta illa Bruttiorum peninſula decantabantur, ea in poſteriorem Italiam, quae a freto ad Alpes uſque aliquando tandem procurreret, transfuſa: quaeque poſtremo de vetere Χωνία vulgata fuerant (quae ſermone Orientali *Latium* notat) eadem de *Latio* Romano narrata; in quo nim. Saturni viguit cultus, & alia quae in opere dicto obſervavimus, ex quo cetera curioſi petent. Nunc jam ut propoſitae quaeſtioni ſatisfaciam (in utram ſcil. tellurem primo appulſi Cetthei colonos expoſuerint, in Romanam ne, quod video viris maximis placuiſſe, an in eam, quae Italia primitiva ſemper audivit) quis non Bruttiae peninſulae cauſam addixerit, quae uſque ad Alexandri Magni aetatem primitiva Italia fuit? Nam ut hoc de Romano Latio crederetur, nominis Romani poſtea reverentia, & ex hac naſcens aſſentatio fecit.

Ceterum ſi hac omiſsâ agere ſincere libeat, quid veriſimilius, quam ut primi Cettheorum illi, qui ab Oriente mare internum ad ſedes quaerendas trajecere, appulſi in Bruttiorum (qui primi omnium occurrebant) littora, ibi potius excenſionem fecerint, quam ut Meſſanae fretum [habitum formidabile ſemper, uti tabulae de Scylla & Charybdi docent] audacter tranſmitterent, uti terras interiores, ignotaſque conquirerent? Ergo in continentem illam initio appulerunt, quae ſe prima obtulit, quaeque ab heroicis uſque temporibus, antequam Roma exſiſteret, *Chonia* h. e. Saturnia & *Italia* prima audiit. Nolo his diutius immorari, quia uſque adeo manifeſta ſunt, ut mirer nulli virorum eruditiſſimorum quod ſciam, ea in mentem veniſſe. Fuerit ergo Bruttiorum cherſoneſus prima Cettheorum ſedes,

(35) Cur antiqui veterem Oenotriam (quae poſtea Italia anguſtior illa primitiva fuit) Χωνίαν nuncuparint, luculenter dixi in Comment. ad Tab. Heracl. pag. 82. num. II. & pag. 83. & ſeq. Nimirum Amoſo Prophetae cap. V. 26. כיון *Chiun* ſive *Chion* eſt haud dubie ille Chananaeorum & Phoenicum *Saturnus*. Hinc a contracto Χὼν factum eſt Χωνία *Chonia*, aliter apud Graecos Κρονία, quae eſt Latinis *Saturnia*, veteris illius Italiae nomen: quod poſtea nomen ſenſim ita late prorepſit, ſicut ipſum Italiae vocabulum paullatim productum fuit. Nolo eadem hic recoquere, quae olim ad Tabulas adnotavimus.

Ad ſummam, cui commodum fuerit, adeat dictos Comment. a pag. 79. ad 88. Vbi quae de Latio Romano dicuntur, ea potiore jure Italiae illi primaevae conveniunt, quae & *Camiſene* vocabatur a voce *Camiſes* qui *Saturnus* fuit. Ergo ubi in illo angulo ortum *Latii* & *Italiae* nomen, in dies longius proceſſit, ita ut Romanum agrum complecteretur; etiam ſimul vox *Latii* protogata Romam uſque fuit, quia *Camiſene* eadem quae *Saturnia*. Atque haec nomina omnia a *latendo* dicta.

des, ſicuti & ad aevum uſque Alexandri & amplius, Italia primitiva anguſtioribus illis finibus artabatur.

CAP. IV. DODANIM.

De Dodanitis peculiarem Diſſertationem ſcripſimus, quae longior viſa fuit, quam ut apte poſſet hîc inſeri. Itaq. ſeorſum in fine Parte 2. dabitur. Interim ſciendum eſt, τοὺς *Dodanim* (uam uti pluries dictum, in hoc cap. deſinentia in IM numerum pluralivum, ac plures deſignari populos ὁμοφύλους notat) ſciendum, inquam, eſt, τοὺς *Dodanim* primo ex Armenia, communi patria, egreſſu in proximam Chalybum terram ſe diffudiſſe; unde Idaeorum Dactylorum, & omne Cureticum genus fluxiſſe, oſtendemus. Deinde iidem ſecundum Euxini maris oram progreſſi, tandem in eo tractu, qui poſtea a *Dodanim* (χαλδαϊκῶς inſerto R) dicta eſt *Dardania*, ſubſtiterunt. At ex Dardania deinde & Samothraces, & in Creta atque Euboea Titanes, & Dardani circa Illyridem, & Dodonaei, & Rhodii, & Rhodanenſes, & alii plurimi ſunt proſeminati: non omnes quidem proxime, & ἀμέσως ex *Dodanim* ſive Dardanis; ſed alii ex aliis, uti fit, etſi non pauci ante Moſis ſcribentis aevum. Haec pluribus in peculiari ſcriptione, quam ſeorſum de his ſubjiciemus, diſputabimus: quam adeat, cui tanti ea res viſa fuerit. Ex qua hoc etiam licebit intelligere, Dodanenſium ſtirpem fuiſſe πολυπλάνητον ac maxime vagam, non ſecus ac Pelaſgos; imo non inepte conjici poſſe, *Pelaſgos* ad *Dodanim* genus ſuum fortaſſe referre; praeſertim cum ea duo nomina Orientali ſermone idem fere ſignificent. In eadem & de Dardano, & de toto Curetico genere copioſe diſſeretur, ac de pluribus aliis ſcitu dignis; neminem ut fortaſſe fore putem, quem laboris in ea legenda poeniteat.

CAP. V. THVBAL & MOSOCH.

Hactenus de Javanis filiis. Redeo ad ejusdem fratres, h. e. reliquos Japheti filios. Atque ut illinc ordiar; ſicuti a Scriptoribus ſacris *Thubal* & *Moſoch* perpetuo junguntur; ſic apud profanos *Tibareni*, aut *Tibares* (L in R verſo, non praeter morem) & *Moſchi*, maxime apud Herodotum nectuntur. Ea non levis cauſa Bocharto fuit, cur a Thubal *Tibarenos* & a Moſoch *Moſchos* arceſſeret. Cui plane aſſentior. Nec quidquam cauſae fuit, quare Bocharti optimas rationes ſummo cum judicio & eruditione propoſitas Calmetus contemneret, ipſe viciſſim in pluribus (36) non probandus.

Id tantum incommodi in Bocharti ἀποφάσει reperio, quod Moſchi illi, qui Moſchicis montibus inhaeſerant, paullo remotiores a Tibarenis erant, quam ut recte ab Ezechiele & Herodoto ſimul jungerentur. Quorum hic poſterior eadem arma, eosdem duces utriſque dat, ac tributa communiter utriſque imperata ſignificat. Plura quidem vir magnus affert, quo Moſchos Tibarenis admoveat; ſed in eo mihi (ceteroqui non dubitanti, quin Thubal & Moſoch ſint Moſchorum & Tibarenorum parentes) vix eſt, ut plane ſatis faciat. Nam quantumvis Moſchicos montes Tibareniae adplices,

(36) Cujuſmodi illud eſt, quod Iberos (quos a Tubal propagatos cum Joſepho mavult) olim *Tobelos* fuiſſe dictos, ait. Impoſuit viro docto Joſephus qui in l. Antiq. 6. ſic poſuit: Κατοικίζει δὲ καὶ Θώβηλος Θωβήλους, οἵτινες ἐν τοῖς νῦν Ἴβηρες καλοῦνται. *Quin & Thobelus Thobelos condidit, qui noſtra aetate Iberi vocantur*. Verum jam initio in Παρεργων. ſect. V. num. VII. dictum fuit, quid Joſephus his loquendi modis ſibi velit. Vult ſcil. eos, qui a Thobelo proſeminati fuere, Thobelos, uti par eſt, dici debuiſſe: deinde quia Iberos potiſſimum ab illo ſatos credidit; auguratur, hos pro *Thobelis* poſtea *Iberos* vocatos. Non ex hiſtoriae fide haec Flavius affirmat, ſed ex mera conjectura. Ejusdem eſt furfuris, quod Joſephus ſtatim addit: Καὶ Μοσοχηνοὶ δὲ (in aliis libb. μεσχηνοί) ὑπὸ Μοσόχου κτισθέντες, Καππαδόκαι μὲν ἄρτι καλοῦνται. *Sed & Moſocheni (aut Meſchini) a Moſocho conditi, nunc Cappadoces vocantur*. Id vero Joſepho accredens Calmetus, in ſuo commentario ſcripſit, Cappadoces olim *Meſchinos* fuiſſe nuncupatos. Sed mirum quantum a Flavii mente aberrat: qui Moſochi poſteros non potuit aliter, quam *Moſochenos* (ſed more ſuo) appellare: deinde quod hos eosdem ac Cappadoces facit, in eo ſuis conjectusis indulget. Nec enim umquam Judaeus auctor id ſomniavit, ſe ſcriptum comperiſſe, Iberos antea *Thobelos* dictos, Cappadocas vero ante vocatos *Moſochenos* aut *Meſchinos*.

At illud fidem omnem tranſgreditur, quod idem Calmetus a *Moſoch* Moſcovitas proſatos ſibi perſuaſit: qui ad haec aliis perſuadere vult, multo eſſe veriſimilius, Moſchos Aſiaticos Armeniae vicinos a Moſcovitis Europae propagatos, quam hos ab illis. Atque in hac ipſa γνωμαρχῶν biga plura ſunt alia, in quibus Monachi doctiſſimi majorem accurationem deſiderem.

adplices, numquam tamen συνάπτειν reperies; interjacent enim Chalybes, Moſynoeci, & aliquot alii populi. Dixeris fort. Tibareniam olim latius patuiſſe, ita ut etiam Chalybes, Moſynoecos, aliaſque gentes complecteretur. Verum ne ſic quidem difficultas exhauritur; quia Herodotus dum Tibarenos cum Moſchis ita, uti dictum eſt, conjungit; tamen idem Chalybes & Moſynoecos ab utriſque diſtinguens, hos ſub diverſis ducibus recenſet, ac ſeorſum imperari iiſdem tributa narrat. Id quod aperte declarat, hos a Tibarenis fuiſſe diverſos, & tamen inter Tibarenos nihilo minus Moſchos habitaſſe.

Quid ergo eſt? Equidem exiſtimo, Thubal & Moſoch i.e. Tibarenos atque Moſchos, cum in migratione Phalegica finitimas ſibi ſedes delegiſſent, etiam ſecutis temporibus arta invicem neceſſitudine atque ἀδελφότητι (notae ſunt populorum ἀδελφότητες, de quibus plura alicubi adnotaſſe memini) junctos perpetuo fuiſſe. Ea neceſſitudo adhuc Ezechielis aevo perdurabat; quam eo tempore etiamnum, credo, locorum συνεχεία juvabat; quippe eo tempore quouſque תובל *Tubal* & משך *Meſech* (Vulgato interpreti *Moſoch*) pertinerent, nomina (37) ipſa per ſe declarant. At poſt id tempus exiſtimandum eſt, plures in Pontum gentes exteras irrupiſſe, eas ſcil. quas in Ponti Euxini Periplo inter Tibarenos atque Moſchos Stukius recenſet. Ergo harum gentium inundatio magnam ejus regionis partem occupavit, quae antea Tibarenia dicebatur; ac Tibarenos ea portione, quae cum Moſchis proxime nectebatur, cedere novae colluvioni coactos, a Moſchis disjunxit. At ne ſic quidem antiqua duarum gentium neceſſitudo intermortua fuit. Poſſem hic paria exempla proferre populorum longius disjunctorum, qui tamen amicitiam ac ſocietatem antiquam, quam ex patriis inſtitutis accepiſſent, longo tempore coluerunt, quidam ſub ἀδελφότητες, alii ſub aliis nominibus. Itaque quod Darii Hyſtaſpidae aevo tanta animorum conjunctio Moſchos cum Tibarenis, etſi longius aliquanto politis, conciliaret, ut communiter eis tributa imperarentur, & quod ſub Xerxe eadem arma ac duces utriſque tribuerentur; id totum ad antiqua & πατροπαράδοτα inſtituta eſt referendum, & ad veterem ἀδελφότητα, a migratione uſque Phalegica numquam poſtea intermiſſam.

Porro a Moſchis Armeniacis ſi quis Moſcovitarum originem repetat, poſſit ſe quidem nominum indicio tueri; nec ego magnopere refragabor. At numquam id concedam, primas Moſochi ſedes fuiſſe Moſcoviam, quod nonnullis antea & nuper Calmeto in mentem venit. Ac primum quaero, ubinam in proximo ſint Tubalis ſedes? nam hi perpetuo junguntur. Deinde eſtne credibile, Ezechielem XXVII. 13. inſtitores ex Moſcovia uſque (quae terra ignota tunc erat) arceſſiviſſe? Verum id magis miror, uti modo expoſtulabam, potuiſſe hoc in mentem cujuſquam venire, Moſcovitas primos a Moſocho Moſaico conditos, deinde [quod incredibilius] a Moſcovitis Moſchos Armeniacos propagatos. Quod tantumdem eſt dicere, ac Moſochum primo ex Armenia, communi patria, egreſſum in loca disjunctiſſima fuiſſe profectum, mox in eamdem Armeniam [in qua

Moſchi

(37) Jam initio in Differt. παραιτων. praediximus, pleraque horum nominum, quae ſunt Gen. X. fuiſſe populis ab eventu impoſita, deinde a populis eadem nomina ad conditores transfuſa. Itaque in hoc negotio quia Arab. תובאל Tubal *ſquamam ferri* aut *aeris* ſignificat, iccirco omnes ii populi, qui ἀπὸ σιδηρείας victum ſibi parabant (nim. qui poſtea *Chalybes*, *Moſynoeci*, *Tibareni*, ſub aliiſque nominibus innotuerunt) dicti ſunt *Tubal*, ſicuti & eorum regio *Tubal* eſt appellata: deinde id nomen ad illum Japheti filium, qui has terras metalli feraces incolis frequentavit, propagatum fuit.

Pari ratione משך *Meſech* eſt Hebraeis *tractus*, *continuatio*. Itaque ubi de montibus ſermo eſt, *Meſech* eſt perpetuorum jugorum tractus. Nec aliter ſppellari debuere montes ii, qui poſtea Moſchici dicebantur, quippe longiſſima ſerie continuati. Hinc & montani accolae *Meſech* dicebantur, & horum populorum auctor (qui unus ex Japheti filiis fuerat) etiam *Meſech* (apud LXX & vulg. *Moſoch*) a Legislatore dictus fuit.

Has etymologias (quae & mihi venêre in mentem, ſed longe antea Bocharto viro ſummo) eo hue attuli, ut appareat, ſi ex nominum indicio de Tibareniae & Moſchicae finibus judicare volumus; nihil propius vero fore, quam ut Tibarenia omnem ferri feracem terram complectatur, i. e. non tantum Tibarenos, ſed & Chalybes (alter Chaldaeos) Moſynoecos, alioſque, quorum omnium regio fuerit olim *Tibarenia*. At Moſchica erit omnis ille montium tractus Iberiam inter Cholchidemque & Armeniam, ad uſque Cappadociae fines. Nec me fugit, poſtea hos fines anguſtiores fuiſſe, praeſertim Tibareniae; quae proinde a Moſchis remotior in Occidentem evaſit.

Digitized by Google

Moſchi principio ex parte cenſiti fuere] fuiſſe regreſſum. Hoc etſi dictu eſt mirabile; tamen id fieri potuiſſe non diffiteor. At quod idem veriſimilius eſſe praedicat, Moſchos Aſiaticos a Moſcovitarum populo recenti ortos, quam contra; id vero communi ſenſu plane caret.

CAP. VI. *De THIRAS Thraciae conditore.*

§. 1. *Thracia multiplex. Quaenam primitiva Thiraſidarum ſedes: quo vero ordine in ceteras deductae coloniae.*

Jam primum omnium tum ex antiquorum cum recentioribus conſenſione, tum etiam argumentis ineluctabilibus jam apud alios obviis, illud extra dubitationem ponitur, Moſaicum THIRAS fuiſſe *Thracum* conditorem. Et quidem Thraciam cum dico, ſcio ſtatim omnes eam Europae regionem percepturos, cui Helleſpontus, Propontis, Boſporus Thracius, ac Pontus Euxinus ab Oriente obtenduntur. Sed tamen fatendum eſt, plures olim alias fuiſſe Thracias, praeter hanc celeberrimam, Byzantini olim imperii ſedem. I. Ac primum Thracia quaedam trans Aemum, & ad Iſtri ripam adſtrui ex [38] Strabone, & ex [39] Herodoto, & aliis poteſt. II. Thracia etiam altera in Phocide fuit, de qua [40] Thucydides, & alii meminerunt. III.

(38) Strabo lib. VII. pag. 295. & ſeq. ita de his Thracibus agit, ut tamen eos magis vulgato nomine *Getas*, ad utramque Iſtri ripam accolentes, vocari dicat, itemque *Myſos*; nam utraque gens Thracicae originis erat. Quo loco Geographus adprobat Poſidonii ſententiam, qui Homericos Myſos (quorum mentio eſt initio Ili. N.) non ad Aſiaticam Myſiam pertinere putat, ſed Myſos Europeos interpretatur, qui ipſi & *Thraces* a Poëta vocantur, quia in Thracia Iſtriana habitabant. Sic enim eſt apud Homerum initio lib. XIII. *Jupiter* (inquit) *poſteaquam Troas atque Hectorem navibus admovit, hos quidem apud naves laboribus aerumniſque implicuit:*

αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ
Νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων ΘΡΗΚΩΝ καθορώμενος
αἶαν,
Μυσῶν τ' ἀγχιμάχων . . . .
. . . . Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.
Ἐς Τροίην δ' οὐ πάμπαν ἔτι τρέπεν ὄσσε φαεινώ.
Partem in diverſam retro ſua lumina torſit,
Reſpiciens in equûm ſeſſores Thracas, & acres
Collato pede Myſos . . . .
. . . atque Abios, gens quae juſtiſſima fertur;
Non iterum ad Trojam ſua fulgida lumina
vertens.

Recte quidem: nam πάλιν ὄσσε τρέπεν eſt εἰς τοὐπίσω i. e. *retrorſum*, non εἰς τοὺς ἐκ πλαγίων ὄντας *a latere ſitos*, cujuſmodi Aſiatici Myſi erant. Poſtremo quod addit, Jovem ſemel averſis a Troja luminibus, numquam amplius eo reſpexiſſe, id non in alios Myſos convenit, quam Europeos; nam Aſiaticos non quiviſſet cernere, quin ſimul Trojam videret, uti recte Caſaub. ad Strab. Firmat hanc interpretationem Herodotus IV. 93. ubi Getae (iidem omnino ac illi, de quibus ſupra Geographus) Θρηίκων ἀνδρειότατοι καὶ δικαιότατοι, *Thracum fortiſſimi, juſtiſſimique* appellantur, non ſine manifeſta alluſione ad Homericum illud δικαιοτάτων ἀνθρώπων. Firmat & Ammianus XXIII. 6. ubi *Abios* vocat *genus PIISSIMVM* (quod reſpondere facit Homerico δικαιοτάτων) *calcare cuncta mortalia conſuerum: quos ut Homerus fabuloſius canit, Jupiter ab Idaeis montibus contuetur.* Hi cur καπνοβάται apud Strabonem ibidem dicti fuerint, diximus ad illud Pſ. *Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum* &c. Hactenus de inſigni Strabonis loco, qui eſt de Thracia circa Iſtrum. Meminit horum iterum eod. lib. pag. 301. ubi de Alexandri M. expeditione in Θρᾷκας τοὺς ὑπὲρ τοῦ Αἵμου, *in Thracas ſupra Aemum habitantes*, quos ad Iſtrum uſque pertinere facit.

(39) Herodotus eorumdem meminit IV. 93. 94. 95. Itemque lib. V. a cap. 3. ad 10. ubi cap. 9. notabilis eſt equi apud Sigynnas (parvi, hirſuti, & in curribus vehendis perniciſſimi) deſcriptio; de quo dubitare ſubiit, an non reſpondeat τῷ *reene*, quem Itinerantes deſcribunt.

(40) Thucydides lib. II. ſect. 29. cum de Tere Odryſarum rege dicere ingrederetur, ſic adnotat: *Cum illo autem Tereo, qui Procnen Pandionis filiam ex Athenarum urbe uxorem duxerat, Teres iſte nullo propinquitatis vinculo conjunctus erat: nec ex eadem Thracia hi duo fuerunt.* Nam (ἐν Δαυλίᾳ τῆς Φωκίδος νῦν καλουμένης γῆς ὁ Τηρεὺς ᾤκει, τότε ὑπὸ Θρᾳκῶν οἰκουμένης) *Tereus ille habitabat in terra Daulia, quae eſt in regione, quam nunc Phocidem vocant, quam tunc Thraces incolebant; in qua regione mulieres illae facinus in Ityn perpetrarunt . . . At ille alter nec plane idem nomen habuit, quippe Teres dictus & Odryſarum regnum primus per vim eſt adeptus.* Strabo his concinit lib. VII. pag. 321. ubi Graeciam omnem a barbaris olim habitatam docet: τὴν μὲν γὰρ Ἀττικὴν οἱ μετὰ Εὐμόλπου Θρᾷκες ἔσχον· τῆς δὲ Φωκίδος τὴν Δαυλίδα, Τηρεύς. *Atticam enim Thraces, qui cum Eumolpo venerant, poſſederunt: Daulidem Phocidis Tereus.*

III. Poſtremo & in Minore Aſia quaedam fuit Thracia, de qua apud Herodotum (41) Straboneinque & alios exſiſtit mentio.

§. 2. *De prima Thiraſi ſede ſeu de Troade, quae Thracia primitiva fuit.*

Nunc illud ſcire libet, quaenam ex his regionibus prima ſedes Thiraſi fuerit, ſeu quaenam Thracia primitiva. Ac ſcio equidem nec de Phocenſi Thracia, nec de Iſtro vicina, nec de alia quavis remota regione (ſiqua modo praeter has fuit, quae [42] *Thracia* diceretur) fore quaeſtionem: ſunt enim in aperto cauſae [43] cur harum nulla potuerit Thracia primitiva eſſe. Ergo ſiquis eſt certamini locus, is unice inter Aſiaticam Thraciam, & inter Europeam omni tempore celeberrimam (quam περαίαν h. c. quae adverſo littori praetenditur, appellare poſſumus) erit.

In hoc autem litigio more meo agam, ut priores apud me partes Aſia ferat; illa, inquam peninſula, quam *fines Japheth* Auctor lib. Judith appellat, quia praecipua initio Japhetidarum ſedes in prima migratione fuerat, & commune diffuſarum poſtea per Europam gentium ſeminarium. Ergo *Thiras* Moſaicus [ſive gentilium Θρᾷξ, cujus femineum Θρᾴσσα] in Aſiatico Helleſponti littore circa Abydum primo ſubſtitit. Mox ubi *audax Iapeti genus* auſum eſt maris periculum facere; prima navigandi rudimenta *parvae praeſidio ſcaphae* in Helleſponto Thiraſi poſteritas, opinor, poſuit: quo freto tranſmiſſo, περαίαν occupavit, ac per latiſſimam regionem, hinc maribus, illinc Aemo, & amni Strymone terminatam ſeſe diffudit; quae ſola ſecutis aetatibus κατ' ἐξοχὴν *Thraciae* nomen meruit: cujus bellicoſiſſima natio poſthaec tum plura alia Europae loca, tum etiam campeſtria trans Aemum ſita ſui juris fecit.

Ac profecto apud profanos auctores nihil

(41) Ac primum Herodotus Muſa I. 28. inter populos a Croeſo ſubactos (ex Aſia minore omnes) etiam *Thraces* recenſet . . . Παφλαγόνες, Θρήϊκες, οἱ Θυνοί τε καὶ Βιθυνοί, & plures alii, omnes ex eadem peninſula. At deinde lib. III. 90. inter gentes Darii Hyſtaſpidae tributarias etiam Aſiatici Thraces recenſentur his verbis: Ἀπὸ δὲ Ἑλλησποντίων τῶν ἐπὶ δεξιὰ ἐσπλέοντι, καὶ Φρυγῶν, καὶ Θρηΐκων τῶν ἐν τῇ Ἀσίῃ, καὶ Παφλαγόνων . . . *Ab Helleſpontiis, qui ad dexteram illuc innavigantium ſiti ſunt, & Phrygibus, & Thracibus Aſiaticis, & Paphlagonibus, & Mariandenis, & Syriis, trecenta & ſexaginta talenta erant tributum*. At pulcherrimus eſt Muſa VII. 75. 76. locus, ubi de utriſque Thracibus, tum Europeis tum Aſiaticis, qui in Xerxiano exercitu militabant, ſic agit; ut unos ab alteris accurate diſtinguat. *Thraces* (hos cum abſolute *Thraces* appellet, Europeos intelligit: nam mox ab iis diſtinguuntur, qui Aſiam incolebant) *Vulpinas pelles capitibus geſtabant* (concinit hic Herodoto Xenophon in VII. de exped. Cyri pag. 408. ubi Thraces caput & aures vulpinis pellibus munire ſcribit adverſus frigus) *circa corpus tunicas* & quae ſequuntur. Mox: *Hi tranſgreſſi in Aſiam vocati ſunt Bithyni, prius appellati, ut ipſi de ſe ferunt, Strymonii, quod Strymonem accolerent: a ſuiſque ſedibus exactos ſe dicunt a Teucris & Myſis*. Hactenus de Europeis Thracibus: ſequitur de Aſiaticis: *Thracibus autem, qui Aſiam incolunt, praeerat Baſſaces . . . geſtantibus brevia e crudo corio ſcuta, & bina ſingulis venabula ad conficiendos lupos, in capitibus autem caſſides aereas inſtructas aereis bovinis auribus cornibuſque, & imminentibus criſtis; tibias autem faſciis purpureis involutas habentibus. Apud hos viros eſt Martis oraculum*.

Jam vero Strabo lib. I. pag. 59. tradit, circa lacum Biſtonidem, ac circa Aphnetidem (quorum ille in Europea Thracia, hic in Aſiatica) quaſdam Thracum urbes diluvio exſtinctas. Aphnetii, quorum meminit Hom. Il. B. 832. apud Aphnetidem, ſive Aphnitidem paludem ſedes habebant. Adhaec idem Geographus lib. XIII. pag. 586. τὰ δὲ περὶ Ἄβυδον (ἐνῴκησαν) Θρᾷκες. *Quae circa Abydum ſunt, Thraces tenebant*; quibus addit vicinos *Treres*, qui & Thraces erant.

(42) Infinitae regiones ſunt per Europam Aſiamque a Thracibus habitatae. Geographus lib. X. pag. 471. ſcribit, Pieriam, Olympum, Pimplam, Libethrum in Boeotia fuiſſe olim Thracia loca. De Aſiae Minoris diverſis tractibus, quos Thraces incoluerint, paſſim lib. XIII. Idem lib. XI. verſus finem, ſupra Armeniam prope Guranios ac Medos memorat *Thraces Saraparas, feros homines*: ubi & hoc notandum, quod Σαραπάρας interpretatur κεφαλοτόμους *capitum amputatores*. Merito: nam, uti judico, compoſita vox eſt ex Chald. שרוי *ſerui* (quod quidem venit a שרא *ſara* quod eſt *incipere*) i. e. *caput*, & a verbo פרס *peras*, quod eſt τέμνειν, *ſecare in partes duas*. Poſterior quidem compoſiti pars poſſit etiam deduci a פרץ *peras*, *diſrumpere*, aut a פרש *perash*, *ſeparare*: ſed primum verius.

(43) Potiſſima cauſa illa eſt, quod ubi plures ejuſdem nominis regiones de primatu antiquitatis certant; palma ei danda eſt, quae ſit communi patriae Japhetidarum vicinior.

hil eſt bello Iliaco memorabilius , nihilque Homero ſcriptore vetuſtius . At apud hunc magnum Poëtam in Catalogo uni & eidem Aſio tum ea Thracia , quae circa Abydum in Aſia minore , tum etiam tranſmarina altera quae in Europa erat , parebat . Sic enim Il. B. 835. (Catal. 342)

Οἱ δ᾽ ἄρα Περκώτην καὶ Πράκτιον ἀμφενέμοντο,
Καὶ Σηστὸν καὶ Ἄβυδον ἔχον, καὶ δῖαν Ἀρίσβην·
Τῶν αὖθ᾽ Ὑρτακίδης ἦρχ᾽ Ἄσιος ὄρχαμος ἀνδρῶν,
Ἄσιος Ὑρτακίδης, ὃν Ἀρίσβηθεν φέρον ἵπποι
Αἴθωνες, μεγάλοι, ποταμοῦ ἀπὸ Σελλήεντος.

Tum qui Percoten , qui & Practium utrinque tenebant ,
Qui Seſtumque & Abydon , Ariſbae, & qui loca diae :
Aſius Hyrtacides praeerat dux hiſce maniplis :
Hyrtacides fulvis ingentibus uſque ab Ariſba
Vectus equis , veniens a flumine Selleente .

Ex quo pulcherrimo loco , oſtenditur , uni Aſio praeter Abydum , & finitima loca.(quae olim Thracia Aſiatica erat) etiam in oppoſito littore Seſtum paruiſſe , imo & una cum Seſto totam opinor , Thraciae (44) Cherſoneſum , uti perſuaſiſſimum habeo . Atque ea demum eſt prima , & omnium antiquiſſima Thracia a Thiraſo Japheti filio condita . Et aliquamdiu quidem in Aſia Thracium nomen circa Abydum , uti vidimus , floruit , quod ſupra ex Herodoto etiam & Strabone intelleximus . At poſtea partim veteribus , partim novis Aſiae incolis circa urgentibus & propellentibus , Thracum Aſiaticorum primitivorum in ora Helleſpontia res atque nomen exolevit . Viciſſim tamen poſt aliquod tempus populi plures [quos Strabo (45) ita recenſet , ut eos omnes ex Thracibus proſeminatos ſtatuat] ex Europa in Minorem Aſiam inundarunt , atque ejus peninſulae pleraque occuparunt .

Atque haec quidem ſatis pulchre haberent ; niſi plura providerem , quae objici poſſint . I. Ac primum quod Strabo non uno ſuae geographiae loco Thraces omnes Aſiaticos , qui in pluribus illius magnae peninſulae locis conſederunt , ex Europea Thracia arceſſit . II. Quod idem , ubi de Aſii apud Homerum principatu loquitur , Abydum [46] & quae circa ſunt , nonniſi poſt Troicam cladem a Thracibus occupari coepiſſe ſtatuit . III. Poſtremo quod idem [47] teſtatur , ante Thracum in Troadem irruptionem , ipſaque adeo belli Trojani aetate , omnem eum tractum

(44) Thraciae Cherſoneſum etſi anguſto iſthmo cum Magna Thracia junctam , tamen vix quidquam cum ea habuiſſe commune , plura declarant ; atque in primis , quod iſthmi fauces pluries muro ducto interſaeptae leguntur : ſemel a Miltiade adverſus Abſinthiorum Thracum incurſiones (de quo vide Herod. VI. 37.) rurſus ubi (apud Diodorum lib. XIV. pag. 407. ſive 266.) Cherſoneſitae bello a Thracibus , qui extra iſthmum , afflicti , adjuti vero a Dercyllida , Thraces extimos pepulerunt , ac mox muro ab uno mari ad alterum ducto , Cherſoneſum διετείχισαν . Atque id eſt celebre Μακρὸν τεῖχος . Haec ſane etſi poſteriora ſunt Heroicis Homericiſque temporibus ; tamen declarant , etiam antiquitus Cherſoneſum non fuiſſe in Europea Thracia cenſitam (non ſolebant enim facile regionum diviſiones , quas quidem ipſa locorum natura ſtatuiſſet , mutari ac perverti : id quod in Peloponneſo ceteriſque Cherſoneſis clarum eſt) ſed potius Abydo ac Thraciae Aſiaticae contributam , Homero teſte in loco modo recitato . Itaque ſicuti Homeri tempore Seſtus Aſio parebat , ſic & cetera Cherſoneſus . *Seſtum* autem duntaxat in Cherſoneſo Poëta nominat ; quia Cherſoneſi oppida pleraque recentiora ſunt Troico aevo , quippe ſignificationis Graecanicae : ex quo patet ea poſt id tempus aedificata , quo ἑλληνισμὸς in Troadem ſimul & Cherſoneſum pervaſit . Omnino nemo hoc mihi eripiet , quin Cherſoneſus ſimul cum oppoſitae Troadis parte regnum Aſii h. e. primitivam Thraciam Aſiaticam , & primitivas Thiraſidarum ſedes conſtituerit .

(45 Ii ſunt Myſi ; Bryges , qui poſtea Phryges , Thyni , qui poſtea Bithyni ; & alii plures , quos Geographus ab Europeis Thracibus ſatos docet .

(46) Strabo lib. XIII. pag. 586. *Atque ea tempeſtate Troja talis erat . Inciderunt poſtea mutationes omnis generis . Nam quae circa Cyzicum ſunt , Phryges occupaverunt uſque ad Practium* (τὰ δὲ περὶ Ἄβυδον Θρᾷκες· ἔτι δὲ πρότερον τούτων ἀμφοῖν Βέβρυκες καὶ Δρύοπες· τὰ δ᾽ ἑξῆς Τρῆρες , καὶ οὗτοι Θρᾷκες) *quae circa Abydum , Thraces ; & ante utroſque Bebryces & Dryopes : quae porro ſunt , Treres ipſi quoque Thraces .*

(47) Strabo initio lib. XIII. pag. 582. Ὁ μὲν ποιητὴς ἀπὸ τῶν περὶ Αἴσηπον τόπων , καὶ ἀπὸ τῶν περὶ τὴν νῦν Κυζικηνὴν χώραν , ὑπαγορεύει μάλιστα τὰς Τρῶας ἄρξαι , καὶ μέχρι τοῦ Καΐκου ποταμοῦ . *Homerus quidem ab Aeſepo vicinis locis , & eis , quae circa Cyzicenam vocatam ſunt , Troes potiſſimum imperaſſe innuit uſque ad Caicum amnem .*

Digitized by Google

ctum a Troibus fuiſſe habitatum ; qui Troës a Cyzicena uſque regione ad Caicum amnem pertinebant, in plures δυναστείας diſtributi; quorum erat una illa , quae Aſio parebat . Ex quibus manifeſtum eſt , eum tractum , qui poſt Iliacam cladem Thracia Aſiatica erat ac dicebatur , fuiſſe primitus Troicam regionem, & a Troibus habitatum . Quibus intellectis , videntur ea concidere , quae ſupra poſita fuerant .

Huic argumento reſpondeo , eodem rem univerſam revolvi , ſive Troes ſive Thracas primos Troadis incolas dixeris ; nam utrumque a *Thiras* profectum eſt nomen , prout vox *Thiras* varietate dialectorum immutata fuit . A *Thiras* , abſorpta primore vocali fit *Thras* & [mutato ſibilo S in ſibilum X] *Thrax* , cujus obliqua aſſumunt κ , θρακὸς &c. Quod ſi A extremae ſyllabae in O Syrâ dialecto vertas , exſiſtet Τρὼς , & in obliquis *Trois* &c. Ergo ſive Troibus ſive Thracibus ſedium primatum aſſignes , non aliis quam Thiraſidis aſſignabis . Verum de his plura ſtatim §. 3. ineunte , dicam .

§. 3. *De Thiraſidarum [tum Troum ſcil. tum Thracum] primis ſedibus amplius , ſimul de populis aliis primitivis ſcitu digna , per quae ſatis proxime objectis occurritur.*

Ajo equidem, *Dodanim* ac *Thiraſum* una pariter in eumdem Troadis angulum initio provectos , ibi [maris ſcil. objectu territos ne ultra procederent] una ſimul conſediſſe . Neque initio aliter fieri poterat , quam ut plures fratrum familiae conjunctim habitarent, ante quam ſuboleſcentes diſtrahi ab ſe invicem cogerentur . Porro ex his ſicuti *Dodanim* Dardanos propagarunt [ut ante in *Dodanim* innui, alibi copioſius id oſtenſurus] ſic a *Thiras* creati Troës -. Nec enim TROS [qui *Troum* auctor perhibetur] alius a *Thiras* Moſaico fuit : litterae ſunt in utroque eaedem : motiones etſi paullo diverſae ſunt , at non praeter analogiam immutatae : de quo in fine §. 2. pauca jam dixi . Ergo *Thiras* non alius quam TROS . Nec ſunt hic audiendi poëtae , qui *Troes* cum *Dardanis* tamquam eamdem gentem confuderunt : nam iidem tantumdem in *Pelaſgis* , *Danais* , *Achivis* fecerunt , quos tametſi diverſos , tamen tamquam συνωνύμως uſurparunt . At revera *Troës* tam ſunt a *Dardanis* diverſi , quam *Thiras* a *Dodanim* . Caveat tamen quiſquam Troes cum Dardanis interdum confuſos miretur , quia in eodem Troadis angulo utrique permixtim habitabant . Nam eosdem hos duos primitivos populos [*Troës* inquam & *Dardanos*] cum creſcente mox multitudine anguſtior terra non caperet ; coeperunt per plures diverſis temporibus colonias exonerare vulgus . Atque in his coloniis idem quod in aliis uſuvenit , nimirum nominum μετασχηματισμὸς ſeu *transfiguratio* . Itaque quemadmodum qui in ſua terra vocabantur vulgo *Phoenices* , in Africa *Poeni* fuere dicti : atque *Bryges* mox in Aſia *Phryges* audierunt , totque alii in eumdem modum; ſic *Dodanim* h. e. *Dardani* alibi quidem primitivum nomen retinuere , ut in Dardania prope Illyridem , & in Dodona Moloſſiae : at alibi tamen in *Titanas* degenerarunt, alibi, mutato de more D in R, *Rhodanim* evaſerunt ; & quae plurima in *de Dodanim* dicam mox Parte ſecunda .

Idem igitur & in Thiraſi nepotibus accidit . Primi conditoris hujus poſteri in terra , quam primitus occuparunt , ex *Tiras* ſive *Tras* fecere *Tros* pronuntiatione Syriaca , uti dixi , ſuamque terram dixere *Trojam* : quae vox poſtea urbis Thiraſidarum metropoleos, ſed ante regionis nomen fuerat . At vero iidem ſtatim aucto ſuorum populo, & urgentibus quaquaverſum vicinis , tranſmiſere in Europam; in qua proceſſu temporis non amplius *Troës* , ſed *Thraces* nuncupari coeperunt. Siquod eſt autem inter *Troës* atque *Thraces* vocis diſcrimen , id minimum repericetur , ſi quidem ex recto (48) caſu rem judicare velis .

---

(48) Quae, inquam, inter Thraces Troëſque in obliquis caſibus inſignis eſt diſcrepantia , ea in recto caſu minima, imo in conſonis nulla eſt. Nam *Thiras* , *Tros*, *Thrax* ex iisdem plane conſonis componuntur : quia in ſerie Alphabeti Phoenicii τὸ Ξ eſt loco τῦ *Samech* Hebraici . Vocalium autem differentia ex dialectis manavit, nam O ſive *Cholem* Hebraicum, apud Chaldaeos in *Kamets* ſive A tranſit . Rurſus *Kamets* ſive A Hebraicum ab Syris ut O pronuntiatur . En ut inter rectos caſus (nim. *Thrax* atque *Tros*) nihil magnopere interſit , & ut a *Thiras* utrumque manarit . Ceterum ſicuti apud Orientales nomina per caſus non inclinantur ; ſic ne Troico quidem ac Thracio ſermone (quorum uterque barbarus a veteribus dicitur h. e. Hebraicae & Orientalium linguarum affinis) inclinabantur . Poſtquam autem Graeci caſus inflectere ex recto docuerunt , analogia ab his ſemel inſtituta admonuit, ut ex Τρὼς *Tros* fieret Τρωὸς *Trois* , ſicut ex Μίνως *Minos* , Μίνωος *Minois* : & ex Θρᾶξ fieret Θρακὸς , ut ex χάλξ eſt χαλκός .

lis. Itaque *Troës* atque *Thraces* ſicut ejusdem plane originis erant, ſic & ejusdem nominis: ſiqua enim nunc in iis vocabulis diverſitas cernitur, ea non tam populorum fuit, quam temporis cuncta immutantis, itemque locorum, ac dialectorum. Quare iidem illi Thiraſi nepotes in primitivo ſolo cum vocali O, at in tranſmarino cum A aut ipſi efferebant nomen ſuum, aut ab aliis efferri patiebantur.

Et hactenus ex *Thiras* duo populi proſeminati erant; *Troës* (ii ſunt primitivi Thiraſidae) atque *Thraces*, plane ejusdem utrique originis, ſed paullum diſcreti nominibus: imo potius eisdem praediti nominibus, ſed dialecto nonnihil variatis. At poſtea Thracum quidem in Europa majus in dies nomen effectum eſt (quid mirum, qui in terram vaſtiſſimam atque vacuam incidiſſent?) dum interim Troes quotidie peſſum ibant, partim attriti cladibus (inter quas Trojae ſuae metropoleos excidium numerandum eſt) partim a Myſorum, Phrygum, Aeolum, aliorumque plurium coloniis quotidie in arctum coacti. Itaque eo res evaſit, ut Troës Thracibus ſuis ὁμοφύλοις obſcuriores multo effecti, imo paene deleti, tandem qui ſupererant, in fratrum ſuorum i. e. Thracum nomen conceſſerint. Atque in eam partem accipere poſſumus id, quod Strabo prodidit, nim. poſt Troicam cladem Thraces Europeos ad loca circa Abydum h. e. ad Aſiaticam Thraciam inhabitandam veniſſe. Imo jam tum ab initio Thiraſidae ibi fuerant, verum non ſub *Thracum* ſed *Troum* nomine. At poſt quam Bryges, Myſi, Thyni (Thracii, uti ferunt, generis omnes h. e. Thiraſidae) in Aſiam inundarunt, etiam qui ſupererant Troes in Thracum nomen conceſſerunt, ac terram Trojam, *Thraciam* appellari ſiverunt. Ergo illi Thraces Troadis incolae in Herodoti hiſtoriis & in Strabonis Geographia celebres (ſive Troum eſſent reliquiae, ſive potius ex Thracibus advenis, & ex Troibus ſuperſtitibus coaleſcentes) uno Thracum nomine, tunc clariore, cenſebantur: & utcumque certe iſtud fuit, certe utrique ad Thiraſum referebant genus.

§. 4. *Aliud praeterea argumentum, quo primae Thiraſidarum ſedes in Troade ſtabiliuntur.*

Age vero rem hanc univerſam hoc ultimo argumento muniamus, quo non raro utitur Geographus, ut de populorum ὁμοφυλίᾳ fidem faciat. Qui quoties hominum locorumve nomina plura, duabus in regionibus eadem deprehendit; hinc ſtatim colligit, earum provinciarum habitatores fuiſſe generis ejusdem, & alteros ab alteris proſeminatos, atque inde ὁμωνυμίαν fuiſſe profectam. Vide in DODANIM h. e. in Libelli hujus Parte altera, ubi par hujuſce rei exemplum de Creta ex Strabone protuli. Sed & hic idem auctor etiam in Troade loca plura ejusdem nominis ac in Thracia Europea, recenſet lib. XIII. pag. 590. Πολλαὶ δ' ὁμωνυμίαι Θραξὶ καὶ Τρωσὶ, &c. *Multa ſunt nomina Thracibus cum Troibus communia. Sicuti Scaei ſunt Thraces quidem & Scaeus fluvius & Scaeus murus; ita & in Troja Scaeae portae. Sicuti Xanthii ſunt Thraces quidam; ita Xanthus Trojae amnis. Vt Arisbus amnis eſt in Hebrum influens: ſic Arisba item in Troja. Rheſus Trojae fluvius, & Thracum rex Rheſus. Eſt etiam Aſio, de quo ſupra, cognominis alius Aſius apud Homerum*: cujus & (49) verſus refert. Has quidem ὁμωνυμίας Strabo affert. At ſicui forte ſit ſatagendi voluntas, ſi paullum modo intenderit animum, longe plures reperire poſſit. Tale enim illud eſt, quod Thracia dicta olim (50) Πέρκη *Perce* fuiſſe narratur: at in Troade *Percote* oppidum erat,

(49) Alter hic Aſius apud Homerum, Il. Π. 717.

. . . . μήτρως ἦν Ἕκτορος ἱπποδάμοιο,
Αὐτοκασίγνητος Ἑκάβης, υἱὸς δὲ Δύμαντος.
Cornipedum domitoris avunculus Hectoris, atque Idem Hecubae germanus erat, proleſque Dymantis.

Cum autem hic Aſius ad Troadem pertineat; oportet alterum illum, cui hic opponitur, domo Thracia fuiſſe. At quis fuerit, non dicit. An ille eſt Aſius, cui in Cherſoneſo Seſtus, in Troade vero Abydus & alia loca parebant, ut ex ſupra recitatis a Strabone Homeri verſibus conſtat?

(50) *Sic olim Thracia* Πέρκη *vocata, ſicuti pari olim ſignificatu* Rhegium *ita dictum. Cur mare Euxinum ab initio dixerint proprio nomine* Pontum.

Stephanus in Θρᾴκη ſic docet. Θρᾴκη, χώρα ἡ Πέρκη ἐκαλεῖτο, *Thraci regio eſt, quae* (olim) *Perce vocabatur*. Euſtathius ad Dionyſium a quadam nympha *Thrace Thraciam* appellatam videri ait, cum antea *Perce* nuncuparetur. Haec ſunt verba grammatici: ἀπὸ ταύτης (νύμφης) τῆς Θρᾴκης δοκεῖ ὀνομάσθαι ἡ χώρα, Πέρκη ποτὲ καλουμένη.

Quaeris, quo ſpectet id nomen? *Perce* eſt a verbo פרק *parak*, quod non tantum Hebraeis ſed & Chaldaeis, Syris, Samaritis, Arabibus, eſt

erat, cujus Homerus (51) aliique meminerunt. Tale & illud etiam, quod ſicuti in magna Thracia rex *Teres* celebratur, itemque in Phocenſi Thracia apud Thucydidem loco ſupra recitato *Tereus*, ac *Treres* Thracum genus erant; ita in Troade *Tereia* apud (52) Homerum legitur, & *Terias* fluvius apud Stephanum. Bocharto quidem ſi credimus, *Teres* rex Thraciae eſt ipſe *Thiras* aut inde deductum nomen: at in Troade, h. e. prima Thiraſi ſede, plura nominis illius conditoris veſtigia ſupererant, tum TROS (ut ſupra dictum fuit) tum *Tereia* loci nomen; tum etiam apud Strabonem (53) *Tarſius* amnis. His accedit, quod ſacra Curetica, Corybantia, Cabiria, Samothracia (& quae plures ſunt ejuſmodi ſuperſtitionis enthuſiaſticae appellationes) communia Troadi cum Thracia fuerunt: de quibus videbis in DODANIM longam in fine Digreſſionem. Accedit poſtremo *Mars* (54) Troum non minus ac Thracum peculiare numen. Plures hujuſmodi affinitates

eſt *perrumpere*, *diffindere*, *ſejungere*. Convenit, & Gallicum *percher*, & Neapoli & alibi *Perciare*. Hinc פרק *perek* cum duplici *Segel* eſt *ruptura*: unde Chaldaeis fit emphaticum פרקא *pirka* notionis ejusdem: at Syri in prima ſyllaba vocalem E retinent, quibus פרקא *perko* eſt *veſtis lacera & conſciſſa*, aut vero abſciſſum inde veteramentum, Gr. ῥάκος.

Nunc quaerendum, quo pacto *ſciſſurae* notio Thraciae apte conveniat. Eadem plane ratione, qua oppidum prope Siculum fretum Ῥήγιον eſt appellatum, propter rupturam illam, qua ferunt Siciliam ab Italia abſciſſam olim fuiſſe. Nec refert, vera ne an falſa narratio illa de *Rhegio* ſit: nam locorum antiqua nomina ſaepe fabulis antiquis niti, aut contra appellationibus illis fabulas fuiſſe ſuperſtructas, pluries jam animadvertimus. At quaenam *ruptura* in Thracia facta eſt, quamobrem *Perka* appellaretur? Rationem ex Stratone affert Amaſenus Geographus lib. I. pag. 49. *Strato autem* (inquit) *ad cauſae explicationem magis accedens, exiſtimare ſe ait, Euxinum mare caruiſſe aliquando exitu, qui apud Byzantium eſt; ſed flumina, quae ſe in illud infundunt* (quae alibi Strabo circiter quadraginta, ac pleraque magna, numerat) *vi ſibi oſtium aperuiſſe; itaque aquam in Propontidem & Helleſpontum erupiſſe*. Adhaec Diodorus lib. V. Pontum olim lacui ſimilem fuiſſe ait; mox ex influxu fluminum erupiſſe ad Cyanea primo, deinde ad Helleſpontum. Sed & Plinius ſimiliter plures veterum exiſtimaſſe ſcribit. Videatur & Solinus cap. 22. & 26. En cur Thracia olim *Perca* vocata fuerit, quaſi ſi Ῥήγιον i. e. *perruptam* aut *diffiſſam* dixeris; quia conatu exeuntis Ponti, terrae Thraciae ſolum, quod olim cum Aſia continuabatur, diſruptum fuerit. Aut certe ex eo quia Perca dicebatur; hinc ei nomini narratio illa inaedificata fuit. Sicuti quae vulgo *Rhegii* etymologia a ruptura petitur, eam re vera ab *regio* ejus urbis antiquiſſimo dominatu eſſe arceſſendam, in Comment. ad Tabb. Heracl. ita ſuaſi (pag. 550. ac porro) ut ejus curae non me poeniteat.

Et quandoquidem huc ſermone divertimus, & illud porro quaerendum, cur mare Euxinum (& tranſlate quodvis aliud) PONTUS vocaretur. Et quidem Πόντος apud Graecos Latinoſque etymologia caret. Recte; quia in Orientis linguis infixas radices habet. Nam פנתא *panta* tam Chaldaeis, quam Syris *dorſum* ſignificat; ac peculiariter uſurpatur tum de manus, tum etiam de pedis dorſo. Id vero quam bene Euxino mari conveniat, nemo non videt. Nam antiqui illi omnes, qui ſcripſere, Pontum perrupiſſe ſibi oſtium ad Byzantium, non aliam cauſam attulerunt, quam quia ejus maris dorſum ex plurium maximorum influxu fluminum nimium intumuiſſet.

(51) Περκώτην *Percoten* in Troade Homerus agnoſcit Il. B. ſub finem:

> Οἳ δ' ἄρα Περκώτην, καὶ Πράκτιον ἀμφενέμοντο.
> *Tum qui Percoten, & Practium utrinque colebant.*

Meminit ejusdem Arrianus lib. I. in Alexandri itinere: item Plinius V. 32. Adhaec Strabo: & Stephanus, qui & ejus gentile facit Περκώσιος, quo Homerus utitur Il. B. verſus finem in mentione Μέροπος Περκωσίου.

(52) Homerus Il. B. 829. Τηρείης ὄρος αἰπὺ, *Tereiae montem altum* memorat. Adhaec Alexander Polyhiſtor apud Stephanum in Γαλλὸς perhibet, Gallum amnem Phrygiae percelebrem, antea Τηρίαν *Teriam* fuiſſe vocatum.

(53) Strabo lib. XIII. pag. 587. *Prope Zeleiam amnis eſt Tarſius*, εἴκοσιν ἔχων διαβάσεις τῇ αὐτῇ ὁδῷ, h. e. *vicies eadem via tranſeundus*: cujuſmodi amnes aliquot pluries eadem via tranſmittendos (etiam ſeptuagies quinquies) ibidem memorat. Sicuti & noſtra aetate euntibus ab Genevâ Seiſſellum (quod a Genevâ ad X. millia abeſt) amnis quidam quater decies tranſmeandus occurrit: & in Tranſylvania fluvius Criſius eſt bis & trigeſies eodem viae tramite trajiciendus: utrumque teſte Caſaubono ad eum Geographi locum.

(54) Martem Thracum peculiarem eſſe deum, nemo dubitat: vel vide quae in eam rem congeſſit Bochartus, ubi de *Thiras*. At etiam idem deus Troum peculiaris erat; non tantum quia in Trojano bello Trojanorum partes tam impen-

Digitized by Google

cui plus eſt otii, quaerere & huc conferre poſſit. Ex his autem omnibus facile animadvertitur, Troës Thracibus ὁμοφύλους fuiſſe (utri alterorum coloni, nondum interpretor: nam mox §. ſeq. de eo videbimus) ejus vero rei cauſam non eſſe conferendam in Thracum Europeorum irruptionem in loca circa Abydum, ex eo clarum eſt, quod haec irruptio Straboni poſterior eſt Iliaco excidio: at interim ea tanta ὁμωνυμία hominum locorumque jamdiu antiquior bello Trojano erat, uti ex Homero demonſtravimus.

En igitur binas Thiraſidarum Sedes bello Trojano antiquiores, nimirum Troadem, & Europae Thraciam; eaſque ſibi proximas, ac tantum Helleſponto & Propontidis parte diſcretas. Nunc illud quaerendum eſt, utra alterius matrix, utra vero tradux ex altera fuerit. Poſſem ſane, ſi παραδοξολογεῖν ſit voluntas, id tueri, quod ſupra ex παραδόσει vetere innuimus, nimirum primitus utramque terram fuiſſe uno tractu continuatam, antequam (ſi vera eſt Stratonis opinio) Pontus ſibi Byzantini Boſpori fauces aperuiſſet, perque illud oſtium in Propontidem ac porro progreſſus eſſet. Quod certe ſi accidit; tum vero diſcretis regionibus habitaſſe Thiraſidas, atque Europaeam quidem portionem dictam fuiſſe *Thraciam*; alteram vero Trojam atque Troadem, in qua & *Percote* fuit. Id ſane non invitus ſtatuerem, ſi παραδοξολογίαις delectarer. Verum age terra Troas atque Thracia infuſis ab initio maribus diſcretae inter ſe primitus fuerint: ſed utraque tamen Thiraſidarum ſedes erat. Nunc quaero, utra Thiraſidarum prius domicilium fuerit, unde in alterum poſtea commigraverint.

Jam autem pluries a me hoc firmatum fuit, ſemper in hujuſmodi litigiis primas Aſiae deferendas eſſe: quam magnam peninſulam primum Japhetidarum communem receptum fuiſſe, ex libro Judith oſtendimus; nec antea inde per colonias alio diffuſos, quam creſcentem in immenſum multitudinem exhaurire per migrationes coacti eſſent. Accedit, quod quae viciniora Armeniae h. e. communi Noachidarum patriae loca ſunt, ea prius occupata, quam remotiora, fuerunt; praeſertim ſi ad remotiores terras nonniſi mari via patuiſſet: quod genus itineris parum uſitatum tunc mortalibus erat. Poſtremo ſi forte finxerimus, Thiraſidas primo appulſu in magnam Europae Thraciam veniſſe; nulla ſatis idonea cauſa afferri poterit, cur, qui in laxiſſimas Europae regiones, easdemque vacuis ad ſeptemtrionem & occidentem ſolem tractibus circumfuſas, incidiſſent, colonias in Aſiam (refertam omni aevo habitatoribus) ad novas ſedes optandas mittere penſi habuerint, ut ibi Trojam atque Troadem conderent. At vero ſi (quod res eſt) in Aſia & in anguſto Troadis angulo primitus conſederunt; tum & ſedium anguſtiae, & quod eos frequentes vicini ex omni parte urgerent, impellerentque; ac demum creſcens in dies ſuorum multitudo, ſatis eos admonuiſſe videbuntur, ut ex Aſia in περαίαν, h. e. in Europae Thraciam transfretarent.

§. 5. *Idem poſtremo firmatur atque exornatur ſignificatu vocis THIRAS.*

THIRAS iſte, de quo tamdiu agimus, Gen. X. 2. per *Tau*, *Res*, *Samech* ſcribitur in hunc modum תירס: nam *Jod*, ſervile eſſe, nemo non videt. Hanc porro ſervilem litteram ſi tranſponas; exſiſtet תריס *theres*, ſive (abſorpto *Sceva*) *tres*; quae vox, apud Chaldaeos Paraphraſtas tritiſſima, *ſcutum* notat. Eadem vox apud Arabes idem ſignificat. Nec aliunde eſt vox Graeca (55) θυρεός. Jam vero quid haec *ſcuti* ſignificatio commune habeat

ſe fovit, ut etiam ob eam cauſam vulneratus a Diomede fuerit; & quod Mars idem Romanorum, qui ſunt Troum ἀπόγονοι, proprium ac praecipuum numen erat; verum etiam, quod *Martis oraculum* (Ἄρεος χρηστήριον) ex Herodoto VII. 76. in Thracia Aſiatica h. e. in regione circa Abydum, ſeu in Troade erat. Hujuſmodi autem oracula, ubicumque exſtiterunt, arguunt remotiſſimam antiquitatem.

(55) Homerus quidem Od. I. 240. ſaxum ſpeluncam Polyphemi obſtruens vocavit Θυρεὸν: at poſteriores (ait ad eum locum Euſtathius pag. 1626. 55.) ἀσπίδος εἶδός φασὶ τὸν Θυρεὸν, παρωνυμούμενον θύρᾳ διὰ τὸ μέγεθος, *clypei genus vocant θυρεὸν derivatum a θύρᾳ* i. e. *porta*, *propter ejus* (ſcuti) *magnitudinem*. Qui mox initio pag. 1627. adnotat, ex eo quod θυρεὸς (*ſcutum*) ſimilis portae, eſſet, hinc a θύρα factum eſſe θυρεὸν, nim. *interpoſito E*. Quae quidem etymologia licet non inepta ſit; tamen vel ſic θυρεὸς ab Oriente erit; quia ipſum θύρα (unde arceſſunt θυρεὸν) eſt a Chaldaeo תרע *thera* ſeu תרעא *thirah*, quod *portam* ſeu *oſtium* ſignificat. Tamen malo, illud θυρεὸς fieri ἀμέσως a Chald. תריס *theres*, quod, uti dixi, apud Chaldaeos & Arabes ſcutum notat. Nec eſt veriſimile hanc vocem viros Orientales a Graecis mutuatos; quia ea vox apud Graecos quidem ſua nativa ἐτυμότητι caret (nam θυρεὸν

Digitized by Google

habeat cum *Thiraſo* & cum ejus poſteritate, facile eſt ſuſpicari. Videtur enim *ſcutum* ſive θυρεὸς (quod eſſe aliud a clypeo vel pueri norunt) Thiraſidarum fuiſſe inventum; & ob eam cauſam ſive accepiſſe, ſive dediſſe Thiraſo atque ejus poſteritati nomen. Certe Mars (quem Thiraſidarum h. e. Troum & Thracum fuiſſe peculiare numen, ſupra jam obſervavimus) *ſcutatus* procedebat; quemadmodum ex nummis aliiſque monumentis intelligimus. A Thiraſidis vero ſive Troibus tam Martis praecipua veneratio, quam & ſcuti uſurpatio pro clypeo manavit ad Romanos, quippe Troum ἀπογόνους. At interim valeant, qui a Samnitibus (56) ſcutum accepiſſe Romanos docent.

Haec quidem veriſimillima eſſe, nemo diffitebitur. Tamen poterit ſimplicior & γνησιωτέρα *Thiraſi* etymologia conſtitui; ſi modo fingamus *Thiraſum* eſſe a verbo תרס (57) ciq. verbo *obarmandi* & *muniendi* notionem ineſſe, ut ſit plane militare verbum: a quo verbo ſicuti *ſcuti* Chaldaicum nomen venit; ſic etiam deſcendet indidem *Thiras*, quae vox facile *bellatorem* notaverit, aut aliud quidpiam ad militarem laudem pertinens. Nam certe Thiraſi genus (tum primitivum, qui Troes ſunt; tum etiam Thraces a Troibus ſati) omni aevo ceteras quaslibet nationes militari gloria ſuperavit. Mitto alias etymologiae rationes.

Poſtremo haec ultima dum ſcriberem; reperi in rad. תרס apud Caſtellum τὸ תירס verti *Troia*. Vndenam hoc hauſerit, adhuc quaero. Ab Judaeis ſcriptoribus, opinor, id eſt; quos apparet *Troiam* appellaſſe תירס *Thiras* in ſcriptis ſuis. Cujuſcumque autem momenti ea res viſa fuerit: certe gaviſus fui, ſententiae meae (nim. quod *Troia* Thiraſidarum primitiva ſedes fuerit, & *Troes* primum Thiraſi genus) etiam Rabbinorum ſuffragium accedere. Habes, cur terram Troiam primum & antiquiſſimum Thiraſi domicilium fuiſſe cenſeam.

DE INSVLIS GENTIVM.

Gen. X. 5. ita legitur: *Ab his diviſae ſunt INSVLAE GENTIVM in regionibus ſuis, unuſquiſque ſecundum linguam ſuam & familias ſuas in nationibus ſuis*. Haec clauſula non Japhetidis tantum, ſed & Chamidis ver. 20. itemque Semidis ver. 31. ſubjicitur: niſi quod hoc inter Japhetidas, interque Chamidas Semidaſque intereſt, quod Japhetidis unis *Inſulae gentium* aſſignantur, non item ceteris. Ex quo poſſis intelligere *Inſulas* fuiſſe ſorti Japhetidarum proprium quiddam ac διακριτικόν. Hoc vero cum dico, non ita accipiendum, quaſi a ceterorum ſortibus inſulae prorſus abfuerint; verum hoc ſibi Moſes voluit, in Japheti portione praeter inſulas plurimas paſſim per mare mediterraneum ſive ſparſas ſive conglobatas, fuiſſe duas immenſas peninſulas nempe Minorem Aſiam, & hac longe grandiorem Europam: quae duae quamvis apud Latinos Graecoſque proprie *peninſulae* ſeu *cherſoneſi* vocentur, tamen apud Hebraeos eaedem nomine τῶν איים *Jim* nihilo minus continentur, quam quae mari ex omni parte ambiuntur, ac velut innatant.

Jam vero cur additur *Gentium*? Voluit Moſes hic diſerte hoc addere, quod tamen aevo Prophetarum, etſi non additum, intelligebatur tamen. Nam millies in Iſaia, in Pſalmis, ceteriſque Prophetis quoties *Inſulae* ad Evangelii auſculationem invitantur, ad

 gentiles

θυρεὸν a θύρα fieri, grammaticorum nihil melius habentium eſt miſerabile inventum) at Chaldaicum *Theres* i. e. *ſcutum*, optime a verbo תרס, quod eſt *protegere*, fluit.

(56) Athenaeus lib. VI. Romanos ait a Samnitibus ſcuti uſum didiciſſe: παρὰ Σαυνιτῶν δ' ἔμαθον θυρεοῦ χρῆσιν. Verum jam tum, cum populi in claſſes diviſio inſtituta fuit, ſcutum uſurpabant Quirites; quo tempore nihil his cum Samnitibus negotii fuerat. Livius lib. I. ſecundae claſſi *ſcutum* pro *clypeo* imperatum dicit: quo loco apud Dionyſium *ſcuto* θυρεὸς, *clypeo* ἀσπὶς reſpondet. Itaque haud temere exiſtimaverim, ſcuto Romanos ab initio uſos, illudque a Troibus fortaſſis accepiſſe, majoribus ſuis.

(57) In Buxtorfii Chaldaico Lexico תריס *theres* i. e. *ſcutum* ponitur ut primitiva vox, unde verbum אתריס *atres* (quod eſt formae *Aphel*; quodque ſignificat *armare*, *protegere*, *opponere ſe* &c.) derivetur. At equidem exiſtimo, verbum iſtud prius eſſe quam *theres* i. e. *ſcutum*, imo hoc ab illo verbo derivari: quemadmodum Hebraice τὸ מגן *magen* i. e. *ſcutum* non eſt primitivum, ſed a verbo גנן *ganan* quod eſt *ſepire* & *protegere*, tamquam a radice, pullulat. Accedit, quod ſicuti Hebr. *magen* ſaepiſſime vox eſt γενικωτέρα non peculiariter *ſcutum* notans, ſed generaliter *protectionem*, *praeſidium*, *rectores*, *protectores*; ſic etiam Chaldaice τὸ *theres*. Ex quo palam fit, prius eſſe verbum, quam *ſcuti* appellationem apud Chaldaeos; nec ſecus apud Arabes.

gentiles is invitatus pertinet. Quocirca prophetica vox illa, *Audite Inſulae* &c. ad gentiles pertinet, maxime autem ad Japhetidas, quorum & habitatio omnis inſularis fuit (quia Minor Aſia & Europae continens, erant magnae *peninſulae*, h. e. *Inſulae* Hebraeorum ſermone) & praeterea ad admovendas aures Evangelio multo promptior eorumdem alacritas exſtitit. Ac de Japhetidarum κληρουχίᾳ (*ſortitione*) tantum.

Nunc ſupereſſet ut Chamidis Semidiſque paucula adſpergerem, nec eos mihi praeteriri ſinerem. Verum de Chamidarum quidem illo erratico genere plurima non parca manu me admenſum in illa παρασκευαστικῇ πραγματείᾳ, quam ſup. pag. 201. praemiſi, ſcio. At ne de Semidis pari accuratione dicam, & valetudo, & hoc aetatis, & otii ad indaginem inſtituendam penuria intercedunt: ut omittam quod ſiquid ſchedarum eo pertinentium fuit, id nunc fruſtra requiro.

DODANIM

Digitized by Google

D O D A N I M

SIVE SYLVARVM PHALEGICARVM

P A R S   A L T E R A

Dodanenſium ſedes plurimas ab iis deinceps & ex intervallo occupatas complectens.

L E C T O R I.

ETſi Japhetidas harum Sylvarum Parte priore non parce tractavi, tamen de DODANIM (ſtirpe ceteroqui uberrima) meram guſtationem ſup. pag. 258. lectori obtuli, quippe quem ibi nolui ſatis jam ſuperiorum lectione defatigatum, copiae Dodanicae hujus nimietate opprimere: quem ceteroqui conſultius eſſet peculiari tractationi huic (quam jamdiu adumbratam habebam) reſervare vacuum atque recentem. Atque haec PARS ALTERA utinam brevior prodiiſſet. Quantovis id pretio mercarer. Verum quae ſic olim inter enitendum nata parenti fuerat, eam nunc neque mutilare decuit, ne prodiret monſtro ſimilior (quamquam vel ſic non pauca reſecui) nec mihi ejus inſigniter contrahendae otium & facultas fuit. Tametſi ceteroqui ſcriptarum in ea rerum nec magnopere poenitet, nec defugio prorſus auctoritatem. Nunc ergo ſermocinationem hanc alteram, qualis & quantacumque eſt, auribus otioſis committo. Negotioſi, per me licet, abſiſtant.

Nolo tamen ignorari, ecqua mihi cauſa prolixitatis fuerit. In extrema Diſſert. παρασκευαστικῇ ad Phalegicam ſortitionem (vide ſupra pag. 210.) quosdam ſtatui canones in hac re ſervandos, a viris tamen eximiis non raro violatos. Nunc ergo turpe mihi putavi, ſi fines illic ſignatos auctor ipſe praeteriiſſem. Verbi cauſa: de γενάρχαις finitis in IM praeſcripſi quaedam Can. II. (ibi vide: nam piget eadem recoquere) quae quidem ut in Cetthim, & hic in Dodanim re praeſtarem, non illibenter utroſq. ac maxime DODANIM, pluribus in regionibus conſtabilivi, ne immerito Moſes uſus plurali num. IM videretur. Ad haec ex Can. IV. cavendum putavi ne Japhetidae primo ex communi patria egreſſu, & quidem per ante intentata maria, in remotiſſimas provincias amandarentur, qui nuſquam in intermediis ſpatiis conſtitiſſent ac fruticaſſent. Atqui haec cautio ab aliis neglecta. Et quidem per hanc noſtram methodum plura diſſidentium doctorum diſſidia (*) pacare licebat, ſicuti ſuis locis non infeliciter

---

(*) Incredibile dictu eſt, quanta in definiendis ſingulorum Noachidarum coloniis diſcidia tum veteris tum recentis memoriae factorum interpretum fuerint: quorum pleraque facillime ſedari poterant, ſi quidem temporum diſtinguendorum cura fuiſſet, maxime quia immenſis temporum

Digitized by Google

liciter praeſtiti . Adhaec cur Liber Judith (II. 15.) Minorem Aſiam Fines Japheth *vocaverit , pluries eam cauſam oſtendi , quod Aſia minor maximae Japhetidarum partis receptus communis exſtiterit , in quam ex communi Noachidarum patria primaevâ paratiſſimum iter terreſtre patebat , cum nondum maris experientes evaſiſſent . In Minore igitur Aſia Japhetidas magna ex parte prius conſediſſe monſtravi , donec comparatâ maris peritia* Inſulae gentium (*ſicuti Gen. X. 5. Europa vocatur*) *ab iis* dividerentur . *Ea de cauſa prima τῶν Dodanim ſedes Dardania Troica fuit , unde poſtea per totam Europam ſparſi fuere : quod & in Cetthim & in Thiras & in aliis valuiſſe animadverti .*

Verum quid ago ? qui dum excuſare Sylvarum iſtarum nimiam prolixitatem ſatago , excuſatione ipſa longiore peccatum efficio cumulatius .

---

porum ſpatiis opus fuit ad replendum orbem habitatoribus . Ergo unus idemque γενάρχης in proximo communis patriae , uti par erat , principio metatus , ſtatim deinde ac confertim is locus habitabatur , nec videbatur amplius ad pabula ſuffecturus , relictis ibidem ſiqui dare nomina ad remanendum voluiſſent , ad ulteriora procedebat vacua latifundia . Nec aliter per vices poſtea fiebat . Poſtremo ubi navigandi adinventa peritia , tentari itinera tranſmarina coeperunt . Ita volventibus ſaeculis per illos dumtaxat , quos Moſes memorat , ſtirpium auctores repleta eſt terra coloniis. Nec aliter factum ab antiquiſſimis populis profana vetus hiſtoria narrat . Nec poſtremo (ne ab Japhetidis unis , quos hic narramus , diſcedam) aliter a Cetthim , Thiraſidis, Dodanim factum oportuit ; quia nec aliter res omnino tranſigi poterat .

Illud etiam notandum , quod primorum γεναρχῶν illorum , quos Moſes recenſet , nomina eadem a feris ipſis nepotibus, uti mos erat , gerebantur: quod eo dico , ne te fallat , ſi plures temporum citeriorum μετοικίαι primis auctoribus generum a Moſe tribuantur . Tribuuntur quidem , ſed πατρωνυμικῶς , quo modo ſub avorum nomine deſignantur nepotes . Ita plurimae hujuſmodi lites commode finientur ; nec incredibile habendum erit, ſi tot regiones a Thiras Cettim , Dodanim inſeſſae fuerint ; quia id de poſteritate tota capiendum eſt ad Moſis uſque ſcribentis aevum .

DE

DE DODANIM

SECTIO I.

De ambigua nominis hujus prima littera. Neutram litteram inconſulto adhibitam; ſicuti & terminationem in IM cum judicio a Moſe hic & alibi fuiſſe uſurpatam.

INter Javanitas οἱ DODANIM ultimo recenſentur loco: cujus quidem nominis ſcriptio admodum variat: eas vero varietates, utpote matres diverſitatis opinionum de ſorte aut ſortibus γενάρχου hujus, hîc adnotaſſe intereſt. Bis in Sacro Codice reperitur hoc nomen, hîc & 1. Paral. I. 7. Ad hunc Geneſeos locum quod attinet, tum in Hebraeo hîc, tum etiam in Onkeli paraphraſi cum *Daleth* legitur DODANIM: item Hieroſolymitanus cum D דודניא *Dodanja*: itemque in Syro & in Vulgata cum eadem littera. Solus Jonathan R addit, דרדניא *Dordanja* tamquam ſi ad *Dardaniam* regionem ſpectarit. At contra in textu & translatione Samaritana hîc eſt *Rodanim* cum canina littera, nec aliter LXX. in ſuo Hebr. codice reperiſſe neceſſe eſt, quippe qui hîc poſuerunt Ῥόδιοι, *Rhodii*. Haec de hoc loco Geneſeos. At vero in 1. Paral. I. 7. viri doctiſſimi praedicant, in Hebraeo ſcribi *Rodanim* cum R: quod ſit nec ne verum, quidque ibi ceterae translationes habeant, in ſubjecta (1) adnotione expoſui.

Sed & Joſephum miror, quid cauſae habuerit, cur tribus tantum filiis Javani aſſignatis (*Eliſa*, *Tarſim*, *Cetthim*) ceterum illos ſive *Dodanim*, ſive *Rodanim* ſecurus praeterierit (2).

Verum ad ſcripturae varietatem ut redeam, ex ea factum eſt, ut plerique vulgatam lectionem ſecuti, *Dodanim* hoſce in Epiri Moloſſia, ubi Dodona fuit, collocandos

(1) Quis primus affirmaverit, in Hebraeo 1. Paral. I. 7. legi, רודנים *Rodanim* cum *Resh*, haud habeo dicere. At quiſquis praeiverit; deinde alius alium in eo bona fide ſecuti ſunt. Itaque & Grotius ad Paral. & Bochartus, & Calmetus tum ad Gen. X. tum ad 1. Paral. aliique affirmarunt, in Hebraeo loci Paralip. non *Dodanim* ſed *Rodanim* ſcribi. At erat, cur de varietate ſcripturae ſuboleret aliquid, ſi quidem editiones plures conſuluiſſent. Certe in eo Paral. loco non tantum in Polyglottis Londin. *Dodanim* cum *Daleth* ſcriptum deprehendi (adhaec nulla interim lectionis diſcrepantia in variis lectionibus Hebraicis initio VI. tom. Appendicis adnotatâ, quae ad eum locum pertineret) verum & eodem modo in aliis omnibus editionibus, quas ad manus habeo, excepta tantum editione Henr. Maj Francof. ann. 1716. Verum, ne quemquam morer: Ludov. Cappellus in III. Crit. ſac. 18. num. VII. pag. 200. de varietate lectionum ejus loci ſic adnotat: *Ibidem* (i. e. 1. Paral. I. 7.) *Bomberg. ſcribit* רודנים Rodanim *per Reſch*, *& parva Maſſora*, *Kimbi*, *& Jarbi notant ſic eſſe hic legendum*, *in Lege vero ſcribi & legi* דודנים Dodanim *per Daleth*. *At Plantin. Rob. Steph. & utraque Munſteri Edit. in fol. & quarto utrobique legunt* דודנים Dodanim *per Daleth*, *ut & Leo Judae in verſ. Tigurina*. *Sicque legit ante eos S. Hieron. in Vulgata*. *LXX autem hoc quidem loco habent* Δωδανίμ, *ut Gen. X. habent* Ῥόδιοι. *unde liquet eos iſtbic legiſſe* Rodanim *per Reſch*. Haec ille. Quibus adde, quod in eodem Paralip. loco non tantum Vulgata, ſed & Syrus, *Dodanim* ſcriptum habent. At contra falſum eſt, quod univerſe ait Cappellus, apud LXX in hoc Paral. loco poſitum eſſe Δωδανίμ: nam credo magis Nobilio, qui iſtud Δωδανίμ *in pluribus MSS.* reperiri dixit in 1. Paral. at non dixit *in omnibus*. Certe in accuratiſſ. editione Lamb. Bos in textu quidem 1. Paralip. Ῥόδιοι ſcribitur, plane ut in Gen. at vero in notis ex Ald. & Complut. legitur Δωδανίμ aut Δωδανὶν. Cui bono iſta inſuavia ſenticeta? Saltem ut intelligatur, apud Orientales *Daleth* cum *Resh* quam ſaepiſſime permutari, tum propter ſcripturae ſimilitudinem, tum propter blaeſam earumdem litterarum pronuntiationem, qua mutuo invicem accedunt: de quo ſaepe alibi dixi, ac rurſus paullo inferius in fine Sect. hujus.

(2) Dixerint fort. memoriter iſta ſcripſiſſe Joſephum, eoque excidiſſe ei hoc nomen. At parum eſt veriſimile in nominum catalogis illum potuiſſe memoriae fidere. An vero non tam Flavii, quam amanuenſis id flagitium fuit? Non ſane ejus, qui Joſephum deſcripſit, potuit ἁμάρτημα eſſe (ut qui & *Dodanim* omiſerit, & TRIVM filior. non quatuor, numerum colligat) ſed auctoris, qui in I. Antiq. 6. ſcripſit: Ἰωυάνῃ δὲ . . . ΤΡΙΩΝ καὶ αὐτῷ παίδων γενομένων, *Jovane* (id eſt Javân) *cum TRES filii exſtitiſſent*: mox *Eliſaa*, *Tarſis*, *Cetthim* in cenſum relatis, de *Dodanim*, quod conſequens erat, ſilet. Sane alterutrum neceſſe fuit, aut a Seniorum codice, quo utebatur Flavius, *Dodanim* abſuiſſe; aut hoc unum eſſe ex inſignibus Flavianae ſupinitatis documentis.

Digitized by Google

dos putaverint: & cur Bochartus Galliae ſuae laudi velificatus, ob id τὸ *Rodanim* alteri ſcriptioni praetulerit, hos vero eosdem ac Rhodanenſes ſive Rhodani amnis accolas ſit interpretatus, rejectis ſcil. *Rhodiis* Seniorum, & eorum omnium, quos canina littera delectaverat. Omnibus autem hoc commune eſt, quod quocumque modo legere hoc nomen malint, & quocumque loco *Dodanenſibus* metati fuerint, unum tantummodo in locum eos compulerint, tamquam ſi *Dodanim* ſit ſingulare nomen.

At mihi contra hoc primum pro certo ponendum videtur agnoviſſe Moſem, jam tum ſuo tempore iſtos ſive *Dodanenſes* ſive *Rodanenſes* (nam de primore littera quid ſtatuendum ſit, poſtea dicetur) pluribus in locis conſediſſe, eoque id nomen in IM terminaſſe, h. e. numero multitudinis extuliſſe. Atqui ſupra tum in Diſſert. παρασκευας. tum proxime in *Cetthim*, dixi, quam vim habere debeat in his nominibus deſinentia in IM. Ergo non unus dumtaxat locus, ſed plura quaerenda ſunt, quae *Dodanim* iſti frequentaverint. Niſi vero Moſes προφητικῶς plur. numero uſus fuit; quod providiſſet, poſt ſuam aetatem Dodanenſes in plura ſe loca aliquando diffuſuros. Sed abſtinere praeſtat propheticis intelligentiis.

Jam vero ad primae litterae inconſtantiam quod attinet; utro modo legas, perinde eſſe arbitror. Vel vide quae non uno loco in *Tyrrhenicis* Originib. Romae inter Cortonenſia editis, de litteris D & R ediſſerui, praeſertim Diatriba IV. ubi de *Cumero*, & V. ubi de tofo Campano, ubi de Tuſcorum litteris. Nimirum iis locis demonſtravi, apud Orientales ferme omnes haec duo elementa non tantum figura, cum perſcribuntur, eſſe ſimillima, ſed & ſono, cum pronuntiantur, parum inter ſe diſſidere. Ex eo fiebat, ut & in ſcribendo, & in proloquendo eae litterae facile permutarentur. Itaque quemadmodum ex *Cumedum* [Hebr. גומד *gomed* i. e. *cubitus*] factum eſt *Cumerum*, quod erat promontorii nomen, ubi poſtea Ἀγκὼν *Ancona* [id quoque *cubitum* notat] ſtetit; & ex Chald. קדם *Kodam* factum eſt Latinum *Coram*, item ex Chald. אודן *uden* ſive *oden* [reſoluto O in AV] Latinum *auris*; & alia ſexcenta in eumdem modum; ſic τὸ *Dodanim* [fallente ſcil. partim pronuntiatione, qua D & R perquam ſimillime efferebantur, partim audientium organo] tranſiit in *Rodanim*, apud eos praeſertim, qui ex aurium judicio de hoc nomine judicarent. Itaque, niſi vehementer fallor, τὸ *Dodanim* prius fuit, cui deinde τὸ *Rodanim* ſucceſſit, ſicuti prius *Comed*, & *Codam*, & *Oden*, quam *Cumerum*, *Coram*, *Auris*, fuerunt. Vide in fine hujus nominis etymologiam: quae litterae *Daleth* ſuffragatur, non item τῷ *Res*.

His intellectis, jam via patet, quo pacto οἱ *Dodanim* videantur pluribus locis inhaeſiſſe jam inde a Moſis aevo. Quippe illas gentes non moror; quae poſt Moſaica tempora proſeminatae a Dodanim ſunt. Ergo & *Dardani* non unius loci, & *Samothraces*, & *Cretenſes*, & *Dodonaei*, & plures alii; deinde (littera primore in ſui ſimilem verſâ) & *Rhodii*, & *Rodenſes* ad unos eosdemque iſtos Dodanim genus ſuum, me judice, referre poſſunt; ſed ita ut alteri per alteros ſati fuerint, atque inter eos facile primas *Dardani* ferant; de quibus jam primum dicendum eſt.

SECT. II. DARDANIA TROICA.

Seu de prima Dodanenſium colonia.

Atque equidem cum *Dardanos* dico primos eſſe inter populos a *Dodanim* profectos, non alios quam Troadis Dardanos intelligo: non quod Dardanos, qui in pluribus Europae locis fuerunt, excludam a coetu Dodanim Moſaicorum; ſed quod iſtos Europaeos Dardanos a prioribus illis Troicis poſtea (ante an poſt Moſis aetatem, haud habeo dicere) conditos cenſeam. Verum de his infra. Nunc neceſſe eſt rationes meae opinionis depromere, cur Dardanos Troicos pro Dodanenſibus primitivis habeam.

I. Atque equidem ſententiae hujus ante omnia auctorem habeo Paraphraſten Jonathanem, qui Gen. X. pro *Dodanim* poſuit דרדניא, cui voci qui puncta addiderunt, *Dordania* exhibent: ſed ex Auctoris mente *Dardania* fuiſſe pronuntiandum non dubito. Quamquam in hujuſmodi ſcriptis haud anxia eſt de vocalibus cura.

II. Atque haec noſtra opinio cum inſtituta a me methodo cohaeret (de qua diſputavi initio in Diſſert. παρασκευ.) ut qui Auctorem libri Judith ducem ſecutus (apud quem II. 15. *fines Japhet* eſt Minor Aſia) Japhetidas univerſos (exceptis prioribus iis qui ſeptemtriones & Scythiam petierunt) in magna peninſula, quae Aſia Minor dicitur, initio conſediſſe praedixi; atque inde non niſi poſtquam maritimi itineris, experientiâ duce, compotes facti ſunt, ſe in inſulas & remotiora Europae loca diffudiſſe.

III. Adde quod frangit me Homeri auctoritas, apud quem *Dardano* & condita per eum *Dardaniâ* nihil eſt antiquius. Ea certe antecedunt Iliaco nomini. Sic enim Poëta

ta habet Ili. Υ. 215.

Δάρδανον αὖ πρῶτον τέκετο νεφεληγερέτα Ζεύς.
Κτίσσε δὲ Δαρδανίην· ἐπεὶ οὔπω Ἴλιος ἱρὴ
Ἐν πεδίῳ πεπόλιστο, πόλις μερόπων ἀνθρώπων,
Ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεον πολυπίδακος Ἴδης.
Principio Jovis eſt e ſemine Dardanus ortus
Dardaniae fundator : eo nam tempore nondum
Ilios in plano ſteterat, pronis ſed aquoſae
Haerebat mortale genus radicibus Idae.

Cum quo loco proderit Euſtathii adnotationes (3) conjungere; ex quibus intelliges *Dardani* res geſtas cum diluvii hiſtoria conſertas eſſe, nec facile alium fuiſſe Dardanum, quam Moſaicum τὸν *Dodan* h. e. τῶν *Dodanim* parentem. Ad haec nihil eſt Platonis diſputatione luculentius, qua ex Homero exempla capiens primorum terrae incolarum ſecundi generis [qui ſcil. poſt diluvium ſummis primum montibus, mox eorumdem imis declivitatibus haeſerint, antequam plano ſe committere auderent] proponit in ſpecimen *Dardanum*. Exſtat ea diſputatio apud Strabonem lib. XIII. pag. 592. ex qua proderit pauca decerpere meis rationibus conſentanea [4] : *Conjicit Plato, poſt diluvia tres humanae vitae formas exſtitiſſe : primam in montium jugis ſimplicem & agreſtem, metuentibus aquas mortalibus, ex quibus nondum campi emerſiſſent : alteram ad montium radices, paullatim recepto animo, quando jam plana exſiccari coepiſſent : tertiam in campeſtribus locis . . . Haec Plato diſcrimina ait ab Homero notari ; atque eum primae formae exemplum poſuiſſe Cyclopum vitam, fructus ſponte natos carpentium, ſummiſque in montibus ac ſpeluncis degentium* [mox verſus affert ex Od. I. 109.] . . . *ſecundae Dardanum* [de quo verſus a me proxime recitatos producit] . . . *tertiae ſub Ilo, quem volunt fundaſſe Ilium*. De quo mox proferuntur Homeri verſus Il. Λ. 167. ubi Ili hujus ſepulcrum *Μέσσον καππεδίον In mediis campis* fuiſſe dicitur. Non piguit haec pluribus expoſuiſſe, ex quibus intelligas, antiquis fuiſſe perſuaſum, *Dardaniae* exordia diluvii tempora proxime contigiſſe, tum vero exſtitiſſe eorum genus, qui primi mortalium terras habitatoribus compleverunt.

III. Poſtremo ne hoc quidem de nihilo eſt, quod ſicut *Dodanim* (ſi pro homine ſingulari accipias, h. e. pro Dodanenſium conditore) avum *Japhetum* habuit ; ſic in fabulari hiſtoria Dardanus proavum maternum habuit, gentilium *Japetum* ; quippe cum Dardanus ex Electra Atlantis filia, Japeti nepte, natus Jovi dicatur. Et quidem is Dardanus initio cum ſuo avo Atlante ᾤκει (ait Dionyſius lib. 1. ubi de Dardano) περὶ τὸ λεγόμενον Καυκάσιον ὄρος, *habitabat circa Caucaſum montem*. Optime : quia primum Noachidarum commune domicilium circa eum locum, ubi

(3) Euſtathius ad eum locum (pag. 1204. 47.) ſic ſcriptum reliquit : Ἐνταῦθα σαφῶς ὁ Ποιητὴς ἐδήλωσε διαφορὰν τῶν πολλαχοῦ λεγομένων Τρώων καὶ Δαρδάνων· ὡς Δαρδάνων μὲν ὄντων κυρίως τῶν ἀρχῆθεν ἐν τῇ ὑψηλοτέρᾳ Δαρδανίᾳ περί που τὰς ὑπωρείας τῆς Ἴδης· Τρώων δὲ, τούτου δ' εἰπεῖν Ἰλιέων, τῶν ἐν τῷ πεδινῷ Ἰλίῳ. Περὶ δὲ Δαρδάνου φασὶν οἱ παλαιοὶ, ὅτι ἐν τῷ κατακλυσμῷ τῷ κατὰ τὸν Δευκαλίωνα, ἐκ τῆς Σαμοθράκης, ἀσκὸν ἢ σχεδίαν μετὰ δερμάτων σκευάσας, ἦλθε καὶ τῷ Λυκόφρονι δοκεῖ, καὶ ὑποδὺς, καὶ τοῖς ὕδασιν ἑαυτὸν ἐπιδοὺς, προσοκείλας τε τῇ Τροίᾳ, μετὰ τὸ ἀναξηρανθῆναι τὸ ὕδωρ, τὴν Δαρδανίαν ἔκτισεν, ὑψηλοτέραν κειμένην τοῦ ὕστερον Ἰλίου, φόβῳ τῆς ἐξ ὑδάτων κατακλύσεως, ἧς αὐτὸς ἐπειράθη. *Diſerte hic Poeta docuit, quid inter* Τρῶας *&* Δαρδάνους, *quorum saepe (conjunctim) meminit, ſit diſcriminis. Nam Dardanos proprie eos eſſe oſtendit, qui ab initio ſuperiorem Dardaniam ad radices Idae inſederant : Troas autem (tantumdem vero fuerit Ilienſes dicere) eos qui in Campeſtri Ilio conſtiterunt. Jam vero de Dardano antiqui hoc prodiderunt. Deucalionis diluvio ſaeviente, ubi is utrem aut ſcorteam cymbam a ſe confutam ſubiiſſet, ut & Lycophron* (ver. 73. & ſeq.) *narrat, undarum arbitrio ſe committens, de Thracia Samo ad Trojam appuliſſe, ibique, poſt exſiccatam proluviem, Dardaniam condidiſſe in eminentiore loco prae eo, ubi poſtea Ilios ſtetit, metu ſcilicet diluvii alterius, cujus ſemel periculum fecerat.*

(4) Εἰκάζει δὲ Πλάτων μετὰ τοὺς κατακλυσμοὺς (notandum eſt, iſtud κατακλυσμοὺς numero plurium : ex quo fit, non unius alteriuſve regionis, ſed οἰκουμενικὴν inundationem intelligi) τρία πολιτείας εἴδη συνίστασθαι· πρῶτον μὲν τὸ ἐπὶ τὰς ἀκρωρείας ἁπλοῦν τι καὶ ἄγριον, δεδιότων τὰ ὕδατα ἐπιπολάζοντα ἀκμὴν ἐν τοῖς πεδίοις· δεύτερον δὲ τὸ ἐν ταῖς ὑπωρείαις, θαρρούντων ἤδη κατὰ μικρὸν, ἅτε δὴ καὶ τῶν πεδίων ἀρχομένων ἀναψύχεσθαι· τρίτον δὲ τὸ ἐν τοῖς πεδίοις . . . Mox : Ταύτας δὲ τὰς διαφορὰς ὑπογράφειν φησὶ τὸν Ποιητὴν ὁ Πλάτων· τῆς μὲν πρώτης πολιτείας παράδειγμα τιθέντα τὸν τῶν Κυκλώπων βίον, αὐτοφυεῖς νεμομένων καρποὺς, καὶ τὰς ἀκρωρείας κατεχόντων ἐν σπηλαίοις τισίν . . . . τῆς δὲ δευτέρας ἐπὶ τοῦ Δαρδάνου . . . . τῆς δὲ τρίτης ἐπὶ τοῦ Ἴλου τοῦ ἐν τοῖς πεδίοις· τοῦτον γὰρ παραδιδόασι τοῦ Ἰλίου κτίστην.

Arca ſubſtiterat, fuit, h. e. ad ſeptemtriones: ex quo loco paullatim progreſſi, uti Chamidae Babyloniam verſus, ubi & turrim aggreſſi, ita Japhetidae verſus Boream proceſſerant; idque ante generalem *διασποράν*: In qua migratione *Dodanenſium* pater [ſive Moſaicus Dardanus] percurſa Minore Aſia, tandem ad *Sinum Adramyttenum* conſtitit: nam ne longius progrederetur, *maris* objectu [quod *Atria* (5) *mortis* primi illi mortales inexperti maris nuncuparunt] eſt abſterritus. Ita ad Sinum Adramyttenum Dardaniam ille condidit.

At erit fort. aliquis, quem hoc quodcumque eſt diſcriminis in prima *Dardanorum* & *Dodanim* ſyllaba, offendat. Verum ſi quid eſt inter ea diverſi, id totum eſt ex Chaldaica dialecto profectum. Nam Chaldaeorum eſt O in A mutare; unde quod Hebraeis eſt קול *kol*, *vox*, id Chaldaeis קל *kal* dicitur, & plurima in eumdem modum. Quare ex *Dodanim* primo factum eſt *Dadanim*; deinde & *Dardanim*; nam & iidem Chaldaei amant caninam litteram mediis dictionibus infundere: quemadmodum pro *Dammeshek* (quod eſt Hebraicum *Damaſco* nomen) dicunt *Darmeshek*; & pro פשיד *paſſid*, *rivus*, פרשיד *parſid*, & perplura ejusdem modi: cujus generis & illud eſt, quod Gen. X. 10. inter eas urbes, quas Nemrod aedificavit, quae Hebr. eſt אכד *Acchad*, ea apud LXX *Ἀρχὰδ* dicitur. At dixeris, apud Chaldaeos τὸ *Resh* inſeri, quoties ea littera compenſandum eſt *Dages*, ut in exemplis propoſitis, & aliis pluribus. At reſpondeo, τῷ *Resh* inſititio etiam eſſe locum poſt longam vocalem, quae tamen tunc in brevem mutatur; ut pro Heb. שבט *shebet* (cum *Tſere* in prima) i. e. *ſceptrum*, Chaldaei dicunt שרבט *sharbet* cum *Patach*; & alia ejusdem modi. Quare in *Dardania* per hos gradus *μετασχηματισμὸς* proceſſit. Primum τὸ *Cholem* ex *ἀναλογία* Chaldaica in *Kamets* tranſiit: deinde hoc in *Patach*. Poſtremo quia vocalis brevis ſolet poſt ſe habere ſive *Dages*, ſive *Sceva* quieſcens; hinc ex *Dodanim* fieri debebat ſive *Daddanim*, ſive *Dardanim*. Verum hoc poſterius magis eſt ex Chaldaiſmi ingenio.

SECTIO III.

Dodanenſium ſeu Dardanorum Troicorum coloniae ὁμώνυμοι: nim. DARDANI tum Samothraces, tum circa Illyridem; & alia Europae loca poſiti.

Atque hactenus de *Dodanim* migratione prima. Ceterum iidem poſtea, ſed tamen ante Moſaica tempora, colonias plures diſſeminarunt: unde factum diximus, ut a Moſe numero multitudinis efferrentur, ut qui plures eorum colonias noſſet. Quandoquidem autem, ſilente hiſtoria, non poſſumus eas colonias per accuratam temporum ſeriem digeſtas dare; at eum ſaltem ſequemur ordinem, quem *ὁμωνυμία*, aut *συνωνυμία* ſuggeret, non neglecta interim ratione temporum, poſituque locorum. Ergo eas prius colonias perſequar, quarum deinceps coloni καθ' *ὁμωνυμίαν* *Dardani* ſunt appellati; aut vero qui *Dodanaei* (una admodum variante vocali) dicebantur: deinde eas, quarum poſteri nomen aliud ſunt adepti, ſed ita ut appareat, eos a Dardanis ortos: poſtremo eos Dardanenſes afferam, qui D litteram in R commutarunt, ac pro *Dodanim* nuncupati ſunt *Rodanim*.

I. DARDANIA SAMOTHRACE.

Ac primum Dodanenſes, qui in Troade conſederant, ſive Dardani Troici, ubi primum, uſu atque experientia magiſtra, quantulumcumque maris periculum facere valuerunt; ante omnia, ut exiſtimo, in vicinam Samothracem inſulam penetrarunt; ac tum demum cum ſacris *Gabiriis* ſimul *Dardaniae Samique* nomina in eam inſulam ſunt invecta: de quibus vide, quae inferne (6) adnotantur.

(5) Ex חצרי מות *hatre mot* ſive *mut* (quod *atria mortis* ſignificat) factum eſt huic *Hatramytio* aut *Adramyttio* nomen. Nihil enim primis illis mortalibus mari terribilius erat. Vide Bochartum.

(6) *Cur haec inſula ex Dardania, poſtea Samothrace ſit appellata. Quid Samos lingua Orientali ſit.*

Principio hanc inſulam non aliud quam *Dardaniae* nomen geſſiſſe (ex quo ſcil. ex *Dardania* Troica primi illuc habitatores trajecerunt) certiſſimum eſt: quod & jam antea Stephanus & Euſtathius obſervarunt. Imo Callimacho fuiſſe adhuc licitum uti illo *Dardaniae* nomine, quamvis tunc antiquato, Plinius IV. 15 obſervat. Sane Pauſanias in Achaic. cap. 4. narrat Samios de Samo Jonia in hanc inſulam profugos, eam nuncupaſſe primos *Σαμοθρᾴκην ἀντὶ Δαρδανίας*, *Samothracen pro eo quod primitus Dardania vocabatur*. Addiderunt vero illud *θρᾴκη* h. e. *Threiciam*, quo hanc a vetere Samo Jonia diſtinguerent. Ergo ab iſtorum colonorum adventu neceſſe fuit, duas illuſtres inſulas ejusdem nominis ita diſtingui, ut una

tantur. Nec me fugit, ſi inſidas quorumdam narrationes ſequimur, *Dardaniam* Samothracicam antiquiorem Dardaniâ Troicâ videri dicendam. Verum hic ſcrupulus in ſequentibus evelletur.

II. DARDANIA CIRCA ILLYRIDEM.

Mox iidem Dardani progreſſi longius, etiam loca circa Illyridem tenuerunt: in qua & *Dardanos* & *Dardaniam* regionem Strabo pluribus in locis lib. VII. recenſet, ſed non ita tamen, ut ſitum aperte monſtraverit, quo ſilentio litigia apud ſeram poſteritatem reliquit. Vide ſubjectam [7] notam in quam tum Strabonis loca aliquot, tum & aliorum contuli, ex quibus dijudicari quaeſtio utcumque valeat. Ac ſane praecipuus eorum Dardanorum, qui circa Illyridem habitabant, character erat, feritas ſingularis cum inſano muſices amore copulata. At vero undenam gens ita efferata, ut non ſe facile ad manſuetiorem gentium vicinarum victum conformaret, muſicas rationes, quibus nihil eſt exquiſitius,

Mm 2 didi-

---

una *Ioniae*, altera *Threiciae* cognominibus diſcrimerentur, ex eo quod una Ioniae, altera Thraciae continentibus obtenderentur. Cognomine Θρηΐκης Homerus ipſe πρὸς ἀντιδιαστολὴν uſus fuit, idque accurate lib. X. Strabo animadvertit.

Dixi de inſularum cognominibus διακριτικοῖς; videamus de nomine inſulae utrique communi. Strabo Sami etymon doctiſſimum docuit, dicens ἀπὸ τοῦ ΣΑΜΟΥΣ καλεῖσθαι τὰ ὕψη i. e. *a ſublimitatibus*, quas (Samothracum Dardanorum utique linguâ, quae Orientalis erat) *SAMI dicebantur*, quaeſitum inſulae nomen; quippe cum ex Homero Il. N. 13. ex ſummo inſulae Sami Thraciae vertice

. . . ἐφαίνετο πᾶσα μὲν Ἴδη,
Φαίνετο δὲ Πριάμοιο πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν,
. . . *totam unde eminus Idam*
Cernere erat, Priamique urbem, Danaûmque carinas.

Si porro quaeras, quo pacto ΣΑΜΟΣ (tam Thracia quam Ionia) *celſitudinem* notet; reſponſio in proclivi erit: nam Arabicum verbum סמי *ſama* eſt *eminere*, *elatum eſſe*; a qua radice nomina plura oriuntur, quae *altitudinem* aut *altum* notant. Etiam apud Hebraeos שמים *shamaim* (i. e. *caelum*) a ſublimitate dictum, docui ad Gen. I. 1. Imo & ad Gen. VI. 4. & XI. 4. oſtendi, τὸ שם *shem* ſignificare ibi quid *excelſum* aut *ſublime*, ſive verbo uno τὸ Σάμον heroicae dialecti h. e. *celſitudinem*. Confer quae ibi adnotavimus, ex quibus hoc *Sami* etymon mire confirmatur. Et haec quidem ubi jam adnotaſſem; poſtea comperi, etiam Virum magnum (in *Chanaan*, ubi de *Samo*) etymologiam eamdem expoſuiſſe.

De ſacris Cabiriis, quod prius in Troica Dardania fuerint, unde in Samothracen a Dardanis ſint invecta (contra quam nonnulli antiquorum ſenſerint) videbis infra diſputatum in Appendice Curetica.

(7) *De Dardanis Illyricis, Strabonis & aliorum loca*.

Vt horum ſitum perſpicias, ſic habe. Dixerat Geographus lib. VII. initio pag. 316. in ſinu Rhizonico, aut circa eum ſinum, eſſe Driſonem amnem, *qui adverſo navigari Orientem verſus uſque ad Dardaniam*. Mox paucis interjectis, ait: Τῶν δὲ Δαρδανιατῶν εἰσὶ καὶ οἱ Γαλάβριοι &c. *Inter Dardaniatas autem ſunt & Galabrii (quorum nuſquam eſt alibi mentio) apud quos urbs eſt antiqua, & Thunatae, Medis Thraciae genti Orientem verſus contermini. Enim vero Dardanii, quamquam eſſent (ἄγριοι τελέως) plane feri, in tantum ut etiam ſub ſterquiliniis effoſſas ſibi ſpecus incolerent; muſicae tamen dederunt operam, numquam non muſicis fiſtulis, & inſtrumentis, quae intenduntur fidibus, delectati. Atque hi quidem in mediterraneis ſunt; quorum & infra mentio per me fiet*. Vbinam horum denuo in ſequentibus meminerit, non reperio. Itaque in fine lib. VII. (qua parte is liber mutilus eſt, ac ſolet per veteres epitomas ſuppleri) credo fuiſſe factam mentionem. At ſupra hoc eodem lib. tum pag. 313. *Dardanicam*, tamquam inſignem regionem appellaverat: tum ad finem pag. 315. *Dardanios* in cenſum earum gentium retulerat, quae olim potentiſſimae tandem vel penitus exciſae, vel ad imam conditionem redactae fuerunt.

Nec ab aliis certe, quam ab Romanis res Dardanorum iſtorum peſſum ivere. Sex. Rufus in ſuo breviario inter inſignia populi Rom. facta refert cap. 3. quod ab eo *Cum Dardanis, Morſis, & Thracibus bellatum eſt*. Aurelius Victor de Sulla: *Enetos & Dardanos in itinere ſuperavit*. In Hiſt. Miſcella V. 12. *Sulla etiam Dardanos, Scordiſcos, Dalmatas, & Moeſos partim vicit, partim in fidem recepit*. Sed & C. Curio (ait Florus Epit. lib. XCV.) *proces. Dardanos in Thracia domuit*. Quo pertinet & quod Ammianus XXIX. 5. *Dardanorum ferociam in modum Lernaeae ſerpentis renaſcentem memorat*; & quae Frontinus initio lib. 4. Stratag. de Curione habet. Verum haec ultimorum ſunt temporum. Antiquiora longe plurima Dardanorum geſta tum cum Romanis, tum cum Philippo, cum Perſeo, omnino cum Macedonibus perpetuis ſuae gentis hoſtibus referunt Livius & alii.

didiciſſet; niſi eas jam tum initio ἀμέσως a primis Dodanentibus, antediluvianae traditionis cuſtodibus, accepiſſet? Ita prorſus: nam hinc genus omne Dodanicum ſive Dardaniam modos muſicos perdite deperibat. Scimus Phrygiam habitam fuiſſe modulationis univerſae magiſtram. Atqui non alia quam quae primitus *Dardania Troica* fuerat, ea mox ſub belli Trojani tempus *Phrygia* audire coepit, & in Dardaniae mores omnes & jura conceſſit.

Verum his miſſis, illuc, unde diverti, redeo. Sane quos Dardanos Strabo prope Illyridem ſtatuit, eos Plinius initio lib. VI. Epiro (quae & ipſa ab ſuis Dardanis haud dubie incolebatur) attribuit: quos quidem gentem *feram* vocat, ut non poſſis non eoſdem, ac illas Strabonis agnoſcere; praeſertim cum Epirus ita Illyridi adjaceat, ut utraque potuerit Dardanios medios amplecti.

Verum ut ordine viâque procedam; loca antiquorum, quae ſitum Dardaniae, de qua agimus, poſſint oſtendere, haec in praeſentia ſuccurrunt. Illyridi, ut ſit Dardaniae finitima, favet praeter alios Aelianus, cujus locus (8) illuſtrior eſt quam ut impune negligatur. Adhaec Macedoniae ſuffragatur Plinius IV. 10. cum eximio Livii (9) teſtimonio. Thraciae auxilio venit idem Livius Epit. XCV. ac demum pro Moeſia ſtant Ptolemaeus ac Plinius III. 26. Verum iucunda via eſt, qua cuncta veterum loca vera eſſe queant. Plura quidem hujuſmodi teſtimonia non aliud quam res a Dardanis bello geſtas non in ſuo ſolo, ſed in alienis regionibus complectuntur, ita ut nihil ad fines commonſtrandos valeant, quia alibi locus pro quo armis diſceptabatur fuit. Dardanorum quidem erat, ſed ἐπίκτητος: olim inquam *acquiſitus* ſed extra veteres fines ſuos. Atque haec ultima ratio poterit ſatis quibuſvis difficultatibus facere. Re enim vera Dardani in plurimis vicinorum provinciis plura oppida ſui juris fecerant: at vetus ac ſtabile eorum regnum non magnum fuiſſe videtur, nec ſemper eiſdem finibus terminatum: quo fit, ut in hac nunc Dardania conſtituenda geographorum accuratio laboret.

Tamen illud extra controverſiam eſt, quae nunc *Illyridis Dardania* a veteris geographiae peritis dicitur, eam proprie nec Illyridis, nec Epiri, alteriuſve ditionis partem fuiſſe, ſed ſui juris tractum mediterraneum, haud plane magnum. Nam ut ut antiquis temporibus latior fuerit, ſub Macedonico certe Romanoque dominatu Dardaniam hanc exiguitate potius peccaſſe; ex finibus, quibus illam accuratiores veteris geographiae cultores circumſcribunt, perſpici poteſt. Nec enim regiones magnas ei aſſignant pro terminis, ſed regionum provincias ſingulares aut lacinias. Veluti cum Dardaniam ab Oriente Paeoniâ finiunt, ab Auſtro Pelagoniâ, ab Occaſu Dalmatiâ, a Septentrione Daciâ Ripenſi. Eamdem hodie Meridionali Serviae parti (aut paullo plus) reſpondere, a Baudrando, Cornelio, aliiſque ſcriptum reperio. Ac de Dardanorum τῶν ὑπὸ Ἰλλυρίδος (ut Aelianus vocat) h. e. *ad Illyridem ſitorum* natione tantum.

Non dubito tamen quin per eum Graeciae tractum populi antiquiſſimi fuerint, qui etſi ultimis reip. Rom. temporibus alia prorſus a Dardanicis nomina geſſerint, tamen ſi eorum vetera inſtituta ſpectemus, jure ac merito eoſdem fuiſſe origine Dardanos [h. e. Dodanenſes] conjicere liceat; ita ut Dardaniae Illyricae pars olim fuerint. Exemplo ſint Aetolia & Acarnania tantae vetuſtatis regiones, ut earum initia [teſte Strabone lib. X.] explorari nequeant. Atqui hi ex indicio ſacrorum Cureticorum, quibus perdite addicti erant, videntur antiquiſſimis temporibus pars fuiſſe Dardaniae Illyricae. At ſecutis temporibus hoſtium impreſſione abſciſſi a Dardaniae finibus, etiam vetus *Dardanorum* nomen neglectum ab ſe initio, tandem videntur penitus amiſiſſe. Ac de ſacris Cureticis extat apud me longiuſcula exercitatio, quae τοῖς DODANIM illis, ſi expediens reputavero, digreſſionis inſtar ſubjicietur.

III. DAR-

(8) Aelianus in IV. Ποικίλης ι. Ὅτι Δαρδανεῖς τοὺς ὑπὸ (ad marginem editor adſcripſit ἐπὶ legendum eſſe pro ὑπὸ: ſed nihil mutandum; quia hi Dardani haud proprie erant in Illyride, ſed *ſub*: ὑπὸ & ὑπὲρ apud Geographos quid valeant, norunt eruditi) τῆς Ἰλλυρίδος, ἀκούω τρὶς λοῦσθαι μόνον παρὰ πάντα τὸν ἑαυτῶν βίον, ἐξ ὠδίνων, καὶ γαμοῦντας, καὶ ἀποθανόντας. *Dardanos, qui ad Illyridem ſunt, ter tantum per univerſam vitam lavari audio: poſtquam in lucem ſunt editi, cum nuptias ineunt, & ubi mortem obierunt.*

(9) Livius XXVI. 25. *Inde (Philippus) Dardanorum urbem ſitam in Macedonia, tranſitum Dardanis facturam, cepit.* Ex quibus conjicio, eam urbem, de qua hic agitur, non fuiſſe Dardaniae partem, ſed ἐπίκτητον, h. e. Macedonicam, aliquando a Dardanis (implacabilibus Macedonum hoſtibus) acquiſitam.

III. DARDANIA ROMANA.

Nemo eſt ſive Romanorum ſcriptorum ſive exterorum, qui negare poſſit, ſaltem ab adventu Dardanae juventutis ſub Aenea duce, Latium ac poſtmodum Italiam evaſiſſe *Dardaniam*. Tamen plures ex Romanae magnitudinis aſſentatoribus novitatem originis hujus [quippe Iliaca clade poſterioris] pertaeſi, ſive aſtu ſive bona fide, commenta plura, per quae origo longe antiquior evaderet, excogitarunt.

Ac primus omnium prodeat in ſcaenam neſcio quis Meſſala Corvinus (impar, opinor, tam antiquo ac nobili nomini) cui vulgo inſcribitur *De Auguſti progenie* libellus, in quo haec leguntur: *Dardanum . . . . . deorum monitu ab ITALIA (& , ut aliis placet* (10) *e Creta inſula) patrios deferentem lares, multitudine gentium ad hanc Phrygiam deveniſſe ferunt, urbem condidiſſe . . . . . . Dardaniam, unde . . . . . . Dardanidae dicti*. Vides jam ab iſto genealogo non Italam gentem de Phrygia (quae primitus *Dardania* vocata) ſed contra Phrygiam ex Italia repetendam eſſe. Fabuloſe, ſed antique; nam paria a Servio (cujus mox afferam loca aliquot; nec enim omnia neceſſe puto.) traduntur, & ab aliis, opinor, pluribus.

Verum quid ego ex iſto Pſeudo-Meſſala haurio, quaſi non eadem & plura poſſim ex maximo poëtarum oſtendere? apud quem nihil eſt Trojanorum ex Italia, atque adeo ex Etruria, & ex urbe Corytho per Dardanum origine pervulgatius? Eo pertinet Delii oraculum III. Aen. 94.

Dardanidae duri, quae vos a ſtirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere laeto
Accipiet reduces.

Ibi Servius: *Dicendo DARDANIDAE, oſtendit Italiam, unde Dardanus fuit*. Mox: *PRIMA TELLUS, Italia, unde Dardanus* (primitus in Phrygiam) *venit*. Eadem dixerat ad I. Aen. 239. At idem erudito poëtae haud impar interpres alibi etiam locum Italiae deſignavit, unde ortus eſt Dardanus; nam ad illud I. Aen. 384. [*Italiam quaero, & patriam*] inter *Italiam* & *patriam* diſjungi jubet, hanc rationem reddens: *Provinciam quaero hic Italiam; patriam h. e. Corythum Tuſciae civitatem, unde Dardanus fuit*. Idem ad Aen. III. 104. *Dardanus Jovis filius & Electrae, profectus de Corytho civitate Tuſciae, PRIMUS* [notabis hanc voculam; qua ſignificatur omnium primus Troadem antea vacuam incolis frequentaſſe] *venit ad Trojam, & hic parva aedificia collocavit. Poſt cujus obitum Teucer venit ex Creta, & invenit Dardani ſocios habitantes in vallibus* [*vallium* nomine Servius hic apud Virgilium, Homeri [11] *ἐν ὑπωρείαις* intellexit] *qui conſtituit arces & moenia*. Ac de Corytho, Dardani patria vide eumdem ad X. 719. ſic commentantem: *Corythus eſt & civitas Tuſciae* [ea eſt Cortona] *& mons, & rex, pater Dardani*. Saltem pater *ὁ νομιζόμενος*, *putativus*, ſi quidem Jovis fuiſſet filius ex uxore Corythi: unde Servius idem ad VII. 209. ſe clare explicat: *A rege Corytho, ut PUTATUR a quibusdam, patre Dardani*. Et de Corytho quidem, Dardani patria, pluries Virgilius monuit ac potiſſimum in VII. 206.

Auruncos ita ferre ſenes, his [Corythi ſcil.] *ortus ut agris*
Dardanus Idaeas Phrygiae penetravit ad urbes,
Threiciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.

Moneo hic obiter, ex poëtae ſententia recte prius a Dardano Dardaniam Troadis, mox Dardaniam Samothraciae [per colonos ſcil. illuc deductos duce Jaſio: de quo mox videbitur] fuiſſe conditam: contra quam alii perverſe ſtatuerunt. Statim ſequitur:

Hinc illum Corythi Tyrrhena ab ſede profectum
Aurea nunc ſolio ſtellantis regia caeli
Accipit.

Ad quae Servius: *Jupiter cum Electra, Atlantis filia, Corythi regis Italiae uxore, concubuit. Sed ex Jovis ſemine natus eſt Dardanus, ex Corythi Jaſius. Dardanus profectus ad Phrygiam, Ilium condidit* (non *Ilium*, ſed

(10) Origo ex Creta inſ. ab aliis pluribus, & ab ipſo Meſſala in iis quae mox addit, tribuitur Teucro illi, qui cum Dardano in Phrygia regnavit.

(11) Virgilius illud *Habitabant vallibus imis* expreſſerat ex illo Homeri ἀλλ' ἔθ' ὑπωρείας ᾤκεον (de eodem quippe facto uterque loquitur) quod ſupra attuli, ubi & Platonis eadem ὑπωρείας voce utentis locum appoſui. Ex quibus vides, errare eos, qui *vallis* nomine κοῖλόν τι intelligunt, cujuſmodi *convallis* dicitur. At *vallis*, uti dixi, eſt ὑπωρεία i. e. montium *radices*; quae leniter acclives, nondum tamen planae ſunt. Hinc intelligis, cur philoſophi dixerint, *vallis* (i. e. ὑπωρείας) notionem cum notione *montis* conſertam eſſe; quia vallis ſine monte nulla eſt.

ſed *Dardaniam* dicere debuit : nam tunc ὑπὸ Ἴλιος ἱρὴ Ἐν πεδίῳ πεπόλιστο , ut Hom. ait . Il. Y. 216.) *Jaſius vero Thraciam tenuit , ubi eſt Samos , quam hic Samothraciam nominavit* . Sane piget , tam multa de Servio recitaſſe : verum ubi de retundendis Graecorum mendaciis agitur , imperare mihi modum non valeo .

At dixerit mihi aliquis , Honoratum ſcripſiſſe in hunc modum , tum ut Poëtae ſuo ſerviret, tum etiam ex ignoratione narrationum meliorum . At equidem nego ſummo interpreti , quidquam latuiſſe earum opinionum , quae de Dardano vulgatae fuerant . Nam ecce ad II. Aen. 325. *Quem quidam* , inquit , *ab Arcadia profectum . . . volunt , alii de Samothracia* . Alibi de Cretica Dardani origine opinionem poſuerat . Verum temperare mihi non poſſum quin uberem ejusdem Servii Mauri locum (12) ad paginae oram adſcribam ; propterea quod is locus tum ceteras de Dardani genere jam tritas narrationes complectitur ; tum vero quod extremis verbis eam originem Dardani aperit , quae una videlicet ex omnibus eſt veriſſima , ubi ait : *Alii circa Trojam & Idam natum* Dardanum dicunt . Hoc verius .

Nam qui ſtatuerunt in eum modum , quem ultimo loco Servius expoſuit (quorum nomina utinam Noſter edidiſſet) nae ii ferme hoc ſignificare voluerunt , quod alii ſibi volunt , dum hos aut illos populos αὐτόχθονας eſſe praedicant : quod tantumdem eſt , ac illos antiquiores eſſe in ea regione , quam ut unde ſint , aut unde illuc immigraverint , inquiri poſſit . Uno verbo : quos nos primos regionis alicujus conditores appellare ſolemus , hos antiqui αὐτόχθονας h. e. *indigenas* nuncupabant . Ergo ſcitantibus , unde domo Dardanus eſſet , recte illi auctores , quos Servius laudat , reſpondebant , cum *circa Trojam & Idam* natum ; h. e. tum Dardanorum parentem tum ipſos Dardanos fuiſſe indigenas . Nec ultra Servius tendere potuit , ut qui Moſaicam hiſtoriam de communi a tribus Noae filiis ortu , deque generali διασπορᾷ ignoraret . At ſi ex me quaeras , unde domo fuerit *Dardanus* (h. e. Dardanorum primus auctor) erit prompta reſponſio ; nim. ex communi Japhetidarum patria , ex qua ei *Dodanim* principio ad occupandam eam , quae ab ipſis primum *Dodania* (ut a Jonathane dicitur) vocata fuit .

Nec tamen is ſum , qui terras ceteras a Dardano conditas prorſus commentitias eſſe pronuntiem . Imo quo plures ſunt regiones , quae ſibi ex Dardano ortum vindicare poſſint, hoc plures a Dardanidarum coloniis frequentatas , eſſe ajo . Verbi cauſa quia Samothracen , quod ſupra oſtendi , & Cretam , quod infra demonſtrabitur , primi omnium Dardani frequentarunt ; ex fama Dardani nominis adhuc ibi reliqua anſam poſtea inſulani arripuerunt ; ut id ſibi laudi futurum ducerent , ſi hinc ortum Dardanum illum auctorem generis evulgarent .

Ad propoſitum vero de Italia ſermonem quod attinet , non niſi poſt Iliacam vaſtitatem Itali poſſunt ſe jactare Dardanidas , cum antea Cetthidae fuiſſent , uti ſupra dictum in *Cetthim* . Ergo Aeneas Troico exercitu huc expoſito, primus Dardanum nomen invexit in Latium , ac volventibus ſaeculis per poſteros ſuos fundamenta jecit imperii , quod non injuria regnum orbis terrarum vocari potuit .

S E C T. V.

DODONAEI a Dodanim Moſaicis nec re diverſi nec nomine .

Euſtathius (ad illud III. Π. Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικέ , pag. 1057. 43.) ſic adnotavit : Ἰστέον δὲ ὅτι δύο Δωδῶναι κατά τινας , ἡ μὲν Θεσσα-

(12) . Ad illud Maronis III. Aen. 167. *Hinc Dardanus ortus Jaſiusque pater* &c. ſic Noſter commentatur : *Jaſius & Dardanus fratres fuerunt , Jovis & Electrae filii : vel , ut quidam volunt , Dardanus de Jove , Jaſius de Corytho procreatur , de cujus* (Corythi) *nomine & mons & oppidum nomen accepit . . . . Et Dardanus quidem , contracta in Troja juventute , Dardaniam urbem condidit , a qua Trojanorum origo crevit . Jaſius autem Samothraciam cepit , & ibi liberum locum imperio tenuit . Alii dicunt , utrumque ex Corytho Jovis filio procreatos , & ſicut dictum eſt , relicta Italia profectos ; ſed Jaſium Samothraciam imperio tenuiſſe ; Dardanum vero in Phrygiam perveniſſe , ibique auxilio fuiſſe Teucro Scamandri filio , qui tum finitimas gentes bello ſubigebat , filiamque ejus duxiſſe in matrimonium , & poſt mortem ſoceri regnum adeptum , DARDANIAM Trojanam regionem ab ſuo nomine appellaſſe . Graeci , & Varro* (ſupple in libro) *Humanarum rerum , Dardanum non ex Italia , ſed de Arcadia urbe Pheneo , oriundum dicunt : alii Creteniſem : ALII CIRCA TROIAM ET IDAM NATVM* . Quae vera putavit , ea de more ſibi ad ultimum reſervavit .

Θεσσαλίας. ἡ δὲ Μολοττίας. *Sciendum, ex anonymi cujusdam auctoritate duas Dodonas eſſe, Theſſaliae unam, Moloſſiae alteram*; interim admonens, Moloſſam a Poëta intelligi. Equidem iſtam Dodonae duplicitatem merum commentum arbitror, ex Theſſaliae Moloſſiaeque proximitate ortam. Interim ſi duae extiterunt, eas ὁμωνύμως & ὁμογλώττως fuiſſe, ex eo oſtenditur, quod Πελειάς (fatidicarum Dodonae nomen) vox Theſſala a Servio dicitur, cum Moloſſa paſſim habeatur.

Ac Dodonâ Moloſſiae nihil uſquam antiquius noſcitur. Horum *Dodonaeorum* nomen quia τῷ *Dodanim* nomini eſt multo proximum (nec enim niſi alterius ſyllabae motio variat, & quidem ſatis ſolita mutatione) videbantur Dodonaei hac praerogativa freti primas ferre inter omnes *Dodanim* potuiſſe; niſi aliae me cauſae, quas initio protuli, compuliſſent, uti Dardanos, qui in Troade fuerunt, primos omnium facerem. Vide Sect. II, ubi de Dardania Troica. Ceterum cur Dodonaei ex Moſaicis *Dodanim* orti ſint, a Calmeto & aliis ſatis expoſitum. Atqui hoc differt ab aliis mea ſententia, quod illi τοὺς Dodanim marium inexpertos primo ex communi patria egreſſu per maritima itinera compulerint in ſatis artum Moloſſiae angulum: ego contra eosdem terras primum emenſos, mox mari tentato, ad vicinas prius inſulas, poſtremo per longiora marium ſpatia in Moloſſiae Dodonam, aliaque deinceps remotiora loca deduxerim.

Verum ne Dodonaeos iſtos vix tantum de limine ſalutatos praetervehi videar, proderit ad eorum remotiſſimam antiquitatem oſtendendam quaedam afferre in medium (eaque quod ſciam, non protrita, nec intime cognita) nim. de vatibus Dodonaeis, puta de *Sellis*, de *Tomuris*, deque Πελειάς. Ordior autem a Sellis, quos Jovis Dodonaei vates facit Homerus Il. π. 233. in hunc modum:

Ζεῦ, ἄνα Δωδωναῖε, Πελασγικέ, τηλόθι ναίων,
Δωδώνης μεδέων δυσχειμέρου, ἀμφὶ δὲ Σελλοὶ
Σοὶ ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες χαμαιεῦναι.

Dodonaee Pelaſgice Jupiter, hinc procul algens
Quem Dodona colit: quem & circum provida Sellûm
Gens, illota pedes, humo & incuba, vaticinatur.

Ac poterat quidem *Sellorum* nomen deduci a Chaldaeo שלל *shelal*, quod in conjug. *Ithpeal* eſt *inſanum fieri aut reddere*; quia ſine mentis inſania vates nulli erant. Quid ſi vero *Sellus* ſit potius a Chald. זלל *zelal* ſive *ſelal*, quod eſt *vileſcere, vilipendi, deſpectum haberi*: unde eſt זליל *ſelil*, quod ſignificat *humilem & deſpectum*, quatenus id virtus eſt, & *elato* opponitur, quomodo ea vox uſurpatur in Targum Prov. XII. 9. Quare *Sellus* ex Homerica deſcriptione is demum erat, qui per nudos & illotos pedes, per humicubationem, perque ceterum cultum ſubmiſſiorem dūrioremque, ſui deſpiciens videri cupiebat, & aucupabatur eam laudem, quam merito ſuo apud Hebraeos conſecuti ſunt Prophetae, ac poſtea Eſſeni; quorum utroſque victu ac veſtitu aſperiore uſos novimus, in tantum ut Danielem Rabbini ex Prophetarum albo expunxerint, quod is aulae addictus, minus durum vitae genus aliquando ſectatus videretur. Omnino cum *Sellos* audis; aſcetarum aut monachorum tibi ſpecies volo obverſetur animo. Tantum diaboli κακοζηλία potuit, ſanctiſſima quaeque religionis Divinae inſtituta imitantis ſimul & corrumpentis. Tetigit quaedam de *Sellis* iſtis Strabo ad finem lib. VII. ubi & eos aliis (in quibus eſt Pindarus) *Hellos* vocari; docet: nim. quia ſibilum & aſper ſpiritus ſaepe alternant.

At iidem *Selli* dicebantur alio nomine Τομάροι (aut vero Τομάρου, uti legitur in Strabone, edit. ultimae Amſtel.) aut Τομοῦροι. Hoc ultimum a quibusdam lectum fuiſſe apud Hom. Od. π. 403. Strabo (lib. VII. pag. 328.) docuit:

Εἰ μέν κ' αἰνήσωσι Διὸς μεγάλοιο Τομοῦροι,
Si Jovis hoc liqueat magni juſſiſſe Tomuros.

Atque hanc lectionem alteri, quae nunc vulgo legitur Θέμιστες, praefert Geographus, ratus apud Homerum non reperiri θέμιστας pro (13) oraculis.

Jam vero ad Τομούρους quod attinet, eos Strabo ibidem ἀπὸ τοῦ Τομάρου, a *Tomaro* monte Dodonae (qui aliis *Tmarus* eſt) Τομάρους, aut Τομούρους dictos cenſuit. At equidem contra

(13) Recte: nam etſi Hymno in Apoll. v. 394. illud θέμιστας pro *oraculis* legitur; is Hymnus (qui ceteroqui Homero dignus putatur) hoc tamen indicio poſſet, ni fallor, poëtarum principi abjudicari. Sane cum antiqui grammatici Homericorum poëmatum ſingulos apices (haud ſecus ac Maſorethae poſtea fecerunt in Bibliis) in numerato haberent; numquam tam confidenter Strabo negaſſet, in Homero θέμιστας pro oraculis reperiri, ſi Hymnus ille agnitus fuiſſet pro Homerico.

tra exiſtimo , a *Tomaris* potius ſive *Tomaris* ibi verſantibus nomen ei monti quaeſitum . Ceterum Τόμαρος divinis omnibus fuiſſe commune nomen reperio . Heſychius : ΤΟ΄ΜΑΡΟΣ, τὸ ἐν Δωδώνῃ ὄρος , καὶ προφῆται , καὶ ἱερεῖς , καὶ θύται , καὶ μάντεις . Ait , & montem ſignificari voce illa , & ſimpliciter *prophetam* , aut *ſacrificum* quemlibet . Mox : ΤΟ΄ΜΟΥΡΟΙ , προφῆται , ἱερεῖς , οἰωνοσκόποι , διάκονοι . *TOMVRI* ſunt *prophetae* , *ſacerdotes* , *augures* , *miniſtri* , univerſe ſcil. Eodem pertinet apud Lycophronem illud Caſſandrae Prylin vatem alloquentis ver. 223.

Τόμουρε πρὸς τὰ λῷστα νημερτέστατε ,

Vates ad optima quaeque veraciſſime .

Ac Phavorinus quidem & Euſtathius cenſent , ea voce primario quidem Dodonaeos vates notari ; at Lycophronem eam generaliter uſurpaſſe . Imo apud Heſychium (vide ſupra) ei voci prorſus generalis notio ſubeſt : proinde ab illis *Tomaris* mons Dodonae nomen invenit , quod eſſet vatum domicilium , non contra ; ſicuti & *Selleentem* amnem , quem Strabo (ubi de Sellis) memorat , a Sellis vult utique ſic appellatum . Accedit , quod apud Euſtathium eſt & vox Τόμουροι , quas exponit univerſe τὰς μαντείας i. e. *vaticinia* . Poſtremo & *Tomarorum* etymologia talis eſt , quae *generi* notionem vocis arguat . In qua quidem aſſignanda grammatici , quamquam ob Hebraiſmi ignorationem nihil viderunt , vel ſic tamen vera dixerunt. Tzetzes ad eum Lycophronis locum ἐτυμολογεῖ in hunc modum , ὁ ΤΟ ΜΗ ΟΝ ΟΡΩΝ , *videns quod non eſt* i. e. quod non apparet . Idem in Phavorino reperies . Quos credibile eſt , ab antiquis eam originationem didiciſſe . Non male ii quidem ; modo fateare , eam etymologiam Hebraice , non Graece veram reperiri . Ne multa : ſive *Tomarus* ſive *Tomurus* eſt a radice Chald: טמר *temar* , quod eſt *abſcondere* ; a qua plura vocabula fiunt ejuſdem ſignificantiae . Itaque *Tomarus* eſt vates , qui *abſcondita videt* . Prophetae vocantur in Scripturis *Videntes* .

Poſtremo & de Πελείαις ejuſdem fani vatibus eſt dicendum . Strabo ad finem lib. VII. poſtquam de Sellis , & Tomuris ſermonem abſolverat , addit , ſubſecutis temporibus in locum vatum illorum tres vetulas ſucceſſiſſe in id miniſterium . Eas quidem anus Πελείας i. e. *columbas* , vulgo appellabant . Et ejus quidem nominis ibi Strabo non commeminit : & tamen (quod valde miror) cur ita dicerentur , rationem quamdam perobſcuram affert : de qua vide inferne (14) adnotata . Mitto rationes ceteras appellationis ejus ; quas ſive fabuloſas , ab aliis productas , ſive a me excogitatas protuli in medium in Diſſert. ad Iſ. XXXVIII. 14. ad illud *Meditabor ut columba* : ubi de his πελείαις fatidicis perplura undecumque corraſi . At interim , cur illae vates πέλειαι dicerentur , veriſſima ratio non ea eſt , quam ex Graeco πελεία extudit Strabo , ſed longe alia ex Oriente petita , quam hic ſubjicio . Nam ſciendum eſt verbum Hebraicum פלא *pala* in conjug. *Niphal* idem eſſe , quod *celari* , *abſcondi* . Eo fit illud πελεία Orientale nomen vatum fuiſſe , ac *Tomarorum* ſynonymum ; quo notabatur is qui abſcondita pandit . Quod deinde Graeci de more ita μετεσχημάτισαν (*interpolarunt*) ut Graecum videretur , atque inde πελείας (h. e. Graece *columbas*) effecerunt : poſtremo & lepidam fabellam ſuperſtruxerunt haud diſſimilem illi alteri de Βύρσῃ i. e. de *corio* in ſegmenta diſſecto in fundatione Carthaginis , cum revera illud βύρσα ex בצרא *boſra* (i. e. *arx*) detortum fuiſſet . Ergo fabulati ſunt fatidicas columbas illuc aliquando advolaſſe , atque ex eo id porro manſiſſe , ut Jovis Vates *columbae* appellarentur . Vide adnotata cetera ad laudatum Iſ. locum XXXVIII. 14.

Quid ſi unus idemque vates , qui uno Orientali vocabulo *Tomurus* dicebatur a טמר *temar* , quod eſt *abdi* , *celari* ; idem , inquam , vates ab altero verbo notionis ejuſdem (nim. ab Heb. פלא , quod inuſitatum in *Kal* , at in conjug. *Niphal* eſt uti dixi *occultari* , *abſcondi*)

---

(14) Locus Strabonis ad finem lib. VII. in hunc modum habet : Ὕστερον δ' ἀπεδείχθησαν τρεῖς γραῖαι , ἐπειδὴ καὶ σύνναος τῷ Διῒ προσαπεδείχθη καὶ Διώνη . *Subſecutis temporibus tres anus ſunt ad hoc miniſterium ordinatae* (ſupplendum hic : *Ac* πέλειαι i. e. *columbae vocatae*) *poſtquam ſcil. Dione etiam eſt in ſocietatem Templi Jovis recepta* . Illud poſterius membrum complectitur αἰτιολογίαν τοῦ σιωπωμένου , h. e. cauſam ejus , quod , quia vulgo notum , reticuerat ; id ſcil. quod intra parentheſim in interpretatione concluſi . Reddit enim rationem , cur illae vates *columbae* appellarentur , ſi minus veram , at veriſimiliorem certe , quam fabella erat de columbis fatidicis , quae illuc convolarant . Rationem ergo Geographus hanc aſſignat : nam quia Veneri columbae ſacrae erant ; hinc ubi *Dione* (quae proprie Veneris mater eſt ; at hic & alibi pro Venere ipſa ſumitur) σύνναος Jovi Dodonaeo evaſit ; placuit , vates illas *columbarum* appellatione donari , utique in Veneris gratiam . Abſque hac obſervatione , locus ille Strabonis hiulcus eſſet , & luce ſua cariturus.

abſcondi) dictus fuerit *Pelia* ? quod qui poſtea putarunt Graecum eſſe , miracula de columbis vaticinantibus commenti ſunt . Et tamen Servius ad Ecl. IX. 13. rem acu tetigerat , ſi attentum nactus lectorem eſſet . *In Epiro* (grammaticus ait) *dicitur nemus fuiſſe , in quo reſponſa dabant columbae : quod ideo FINGITVR , quia lingua Theſſala* (antiqua ſcil. quando nondum Hellenice loquebantur Theſſali , necdum enim Hebraiſmum dedidicerant) *PELIADES* (nam πέλειαι & πελειάδες ſunt ſynonyma) *& columbae & vaticinatrices vocantur*. Confer cum hoc Servii loco alterum Euſtathii initio hujus de *Dodona* tractationis a me productum ; ex quo intelliges non temere hanc vocem Theſſalam dici, cum Epirotica dici debuiſſet; non temere , inquam, quia in Theſſaliae Dodona fort. μαντεῖον ſimile inſtitutum videtur .

Sed ad etymon idem Orientale quod attinet , poteſt ea vox veriſimilius ab eadem quidem radice fluere , ſed quatenus ex uſu Chaldaico ſignificat *reſponſa dare* , unde fit [illegible] *pilea* , & (in forma emphat. [illegible] *pilata*) i. e. *interpretatio* : quod ipſum Syris in forma emphatica [illegible] *pheleto* Matth. XXIV. 32. dicitur : unde amoto *Tau* emphatico , remanet ipſum *Pelea* , aut *Pelia* , h. e. vates deorum voluntatem interpretans .

Ad ultimum , quod *anus* deſignabantur ad id miniſterium , id quoque niſi vehementer fallor , ex Hebraiſmo non intellecto profectum fuit . Nam unum idemque Orientale vocabulum cum aliis vocalibus in Πελασγία tranſiit , cum aliis autem in παλαιὰ i. e. *vetula* . Hinc proceſſu temporis cenſuerunt , *anus* deſignari oportere . Vide in ſuperiore Adnot. locum Strabonis, ex quo liquet , ὕστερον χρόνῳ i. e. *procedente tempore Vetulas* ad id delectas , tum ſcil. cum , deſuetâ priore lingua , ſequior aetas Orientalia nomina ex Helleniſmo interpretabatur . Atque haec de Dodonaeis πελείαις : cum quibus aliquando conjungi poterunt , quae longe plura de his dixi in Diſſert. ad Iſ. XXXVIII. 14.

Ac ſane tot ac tantae Dodonaeor. Orientales origines , adhaec vox DODON a DODAN vocali una , eâq. facile variabili, differens , haud dubie *Dodonaeis* primatum in familia Dodanica aſſererent , niſi a *Dardania Troica* (quae haud dubie prima ſedes Dodanim fuit) nimia marium terrarumque intervalla Epirum disjungerent, quo minus *Dodona* inter primitivas colonias recenſeri potuerit .

SECTIO VI.

CRETA , quae primitus DARDANIA vocata .

Poſt Dardaniam Troicam haud facile locus alius plures de Idaeis Dactylis , Curetibus, Corybantibus , Cabiris , Telchinibus narrationes ſervavit, prae Creta inſula , quae & ipſa antiquitus merito *Dardania* a *Dodanim* dicta: quas narrationes qui noſſe cupit , adeat ſubſtratas (13) adnotationes . At ſacra Curetica non aliunde

(13) Vt ab ultimis i. e. Telchinibus ordiar ; tam certum eſt , fuiſſe apud Cretenſes *Telchinum* nomen celebratiſſimum , quam certum eſt , eam inſulam dictam fuiſſe aliquando *Telchiniam* . Stephanus in ΤΕΛΧΙΣ : Ἐπειδὴ καὶ ἡ Κρήτη ΤΕΛΧΙΝΙΑ ἐλέγετο , καὶ οἱ Κρῆτες ΤΕΛΧΙΝΕΣ . *Siquidem Creta etiam Telchinia dicebatur , & Cretes Telchines* . Etymologus : Καὶ γὰρ τὰν Κρήταν Τελχινίαν λέγοντι . *Nam & Cretam vocant TELCHINIAM* . Rhodus quoque (de qua infra) Τελχινὶς vocabatur .

De *Cabiris* , an eorum nomen apud Cretenſes obtinuerit, nihil dum legi . At *Idaeorum Dactylorum* , *Curetum* , *Corybantum* plenae ſunt Cretenſium hiſtoriae . Diodorus lib. V. (ubi de Creta) vix aliud , quam de his loquitur . Qui ab Idaeis Dactylis orſus , ait : *Primi quorum memoria exſtet , Cretae incolae ad Idam montem Idaei Dactyli fuerunt : quos alii centum numerant , alii decem , ex pari ſcil. digitorum numero ſic appellatos* . Nemini vero in vocum Orientis originationibus ψευδώνυμα Graecorum abſterreant . At vera Idaeorum Dactylorum etymologia tradetur a me infra in Digreſſ. Curetica . Mox de eorum origine ex Phrygia , h. e. Dardania agit, de praeſtigiis , ritibus myſteriorum , de eorumdem habitatione in Samothracia , de inventione ignis , aeris , ferri , de divinis honoribus , quos pro ſuis meritis apud poſteros obtinuerunt ; inter quos Herculem Olympici ludicri inſtitutorem (diverſum ab Alcmenae filio) unum ex eis facit . Deinde ad Curetes tranſiens , plura habet , quae non alibi reperias . *Poſt Idaeos Dactylos* (inquit) *Curetes novem exſtitiſſe tradunt ; quos alii terrigenos , alii ab Idaeis Dactylis oriundos eſſe fabulantur . Horum habitatio in condenſis montium arboretis , & vallium ſpeluncis , & illis denique locis , quae ſuapte natura tegumentum & receptum praeberent ; cum quidem aedificandi ars nondum reperta eſſet*

aliunde in hanc inſulam quam ex primitiva illa Troadis Dardania [Strabone & Diodoro (14) teſtibus] immigrarunt : quare indidem neceſſe eſt & colonos primos in inſulam penetraſſe, Dodanenſium ſcil. ſive Dardanorum Troicorum ſurculos .

Et Cretam quidem primitus CAPHTOR fuiſſe vocatam , in ora (15) ima oſtendimus. Nec antea *Cretae* nomen invectum in eam inſulam fuit , quam illam cum Colonia *Dodanenſi* , ſeu Dardania ſimul CURETES (quod maximum ejus coloniae corpus fuit) occupaſſent . Res enim ſic ſe habuiſſe videtur . *Curetim* illos (quos inter primos Dardaniae Troicae colonos exſtitiſſe , dicetur in fine Sylvae hujus in *Digreſſ. Curetica*) poſtea quam aucta Troica juventute terra illa vix aleret , haud aliud conſilium ſubiit , quam ut leviore primum facto maris periculo , in Samothracen principio inſulam haud longe a Troade disjunctam trajicerent : eamdemque Samothracen (ut ſup. dictum) ſacris Cureticis , quae in Dardania didicerant , probe imbuerent . Mox audentiores quotidie facti , tum alias uti puto , Aegaei maris inſulas percurrerunt , tum illam ceterarum maximam *Caphtor* , quam *Caretes* (ſeu *Ceretim* , ut in libris Regum vocantur) de ſuo nomine , ſed primore abſorpta vocali, pro *Ceretim Cretam* nuncuparunt , Aetas aditae a Curetibus inſulae Cretae anterior (16) ſcriptione Deuteronomii fuerit oportet ,

Jam

---

eſſet . Qui cum excellenti eſſent ingenio ; multa vitae utilia protulere . Nam primi fuerunt , qui greges ovium cogerent aliarumque pecudum genera manſuefacerent , & mellis opificium edocerent . Artem quoque jaculandi & venandi rationem oſtenderunt . Communis denique ſocietatis , & in primis concordiae , ordinataeque vitae ac diſciplinae auctores exſtiterunt . Gladii praeterea , armataeque ſaltationes horum inventa ſunt ; quarum frequenti ſtrepitu Saturnum iidem fefellerant . Ab his enim Jupiter (quem clam patre Rhea mater eorum fidei & tutelae commiſerat) ſuſceptus & educatus fertur .

Taceo de Corybantibus , qui nomine tenus a Curetibus differunt ; quorum etiam crebra eſt apud Scriptores mentio , ubi de rebus Creticis : etſi in Creta quidem facilius ii *Curetes* vocabantur , quam alio nomine .

Hinc Plinius IV. 12. ſect. 20. eam inſulam olim *CURETIN* fuiſſe appellatam docet . Ac facilius nihil fuit , quam ut incolae inſulae illius , cum primitus *Curetes* dicerentur, poſtmodum abſorpto V , *Cretes* nuncuparentur . Id certe multo eſt veriſimilius , quam quod alicubi apud antiquos legitur , ſive a Nympha *Creta* , ſive a rege *Crete* impoſitum eſſe id nomen ; ſive a Creta uxore Ammonis regis , quod Diodorus ſcripſit , qui antea hanc inſulam appellatam *Idaeam* tradit .

(14) Vide infra initio *Digreſſ. Curet icae* , ubi oſtenditur , *Idaeos Dactylos* , & *Curetes* , aliaque iſtorum ſynonyma ex Dardania primitus in Cretam illata : praeter alia ὁμοφώνως eiſdem conſentanea . Veluti quod ſupra & mox infra Adn. 15. ex Strabone & aliis oſtenditur , & ex locorum *ὁμωνυμία* , Cretam non aliunde quam ex Dardania accepiſſe colonos .

(15) Non levia ſunt ex Scripturis argumenta, quibus demonſtratur , vetus Cretae inſulae nomen Hebraicum fuiſſe *Caphtor* : quod & pluribus in locis demonſtrat Calmetus . Dixi nomen priſtinum Cretae fuiſſe *Caphtor* . Ceterum , ubicumque in Hebr. *Caphtor* eſt , Vulgata reddit *Cappadociam* . Cum Vulgata vero conſentit Chriſtiana omnis antiquitas Graecorum & Latinorum Patrum . Mihi ſi cauſae hujus arbitrium deferatur, utrumque defendi poſſe putem , tum propter argumenta a Bocharto & a Calmeto in partes contrarias adducta , tum vero quia tota vox *Caphtor* (praeter ultimam caninam litteram) in *Cappadociae* voce ineſt , quia T & D ejusdem ſunt ſoni elementa . Ergo *Capter* , & *Capdox* ultima ſola diſtinguit littera . Videtur ergo antiquitus ſub nomine *Caphter* , tum *Cappadocia* tum etiam *Creta* veniſſe , quia potuit vox eadem locis duobus , ſed & interdum pluribus fuiſſe impoſita. Et Cappadociae habet urbs ejus Σίδη , i. e. *malum granatum* ; quod & voce *Caphtor* notatur Hebraice . Verum de priore Cretae nomine , utrum *Caphtor* an aliud fuerit , nolo cum quoquam contendere . Hic certe de Creta inſula (etiam ſi ante *Captor* non vocaretur) mihi ſermo proponitur .

(16) Deut. II. 23. ſic Hebraice legitur : *Caphtorim* (hi ſunt Philiſtaei) *egreſſi de Caphtor* (h. e. de Creta ſua vetere patria) *perdiderunt eos* (*Hevaeos* ſcil. habitantes a Chaſeri uſque Gazam quos proxime nominarat) *& habitaverunt pro eis* . Imo , ex virorum doctorum calculis , Philiſtaeorum de Creta ſua patria in Chananitidem prima expeditio diu ante Abrahae in eamdem adventum contigit : qui Patriarcha anno mundi circiter bismilleſimo centeſimo in Chananitidem ſe recepit .

Jam vero quia iidem Curetes ſive Cretes (quippe maris jam facti experientiſſimi) per plurima circum loca navibus volitarint, non eſt dubitandum ; nam certe in Chanaanitide celeberrimum τῶν *Cerethi* (ii ſunt *Curetes*) & *Pheleti* (qui *Philiſtaei* erant) nomen fuit, qui Regum Juda σωματοφύλακες diu extiterunt. Cum autem dico non parvam Curetum manum in Chananitidem transfretaſſe, miraculo eſſe videbitur, ſi minus Chananaeos ſacris Cureticis contaminarint, nullumque eorum veſtigium in Prophetis Bibliiſque ceteris impreſſum deprehendatur. Sed nolo hariolationibus indulgere.

Dixi pluries, in toto Secundo Samuelis, nec non in I. & II. Regum libris & I. Paralip. τοὺς *Cereti* & *Phelethi* (17) memorari, quos viri docti pro ſtipatoribus corporis habent ; quos σωματοφύλακας Graecia vocabat, Romani *Praetorianos*, ac poſtea *Protectores* nuncuparunt. At cur in Hebraeo ita dicti, etſi non eadem omnium eſt opinio, tamen in id ferme omnibus convenit, duo illa eſſe gentium nomina, quibus Judaeae reges pro ſtipatoribus utebantur. Verum illud ſcire intereſt, ecquinam hi duo populi fuerint : Bochartus [in Phoenic. colon. I. 15. ubi de Creta, col. 422.] duabus illis vocibus controverſis populum unum Philiſtaeorum (ortu Cretenſium) capi jubet. Huc advocat Jeremiae & Sophoniae loca, ex quibus tamen parum cauſa juvatur. Ad ſummam : ſi in Propheticis libris, poëticiſve enarrandis verſaremur, ferri poſſet illa inculcatio (*Cerethi* & *Phelethi*) ſi ſemel aut bis pro una eademque uſurparentur gente. At non eadem hiſtoriae ſimpliciſſimae libris ullo pacto conveniunt.

At mihi dubium nullum eſt, quin in *Cerethi* latent *Curetes* illi, qui *Cretae* olim adventu ſuo nomen indiderant; in *Phelethi* vero *Philiſtaei*, quos ex eadem olim inſula in Palaeſtinam ab antiquiſſimis profectos temporibus conſtat ex Deut. II. 23. Amos IX. 7.

Ergo utrumque gentis ὄνομα [tam *Cerethi* quam *Phelethi*] ex eadem inſula prodiit. Nam *Cerethi* ſunt ἐλογραμμάτοις *Curetes* i. e. coloniae Creticae duces : a *Philiſtaeis* autem ſi ſibili litterulam demas, ipſiſſimi *Phelethaei* loci hujus prodibunt. Nec quemquam in Philiſtaeis defectus aut redundantia litterae unius commoveat. Nam inter primum Philiſtaeorum in Chanaanis terram adventum (qui Abrahae in eamdem profectione prior fuit) interque *Phelethaeos* ex eadem Philiſtaeorum patria ad regibus Juda famulandum adſcitos mille prope anni interceſſerunt : intra quos quid miramur, ſi nomini recentium ex Creta advenarum ſibilum illud deeſſet, quod in ſuis ἑμοεθνέσι Philiſtaeis adhuc in ore ſtrideret ?

Nec Philiſtaeis tantulam nominis varietatem corrigere in Palaeſtina placuit : imo potius vulgo placuit, *Philiſtaeos* (utpote tam antiquos in Palaeſtina dominos) a *Phelethaeis* (popularibus quidem ſuis, verum recentibus advenis & quidem ad famulitium adſcitis) diſcrimen id reſſcindum, quo recens eorum miniſterium a veterum regnantium Philiſtaeorum dominatu diſcerneretur.

Ceterum corpora militaria per gentis ſuae nomenclaturas diſtingui conſueviſſe, ex hiſtoria Graeca, Romana, Barbara ſatis conſtat. Ad ſtipandum autem principis corpus non ex patrio ſolo, ſed ex alieno potius adſciſcebantur, ſicuti hodie in pluribus Italiae principatibus *Helvetii* ad id miniſterium deſtinantur. Quippe alienigenae, utpote a cognatis & amicis remoti, nulla coitionis aut infidelitatis ſuſpicione laborant.

Ergo illud maneat, *Legiones Cerethi & Phelethi* (quae in Regum Hiſtoria nominantur) Regum Juda praetorianos, corporiſque cuſtodes fuiſſe, ex Creta profectos : & *Ceretaeos* quidem ad *Curetas*, qui nomen *Cretae* indiderant, ſuum referre genus : *Pheletaeos* vero non differre a *Philiſtaeis*, qui ante Abrahae adventum ex Creta in Chanaanitidem venerant : qui vocantur propterea *Caphtorim* a Moſe Deut. II. 23. Cum quo conſentit Amos IX. 7. & Jer. XLVII. 4.

Atque ex dictis ſatis explorata eſt Cretenſium origo ex Dardania Troica. Ceterum quod Strabo aliique antiquorum Cretam ex *Phrygia* colonos accepiſſe tradunt, hoc tantumdem

(17) Hos liber alter Samuelis XX. 23. in Vulgata *Cerethaeos* & *Phelethaeos*, inſtar declinabilium vocat. At in ceteris omnibus Vulgatae locis ſemper indeclinabili forma, *Cerethi* & *Phelethi*, non ſecus ac in Hebraeo, uſurpatur. Horum prius *Cerethi* LXX Κρῆτας interdum vertunt, abſorpta Hebraei nominis priore vocali. Itaque non dubium videtur, quin ſicuti in inſula Caphtor *Curetes* illuc ex Dardania profecti, Graecis vocabantur Κρῆτες, idem Cerethaeis ex Creta ad regum defenſionem adſcitis acciderit, ut interdum a Graecis Κρῆτες dicerentur, & eorum regio maritima כרת *Crat*.

tumdem eſt, ac ſi ex *Dardania* dixiſſent. Nam poſt Trojae excidium ea regio tota, quae ante *Dardania* (a *Dodanim* conditore) dicta fuerat, coepit pars eſſe Phrygiae. Et quidem ὁμώνυμα utrobique loca ſatis aperte pro originis ταυτότητι clamitant: de qua ὁμωνυμίᾳ maximi geographi (18) locus exſtat, ex locis utrinque ὁμωνύμοις colligens, Cretam a Dardanis ſive a Dodanenſibus Dardaniae fundatoribus conditam: nec enim quemquam fore credam tam effuſe procacem, qui praepoſtere a Cretenſibus h. e. ab inſulanis, dicat Dardaniam initio frequentatam, h. e. inſulas, priuſquam continentes, fuiſſe habitatas, idque ante partam navalem peritiam. Quocirca ea locorum nomina Cretenſes a Dardanis conditoribus non vero contra, accepiſſe certiſſimum eſt.

Jam vero ex dictis non ſolum ex Dardania origo Cretae petenda eſt, verum etiam genus ac nomen conditoris patefit: quem unum ex Dodanenſibus fuiſſe non eſt dubium. Nego igitur primum deductorem coloniae fuiſſe Minoëm, quod aliquot veteribus placuit: imo primus coloniae auctor tanto Minoë vetuſtior, quanto *Rhadamanthus* (Graece Ῥαδάμανθυς) non tam heroicae quam gentilium deorum aetati propinquior fuit. Atque hujus ſententiae Ephorus is, cujus judicium veneratur antiquitas, mihi auctor & fundus in ima (19) ora prodeat.

Nunc iſtud, ſi poſſumus, aſſequamur, eccujus re vera antiquitatis Rhadamanthus ille fuerit. Ajo gentilium *Rhadamanthum* Cretae conditorem non aliud geſſiſſe nomen, quam *Dodanim*, illum, a quo primum Dardania Troica frequentata colonis fuit, n.m. pro more antiquo, quo nepotes majorum nomina ſibi arrogabant. Haec igitur duo nomina *Dodanim*, ſive potius cum canina *Rodanim* ex una parte, ex altera vero Ῥαδάμανθυς (*Rhadamanthus*) non re ſed tantum dialecto

(18) Strabo in ſua *Digreſſione Curetica*, quam lib. X. adtexuit ad finem pag. 472. ea loca ὁμώνυμα ſic recenſet: *Ida mons eſt & Trojae & Cretae. Itemque Dicte in Scepſia locus, & mons in Creta. Adhaec Pytna Idae collis eſt, cui cognominis* (in Creta) *Hiera Pytna. Ut Hippocoronium Adramyttenae eſt, ita & in Creta Hippocoronium. Atque inſulae Orientale promontorium dicitur Samonium, ſic campus circa Neandridem & Alexandriam idem nomen obtinet.* Obiter hic moneo alicubi pro *Samonio* legi *Salmonium*. Sed quidem *Samonium* praefero, neque id tantum ex librorum veterum auctoritate, verum etiam quia Σάμος (unde Σαμώνιον) apud Orientales *celſitudinem* ſignificabat. Vide quae de ea voce adnotavi, ubi de Samothrace. Sed redeo ad locorum ὁμωνυμίας, quae inter Troas Creteſque tanta eſt, ut prope clamitet, alteros ab alteris ἀπῳκίσθαι (*fuiſſe conditos*) nec vero ſecus quam Cretam, utpote inſulam, e Dardania colonos accepiſſe. Atque hoc illud eſt, quod antiqui ajunt, Cretenſes a Phrygibus ortos, h. e. a Dardanis, qui poſtea *Phryges* ſunt appellati . . .

(19) *Ephori apud Strabonem locus impeditiſſ. expeditur. De Rhadamantho ſeniore Cretae informatore primo. Plato excuſatur.*

Strabo lib. X. ubi de Creta, pag. 476. ex Ephoro, ſcribit Minoëm imitatorem fuiſſe ἀρχαίου τινὸς Ῥαδαμάνθυος δικαιοτάτου ἀνδρὸς (ὁμωνύμου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ) ὃς πρῶτος τὴν νῆσον ἐξημερῶσαι δοκεῖ νομίμοις καὶ συνοικισμοῖς πόλεων &c. *priſci cujuſdam Rhadamanthi juſtiſſimi viri, cognominis fratri ipſius* (fratrem intelligit ipſius Minois: nam certe Rhadamanthus fratri ſuo vivo cognominis eſſe gentium omnium moribus vetabatur) *qui* (Rhadamanthus) *primus perhibetur cicuraſſe inſulam tum legibus, tum conditis civitatibus: cum quidem aſſimularet, ab Jove ſe afferre ſingula decreta quae promulgabat*. In Strabonianis hiſce illud (ὃς πρῶτος, *Qui PRIMUS perhib. cicuraſſe inſ.*) cave cum viris doctiſſimis de Minoë accipias; nec enim is primus Cretae inſtitutor, ſed Rhadamanthi multo prioris *imitator* fuit: ζηλωτὴς (Strabo initio ex Ephoro dixerat) ἀρχαίου τινὸς Ῥαδαμάνθυος . . . ὃς πρῶτος &c. Idem Strabo mox pag. 482. narrat, Lycurgum ex Talete didiciſſe, *Quo pacto Rhadamantus* (πρότερον, καὶ ὕστερον Μίνως) *PRIUS, & POSTEA Minos*, dicerent ſe ex antro Jovis leges ab Jove acceptas Cretenſibus promulgare.

Sed jam excuſandos dico illos, qui Minoëm antiqui Rhadamanthi aequalem fecerunt: quos certe magni Platonis fregit auctoritas, & quidem non uno loco, ſed praecipue initio lib. I. de Legib. Verum hiſtorica accuratio non a ſummi Platonis dialogis petenda, ſed ab hiſtoricis, maxime criticis. Ergo credendum eſt Ephoro, qui apud Strabonem (vide ſupra) ſcripſit, duos fuiſſe Ῥαδαμάνθυας, ſeniorem unum, cujus veſtigia Minos deinde preſſerit; alterum vero juniorem, qui aequalis Minoi fuerit.

Poſtremo Platoni condonandum, ubi Minoëm Rhadamantho aequalem facit, quia Rhadamanthum τὸν ἀρχαῖον cum Rhadamantho altero confundit, qui aequalis Minoi fuit, ὁμώνυμος vero illi ἀρχαίῳ Rhadamantho.

lecto differunt . Nam (ut a littera prima ordiar) Moſaicus *Dodanim* tam ſaepe cum D quam cum R ſcribitur . Vocalis quae ſequitur ex O Hebraico , A Chaldaeum in *Rhadamantho* evaſit . Deinde quod N τοῦ *Dodanim* in M tr[illegible]ierit, ſunt ambae litterae, ut exemplis oſtenditur , permutabiles , maxime cum, ſequente T , vix inter ſe ſono diſtinguantur. Ergo Cretenſibus non difficile fuit τὸ RODAN cum RHADAM permutare . Poſtremo totum id quod in Rhadamantho ſequitur , pertinet ad Chaldaica additamenta illa , ex quibus exſiſtit forma , uti vocant , *Emphatica* : niſi quod aliquid anomaliae in *Tau* adjecto inest . Ergo רדמנתא *Rhadamanta* ſive cum ד *Dadamanta* non alius (ſi nomen ſpectes) a Moſaico *Rodanim* aut *Dodanim* erat ; quia deductoribus coloniarum nomina proximorum avorum aſſumere (etſi interdum dialecto paulum variata) familiare fuit .

Hactenus dictum , ſi prima in hoc γνώρισμα littera canina fuerit . Sed age , ſinamus fuiſſe D ; praeſertim quia ſic felicius procedet originatio : modo Cretenſes , plurium populorum ac maxime Tyrrhenorum exemplo [de quo videnda noſtra Tyrrhenica] D in T [ejusdem organi proximique ſoni litteram] permutaverint. Ergo Moſaici Dodanim prius in *Totanim* , mox in *Titanim* degenerarunt . Atque hi ſunt *Titanes* illi Cretenſes , variis mythologorum commentis interpolati , vix ut queas eos pro Moſaicis Dodanim agnoſcere , niſi eos detegeret ὁμωνυμία , itemque quod hiſtoriae Cretenſis antiquitas cogat eos credere tum primos exſtitiſſe Cretae colonos , tum a Dodanim haud plane diverſos . Prae ceteris videatur Diodorus lib. V. ubi de Creta agit , atque haec de Titanibus habet . *Narrant Cretenſes , quo tempore Curetes* (illi Cretae conditores) *vivebant , Titanes quoque exſtitiſſe . Horum in terra Cnoſſiorum domicilium erat ; ibi maxime , ubi etiamnum fundamenta & area domus , in qua Rhea degebat , & pervetuſtus ſacerque cupreſſorum lucus viſuntur . Ii numerantur ſex mares , & quinque feminae ; ii vero ex aliorum quidem ſententia Caeli & Terrae filii , ex aliorum autem ex uno Curetum & ex Titaea geniti , ac proinde de matris nomine appellati* . Vide ibi cetera ; ubi & inter Titanes mares etiam *Japetum* h. e. Moſaicum Japhetum videbis numeratum . Nolo hic plura de Titanibus addere ; quorum plenae ſunt antiquorum chartae .

Poſtremo in eadem inſula occurrunt plurima locorum , hominum , deorumque antiquiſſima nomina , ex Oriente profecta , non ſecus ac in Troica Dardania fuerant . Finis non ſit ; ſi ad ea digredi velim . De *Litto* ſaltem & *Britomarte* (20) dicam , quia duo haec interpretata nobis antiqui reliquerunt . Sed

(20) Quam urbem paſſim alii Λύκτον , *Lyctum* , hanc Polybius ſaepe Λυττὸν *Lyttum* vocavit , veluti lib. IV. ubi omnium Cretae urbium antiquiſſimam eſſe docuit . Sed & Homerus (ſi Straboni credimus) non Λύκτον ſed Λύττον ὀνόμασεν , *Lyttum appellavit* . Ejus gentile Λύττιος rectum eſt , pro vulgato Λύκτιος apud eumdem Polybium , ſicuti & in marmore apud Gruterum ΛΥΤΤΙΩΝ ΠΟΛΙC reperitur . Poſtremo Stephanus etiam ſcriptionis per duplex T cauſam aſſignat his verbis : Ἔνιοι Λύττον φασὶν αὐτὴν , διὰ τὸ κεῖσθαι ἐν μετεώρῳ τόπῳ · τὸ γὰρ ἄνω καὶ ὑψηλὸν , λύττον φασί . *Hanc quidam Lyttum appellant* (cum T duplicato) *quia excelſo eſt loco ſita : quod enim altum & ſublime eſt , Lyttum vocant* . Eadem ex Stephano recitavit Euſtathius . At videndum quo pacto id veriloquium tibi conſtet . Venit ea vox ex Arabico לטאטה *litatah* , quod exponitur *vertex montis* , *rupes* . En ut Stephani etymologia minime fallat . Atque huc olim retuli anaglyptum marmor a me viſum in Mazzae villa in ora Pauſilypi , in quo herois cujusdam caput inſculpitur cum epigraphe LITTO , quem putavi habitum fuiſſe pro urbis conditore . Atq. hunc Stephanus in hac urbe Λύττον *Lyctum Lycaonis filium* vocat ; a quo urbi nomen impoſitum fuiſſe credebant .

Nec minus ex Arabico veniunt duae Creticae voces Βριτὸς , & Βριτόμαρτις de quibus ſic Heſychius : Βριτόμαρτις , ἐν Κρήτῃ ἡ Ἄρτεμις . Βριτὸ , γλυκὺ , Κρῆτες . i. e. *Britomartis Diana quae in Creta colitur . Βριτὺ eſt Dulce Cretenſium lingua* . Quorum poſterius ex Arab. rad. ברת deduci poteſt , inter cujus derivata eſt אלברת *albubarat* , quod eſt Sacchari genus . Ab eo , inquam , eſt Βριτὸ h. e. *dulce* . At alterum *Britomartis* (quod Solino *virginem dulcem* ſignificat) componitur ex Βριτὸς modo expoſito , & ex מרתא *Marta* , quod apud Syros (qui *morto* pro ſuo more pronuntiant ; unde μορτὸς , de quo mox) *heram* i. e. puellam ſignificat : hinc *Marta* in Evangelio Sororis Lazari nomen eſt; & μορτοβάτιν ναῦν exponit Heſychius ἀνθρωποβάτιν : eidemque Μορτὸς eſt ἄνθρωπος . Si porro Μορτὸς eſt *homo* : etiam Μορτὰ & *Marta* Evangelica (ſecundum communem ſcil. pronuntiationem) *puellam* ſignabit : Habes cur Creticum *Britomartis* Solino *virginem dulcem* deſignet . Ex quibus indiciis non puto , dubi-

Sed volupe eſt aſſequi, quo pacto id ſignificent, quod illi voluerunt.

SECT. VII.

De Dodanicis coloniis ab R incipientibus.

I. RHODVS.

In voce DODANIM prima littera variat; nam quae in Hebraeo hic eſt ד *Daleth*, eadem in Hebr. Paralip. I. 7. eſt ר *Resh*. Taceo ceteras ſcriptionis variantias, quas in principio *Sylvae* hujus Dodanicae accurate notavi. At ſingulare illud prae ceteris animadvertendum, quod in hoc Gen. loco non contenti Seniores pro littera caninâ ſtetiſſe, etiam ſuam nobis aperuere ſententiam, ecqua ſcil. crederetur tunc in Aegypto (nam ibi interpretationi vacabant) regio ab hoc Javanis filio frequentata colonis. Nam quia nec *Dodanim**, imo nec *Rodanim* ſcripſerunt, ſed Ῥόδιοι (id quod itidem in Graeco Paral. I. cap. 1. ſcribitur) eâ una voculâ tum de littera prima γενάρχου hujus, tum ſimul etiam de populo *Rhodiorum* per *Dodanim* propagato nos admonere voluerunt; quia ea tunc ſententia in Aegypto, & credo alibi, ita praevaluerat, ut tantumdem vulgo videretur *Rhodanim*, quod *Rhodii* dixiſſe.

Neque vero injuriâ praevaluerat; nam *Dodanim* quidem dialecto tantum a *Dardanis* differunt (ut ex Jonathanis paraphraſi oſtendi Sylvae hujus initio) at ipſos Dardanos συνωνύμως cum *Rhodiis* habitos, liquido demonſtraturus ex eo mihi videor, quod qui in Homero *Rhodius* amnis dicitur, is etiam *Dardanus* κατὰ συνωνυμίαν olim vocabatur. De *Rhodii* nomine, ut dixi, fidem facit Homerus Il. XII. 20.

Ὅσσοι ἀπ' Ἰδαίων ὀρέων ἅλαδε προρέουσι,
Γρήνικός, Ἑπτάπορός τε, Κάρησός τε, ῬΟ-
ΔΙΟΣ ΤΕ.

Quicumque Idaeis de montibus in mare currunt,
Rheſusque, Heptaporusque, Careſusq. RHO-
DIVSQVE.

Etiam Heſiodus ejusdem *Rhodii* meminit, ſed nunc verſus ad manus non eſt. Et quidem quod *Rhodius* amnis Dardaniae fuerit, ſatis Homerus oſtenderat, ubi eum decurrentem ex Ida fecit: verum quod idem alio nomine *Dardanus* vocitaretur, neſcirem, niſi ab Heſychio didiciſſem. ῬΟΔΙΟΣ (ait) ποταμός, ὁ νῦν ΔΑΡΔΑΝΟΣ. *RHODIVS est amnis, qui nunc Dardanus dicitur.* Poterat ergo Rhodus & ex modo dicto συνωνυμίας praejudicio, & ex vetuſtate Telchinum, & aliunde inter primas Dodanicas colonias a me numerari; niſi eam ex canina primore littera huc differendam ſeorſum decreviſſem. Nunc igitur ſaltem inter gentes rhotaciſmo praeſignatas *Rhodus* mihi prima procedat.

Ceterum Bocharto viro ſummo quis aſſentiatur? qui Rhodani accolas, ſive Celtas immenſo marium intervallo a communi patria disjunctos (& quidem in tanta tunc temporis navigationis inſcitia) unos ab hoc γενάρχῃ frequentatos contendit. Sint ſane Galli a Rhodanim: non invidebo. Verum & *Rhodii* (& quidem ante Gallos, & quoſvis alios) Dodanicis adnumerandos contendo.

Ac primum Bocharti in Rhodo expungenda Achilles fere is eſt. Apud Pindarum Olymp. VII. iſtud ſermonibus hominum jactabatur, nim. quo tempore dii (ii vero non male ſunt, Bocharto interprete, Noachidae) terram inter ſe partiebantur, Rhodum nulli aſſignatam fuiſſe, quippe in fundo maris adhuc latitantem. Id ex Pindaro hauſtum Heraclides, Plinius, Ammianus in ſua ſcripta infuderunt, narrantes, eam inſulam olim ſub undis deliteſcentem, poſtea repente enataſſe. Verum fabellae hae ſunt, & ἐγχώριοι Rhodiorum narrationes, per quas inſulani viam ſibi muniebant ad docendum, quo pacto Rhodus Solis inſula evaſerit. Nam ſequitur in ea narratione, cum in prima illa κληροχίᾳ (*ſortitione*) Sole abſente facta, nulla pars Soli obtigiſſet, voluiſſe Jovem iterato partiri terram: verum vetaſſe Solem, tantum jurejurando adegiſſe deos contentum, ut Rhodus, quam is ſciebat in fundo latere, mox ut emergeret, ſibi in portionem cederet. Hanc fabulam qui deinceps ſunt ſecuti, iidem exiſtimarunt, *Heliadas*, h. e. Solis filios ac nepotes, primos fuiſſe inſulae illius colonos. Verum quam falſa eſt fabula de Rhodo ex undis enata, tam falſum & illud, primos inſulae incolas fuiſſe Heliadas. Nam primi certe, quos inſulam illam tenuiſſe ſciatur, *Telchines* fuerunt, a quibus illa Τελχινὶς appellata fuit: quibus multo poſt tempore exactis, Heliadae inſulam occupaverunt. Narrationis hujus teſtis ſatis idoneus Geographus Amaſenus

dubitandum, quin ſi cetera Cretica nomina hominum locorumque ſit alicui animus exponere, res ſit feliciter proceſſura. Sed propero ad ea quae reſtant *Dodanici* generis.

nus producatur in medium (21). *Rhodus dicta. ... Telchinis ab inhabitantibus eam Telchinibus*; (Quos Telchines non alios fuiſſe ab iis, quos aliis nominibus *Curetes*, *Corybantes*, *Cabiros*, *Idaeos Dactylos* [h. e. Dardanorum genus] vocabant, in Digreſſ. Curetica ex eod. Strabone oſtendam; idque ſequentia Strabonis firmant. Pergit enim) *Hos alii faſcinatores & praeſtigiatores fuiſſe dicunt* (id cum Idaeis Dactylis commune habent) ... *alii cum excellerent artibus, invisum iis ab earumdem aemulis*, *ajunt*, *& hoc infamiae retuliſſe*. Vult Geographus, diverſas narrationes haſce ortas ex ambiguitate verbi βασκαίνειν, quod in hac narratione uſurpatur: quod verbum & *faſcinare* & *invidere* ſignificat: quae clariora ſunt apud Euſtathium ad Dionyſ. Imo eas fabellas ortas eſſe ex ambiguitate verbi דלק *dalak* (unde *Telchinibus* nomen) infra in *Digreſſione Curet.* oſtenditur. Sequitur. *E Creta eos primum in Cyprum, deinde in Rhodum veniſſe* (non male hoc de Telchinibus h. e. Curetibus dicitur; qui ex Dardania profecti, prius in Cretam venerunt, ut ante in Creta dictum: hinc credo in Cyprum Rhodumque) *primoſque ferrum & aes fabricatos* [& hoc peculiare Idaeorum Dactylorum fuit; qui iidem ac Telchines] *atque etiam Saturno falcem feciſſe*. Imo, ſi Callimachum audimus, iidem & Neptuno tridentem ſunt fabricati (Hymno in Delum v. 31. τὰ οἱ Τελχῖνες ἔτευξαν) quo deus ille montes initio mundi concutiens, inſulas inde avulſerit. Pergit poſt pauca. *Poſt Telchines hoſce fabulantur, Heliadas inſulam occupaſſe: quorum Heliadarum* [ſeptem numero fuiſſe Solis filios ajunt, quos enumerat Pindari Scholiaſtes ad Olymp. VII.] *unus nomine Cercaphus filios* (tres) *ex Cydippe ſuſceperit, qui tres urbes condiderint ſibi cognomines*.

Λίνδον, Ἰηλυσσόν τε, καὶ ἀργινόεντα Κάμειρον.
Lindon, Jalyſſumque; Argilloſamque Camirum. Il. B. 656.

Non invitus locum paullo longiorem adſcripſi; ex quo ſimul colligitur, primos Rhodi habitatores non Heliadas fuiſſe, ſed Telchines; ſimul etiam intelligitur hos Telchines eoſdem fuiſſe, ac Curetes ſeu Idaeos Dactylos [quod & lib. X. idem Strabo docuerat] ferri primos fabricatores; proinde Telchines ad Dardanos h. e. *Dodanim* genus referre ſuum. Poſtremo ex eadem narratione deprehendes, veriſſimam eſſe *Telchinum* etymologiam, quam in Digreſſ. Curetica ponam; quam ibi cognoſces.

At dixeris fort. id ſaltem non conſtare, Telchinum in hanc inſulam adventum ante Moſis aevum contigiſſe; quia ex Dardania primum in Cretam eos veniſſe neceſſe eſt; deinde ex Creta in Cyprum, poſtremo hinc in inſulam Rhodum, quod ex Strabone didicimus: quae diverſae migrationes non modico proceſſu temporis opus habuiſſe videntur: proinde non potuiſſe Moſem ambitu τῶν *Dodanim* complecti etiam Rhodios. Ego vero ajo; Telchines jam antea quam Moſes haec ſcriberet, Rhodum tenuiſſe. Etenim ex Zenone quodam Rhodiarum antiquitatum ſcriptore (22) [quem Diodorus citat lib. V.] diſcimus, Heliadas circa tempora Cecropis floruiſſe; qui Cecrops Moſi aequalis putatur. Abutitur autem, ut obiter dicam, hac auctoritate Bochartus in *Rodanim*, ut oſtendat, Moſis primum aevo Rhodum habitari coepiſſe (nim. enim Heliadas, qui Cecropis ac proinde Moſis σύγχρονοι erant, *primos*, uti loquitur, inſulae habitatores fuiſſe Bochartus putavit) atque hinc fieri non potuiſſe, ut Moſes Rhodios intelligeret cum in Gen. X. *Rodanim* ſcripſit. Verum pace tanti viri, Heliadas *primos* Rhodi colonos fuiſſe, nec Zeno, nec Diodorus dixit: quinimo horum narratio lib. V. pag. 227. contrarium ſuadet; quippe cum ante quam Heliadae exſiſterent, Rhodi incolae partim inundatione extincti, partim

---

(21) Strabo lib. XIV. Ἐκαλεῖτο δ' ἡ Ῥόδος πρότερον ... Τελχινὶς ἀπὸ τῶν οἰκησάντων Τελχίνων τὴν νῆσον· οὓς οἱ μὲν βασκάνους φασὶ καὶ γόητας ... οἱ δὲ τέχνας (στοχείαις repone) διαφέροντας, τοὐναντίον ὑπὸ τῶν ἀντιτέχνων βασκανθῆναι, καὶ τῆς δυσφημίας τυχεῖν ταύτης· ἐλθεῖν δ' ἐκ Κρήτης εἰς Κύπρον πρῶτον, εἶτ' εἰς Ῥόδον· πρώτους δ' ἐργάσασθαι σίδηρόν τε καὶ χαλκόν· καὶ δὴ καὶ τὴν ἅρπην τῷ Κρόνῳ δημιουργῆσαι: ... Μετὰ δὲ τοὺς Τελχῖνας οἱ Ἡλιάδαι μυθεύονται κατασχεῖν τὴν νῆσον, ὧν ἑνὸς Κερκάφου καὶ Κυδίππης γένεσθαι παῖδας, τοὺς τὰς πόλεις κτίσαντας ἐπωνύμους αὐτῶν, Λίνδον, Ἰηλυσσόν τε, καὶ ἀργινόεντα Κάμειρον. Verſus, qui heic legitur, eſt ex Homeri Catalogo.

Adhaec porro *Telchinum* etymologia (quae ſine dubio Orientalis eſt) quemadmodum huic narrationi & alteri Diodori mox producendae conveniat, in Digreſſ. Curetica oſtendam.

(22) Diodorus lib. V. pag. 227. Τὸν δὲ τότε βασιλεύοντα τῶν Ἀθηναίων Κέκροπα: *Cecropem TVNC TEMPORIS* (cum ſcil. Heliadae tenerent inſulam) *Athenienſium regem* facit.

partim in editioribus locis ſibi ſalutem quaeſiiſſe narrentur. Sed & Strabo etiam contraria his affirmavit: qui, ut ante dixi, Telchines diu ante Helladas (h. e. ante Moſem) in ea inſula dominatos tradidit. Diodorus ipſe (lib. V. pag. 226.) Rhodi hiſtoriam ex Zenone & aliis ſic orditur, nihil ut antiquius Telchinum nomine in inſula fuiſſe agnoſcat. Ῥόδον, inquit, πρῶτοι κατῴκησαν οἱ προσαγορευόμενοι Τελχῖνες. *Rhodum primi inhabitarunt Telchines*. Cetera Diodori quae huc pertinent, vide inferne (23) adſcripta: ex quibus intelliges, docuiſſe veterum fabulas, Telchines *Thalaſſae* i. e. maris fuiſſe filios (quo ſignificatur, eos fuiſſe ex numero primorum parentum, qui ex aquis diluvii emerſerunt) adhaec non defuiſſe, qui dicerent, Telchines anteceſſiſſe diluvio, quo praeſagito, alios alio dilapſos fuiſſe. Vide totum Diodori locum. Jam vero ex Euſebii Chronico num. 229. Telchines Rhodii Iſaaco patriarchae pares fiunt. Vide ibi Scaligerum. Eadem in Druſio reperies. Utut eſt de tempore; certe Moſem diu anteceſſerunt. Nec eſt dubitandum (niſi ſi vero quidquid eſt veterum monumentorum ſubvertere nitimur) primos Rhodi colonos fuiſſe non alios, quam Telchines, hos vero origine ſua Dardanos exſtitiſſe [id quod in Digreſſ. Curet. comprobabimus] proinde intra τῶν *Rodanim* Moſaicorum ambitum certo *Rhodios* contineri.

Poſtremo non de nihilo id eſt, quod apud Strabonem [ubi de Dardania, ſive Troade lib. XIII. pag. 595.] inter Abydum interque Dardanium promontorium, cum urbe Dardano, medius fluat *Rhodius* amnis, cujus apud Homerum Il. M. 20. mentio exſiſtit (Homeri locum initio ſectionis hujus attuli) id namque ſubindicat, ubi ait, inde nomen inſulae *Rhodo* exſtitiſſe: a Telchinibus ſ... ex modo dicta parte Dardaniae profectis Rhodo impoſitum.

Quamquam eſt, quod de *Rhodi* nomine accuratius agam; nam in ejus etymologia [de qua vide prae ceteris Pindari Scholia ad Ol. VII.] variant antiqui, ſed ita ut ea magis opinio invaluerit, a *roſis* ita vocatam, διὰ τὸ σπουδαῖα ἔχειν ῥόδα, inquit Pindari Scholiaſtes, *quod eximias roſas ferat*. Hanc ego etymologiam ſic amplector, ut tamen minime neceſſe putem, roſas eximias aut copioſas in inſula fuiſſe, ut a roſis nomen invenerit: verum tale nomen inſulae ab initio fuit, quod tum Hebraice tum etiam Graece *roſas* notaret. Etenim parum eſt dubitandum, ut initio dixi, quin genuina τῶν *Dodanim* ſcriptura ſit per *Daleth*; etſi deinde partim ex pronuntiationis, partim ex characteris ſimilitudine ea littera apud non paucos in R degeneravit. Itaque vetus inſulae nomen fuit דוד *Dod*, quod *amorem*, & quidquid eſt amabile notat, ac prae ceteris (24) *roſas*: a qua voce

---

(23) Diodorus lib. V. pag. 226. *Rhodum primi omnium Telchines incoluerunt; quos Thalaſſae* (i. e. maris.) *filios fuiſſe fabulae prodiderunt, qui cum Caphira Oceani filia Neptunum, a Rhea ipſorum fidei commiſſum, educaverint*. Per hanc de Neptuni educatione fabulam, credo antiquos ad maris imperium, quo diu Rhodii potiti fuerunt, ſpectaſſe. Pergit autem. *Artes etiam nonnullas inveniſſe, aliaque vitae conducibilia docuiſſe, perhibentur. Horum ſollertiae prima deorum ſigna accepta referuntur: unde quaedam vetera ſimulacra eorum nomen praeferebant: nam apud Lindios Apollo Telchinius vocabatur. Adde quod apud Jalyſios Juno & Nymphae Telchiniae, apud Camirenſes vero Juno Telchinia. Adhaec autem praeſtigiatores hi fuiſſe narrantur; qui pro ſua maxima voluntate nubes & pluvias, grandineſque & nives inducerent (itemque; ut Magi factitant) formaſque immutarent ſuas*. Mitto longam fabellam, quam ſubjicit, & cur eos appellarint προσώπους δαίμονας *Oculos Orientales*. Extremum illud eſt: *Poſthaec cum venturum Telchines diluvium praeſagiſſent, ex in, ubi digreſſos huc atque illuc fuiſſe diſtractos: e quorum numero Lycum profectum in Lyciam, ibi Lycii Apollinis fanum ad Xanthum fluvium extruxiſſe*.

(24) Vox Hebraea דוד *dod* & *amorem* & *dilectum* ſignificat, & quidquid demum *amabile* eſt. Quare videndum an non etiam *roſas* notet: unde mutato de more D priore in R, factum ſit apud Graecos ῥόδον i. e. *roſa*. Etiam Chaldaei Syrique in *Roſae* nomine initiale D in R commutarunt, quam ורדא *varda* appellant, praepoſito ſcil. *Vau* formativo. Syri propius accedunt, dum ורדא *ruda* vocant *roſam*, aeque ac Graeci: utri ex utris acceperint, haud habeo dicere.

Jam vero Hebraicum דודאים *dudaim* Gen. XXX. 14. Cant. VII. 13. (de quo diu decertarunt, & certant adhuc interpretes) meo judicio nec mandragoras, nec Calmeti mala Medica, nec violas, aut aliud ſignificat, quam *roſas*: quippe cum *Dudaim* (haud ſecus ac roſae ...) Gen. XXX. 14. meſſis tempore reperiantur, ... rundem (Cant. VII. 13.) ſit odor gratiſſimus. Nec flos eſt alius magis *amorem* (qui voce דוד ſignificatur) ſpirans. Itaque Veneri paſſim roſa

voce Hebraea ortum deinde eſt Graecum Ῥόδον, mutato more Orientis D in R. Hinc ergo factum, ut inſula *Dod* ſeu *Rhod* i. e. *Rhodus* a *roſis* dicta exiſtimaretur. Veriſſime: nam & Hebraice & Graece, uti dixi, ea vox *roſam* ſignificat. Sed & haud difficile fuit *roſae* proventum in inſula invenire [quia is flos ubique affatim provenit] ut ab eventu ſic dicta putaretur inſula, quae re vera a *Dodanim* ſeu *Rodanim* primis incolis id nomen habuit.

At etiam vulgo putant, *Rhodi* nomen ultimo tempore inſulae impoſitum, quae antea variis nominibus ſit appellata; verum equidem nullum antiquius ei fuiſſe nomen, quam *Rhodi*, puto, impoſitum a nomine primorum habitatorum τῶν *Dodanim*, ſive *Rodanim*: Ceterum ubi Strabo ait, ἐκαλεῖτο πρότερον Ὀφιοῦσσα.... [etiam Plinius, *Vocitata eſt antea Ophiuſa*, cui ſubjicit octo alia priſca nomina] illud πρότερον & τὸ *antea* non comparativi, ſed poſitivi vim habet, nec aliud ſonat, quam *Olim*. Nimirum enim *olim* praeter *Rhodi* nomen, alia plura deinde habuit. Ac de Rhodo ſatis haec eſſe poterunt; nam de Rhodiorum coloniis quae Geographus prodidit, ea quamvis inſtituto meo conducibilia, in ſubjectam (25) adnotationem contuli.

SECTIO VIII.

RHODANVS.

Ad extremum ſequitur ut de *Rhodanenſibus* h. e. Gallis breviter dicam; quos unos Bochartus a *Rhodanim* [ſic enim pro *Dodanim* legi jubet] conditos cenſuit. Equidem qui tot tantaſque colonias τοῖς Dodanim prolixe largitus fuerim; iniquiſſimus ſim, ſi hanc Galliis laudem ab homine Gallo ſuae patriae quaeſitam invideam, ut Galli inter *Dodanim* ſive *Rodanim* Moſaicos ambulent; modo ne Rhodanici [ſive Gallos vocare libet] ſoli eſſe velint, neve primi, a Dodanim conditi: in quo ſaepe Bochartus labitur. Nam ſatis initio docui primos fuiſſe *Dardanos*, mox alias alio tempore [& maxima ex parte ante Moſem] Dodanenſium colonias fuiſſe deductas: ſecundum quas non morabor, quin & *Rhodanici* a Bocharto recenſeantur; praeſertim cum eorum nomen proxime ad Moſaicum γενάρχην accedat, ſi hoc cum littera canina legatur.

Quamquam ceteroqui quid prohibet, quominus *Rhodani* vocabulum & *Rhodanuſiae*, & ſiquod aliud eſt eodem accedens, ab eiſdem Dodanenſibus Rhodiis ſit, qui *Rhodum*, ſive *Rhodam* in Hiſpania Tarracon. condiderunt? Vide ſup. Adn. 21. Nec ſatis firma ſunt argumenta Bocharti, ut hoc evertant: qui nim. dedecori habuiſſe videtur, ſi ſua Gallia non ἀμέσως a Dodanim, ſed longius [quaſi per quoſdam anfractus] a Rhodenſibus Rhodiorum colonis repetatur: uſque adeo magnas etiam animas tangit de patriae nobilitate φιλαυτία. Et ceteroqui peccat hoc ubique vir ſummus, ut primas tantum Noachidarum colonias propoſitas habens, ceterum coloniarum colonias [ſiquas illuſtrare liceat] ita negligat, quaſi non ab eodem ſtipite propagatas: vitium ſatis commune expeditiones Phalegicas perſequentibus.

Ceterum nemo hoc exſpectet ut ſive Rhodi filias ſive Rhodum ipſam ſub Telchinibus Graece loquentem audiat, ac ne ſub Heliadis quidem. Nam quo pacto Heliadae Graecum ſermonem uſurparent, qui tribus urbibus ab ſe conditis nullum nomen (26) quod Graece

ſa tribuitur; & in coronis amantium exquiſitiſſima fuit. Nec minimum eſt meae ſententiae praeſidium in convenientia vocis *Dudaim* cum Graeca Ῥόδον, mutato non praeter ſolitum D in R. Verum de his nolo plura addere, quia jam de eo ſatis ſuperque ad Gen. XXX. 14. occupavi diſſerere.

(25) Strabo lib. XIV. ubi de Rhodo, ait eos, aedificata claſſe ac maris imperio potitos, permultis ante Olympiorum inſtitutionem annis procul a patria ad afferendam ſalutem claſſem eduxiſſe, atque ex ea occaſione in diverſa loca colonias deduxiſſe: *Ita & uſque ad Hiſpaniam eos navigaſſe, & ibi* (τὴν Ῥόδον, ſed recte Caſaubonus mavult Ῥόδην) *Rhodam condidiſſe, poſtmodo a Maſſilienſibus occupatam: & IN OPICIS PARTHENOPEN* (ἐν δὲ τοῖς Ὀπικοῖς Παρθενόπην): *in Dauniis auxilio Coum Elpias. Nonnulli poſt reditum e bello Trojano Gymneſias ab iis ferunt conditas . . . Quidam Rhodiorum etiam circa Sybarin ſedes poſuerunt, juxta* (Χαωνίαν quod Caſaub. mutat in Χώνην) *Chonen*. Vides, noſtram Parthenopem (antiquiorem ſcil. civitatem: quae deinde poſt exſtructam Neapolim, hujus reſpectu *Palaepolis* cognominata) a *Dodanenſibus* Rhodiis fuiſſe conditam.

(26) Rhodus Pindaro τρίπολις dicitur, quia tribus olim urbibus habitabatur, quas nominat Homerus,

Linden, Jalyſumque, argilloſamque Camirum,

ab

Gracce ſonet, impoſuerint? Nec ante Dorum in eam inſulam adventum Graecam linguam eo inductam, eredendum eſt. Ceterum deductae ab Rhodiis coloniae ſunt antiquiſſimae. Certe in Baleares inſulas, auctore Strabone, vix reverſi a bello Trojano colonos miſerunt. Quocirca non eſt mirandum, ſi Rhodii [h. e. Rhodenſes] adventu ſuo in Galliam nullum uſpiam Graeci ſermonis veſtigium impreſſerint. Nam ne ipſi quidem Rhodii auctores coloniae tunc temporis Graeci, ſed βαρβαρόφωνοι erant. Ceterum ſi Lugduni, aut alioi ſermo Graecus aliquando in uſu fuit, aliquâ ignota de cauſâ ſerius inductus in ea loca Graeciſmus videtur.

Sed illuc redeo. Non moror equidem, quin Rhodanici ſive Celtae ad Rhodanim referant ſuum genus: veto tamen id ἀμέσως intelligi. Nam ſi genus Gallorum Rhodanicor. quaeras, ii verius a Rhodenſibus ſunt: qui quo tempore coloniam *Rhodam* in Tarrac. Hiſpania ſtabiliverunt, ſimul etiam & *Rhodani* nomen amni nobiliſſimo indiderunt, & *Rhodanuſiam* aliaſque colonias in Galliis fundaverunt.

SECTIO IX.

DE DODANENSIUM & PELASGORUM etymologiis eodem ferme tendentibus, & ex pari vagandi ingenio profectis.

§. 1. *De τῶν Dodanim veriloquio.*

Terminatio in IM ſicuti in aliis γενάρχαις decimi capitis nota eſt numeri multitudinis, ita in *Dodanim* potiſſimum, uti in hac tota Sylva ſatis conſtare feci: cujus ſingulare *Dodan* fuerit, quaſi gentis univerſae ſtipes. Atq. ejus etymon eſſe ab Hebr. verbo דדה *dadah*, minime dubito: quod quidem thema in forma *Hithpael* (הדדה *hiddaddah*) reperitur; ac ſignificat (auctore R. Davide & aliis) *vagari*, *migrare*, *progredi*, ac veluti *perrependo ſeſe diffundere*. Id vero verbum cum ſit ex quieſcentibus *Lamed He*, in ſuis derivatis facile *Nun* in fine adſciſcit; id quod factum vides in *Dodan*, cujus plurale eſt *Dodanim*. Jam vero quod ad vocalem primam pertinet; ea, credo, duplici modo pro dialecti varietate ſcribebatur, ſive cum *Cholem* ut דודנים *Dodanim*; ſive cum *Patach* ſequente *Dagesh* (ex ingenio ſcil. conjugationis *Piel* & *Hithpael*) idque eſſet דדנים *daddanim*. At poſteriori formae huic illud olim accidit, quod Chaldaei factitabant, ut *Dagesh* in R reſolveretur. Ita ex *Daddanim* factum eſt דרדנים *Dardanim*: ii ſunt illi vetuſtiſſimi gentium *Dardani*, uti jam initio harum Sylvarum admonui. Manſit interim vocalis Cholem tum in *Dodona*, tum in iis, quae litteram *Daleth* priorem in *Resh* commutarunt, uti ſunt *Rhodus*, & *Rhoda*, & *Rhodanus*. At *Titanes* Cretae & Euboeae non tantum utrumque *Daleth* cum T, ſed & *Vau* primae ſyllabae cum *Jud* permutarunt. Habes jam ejuſdem nominis varios pro dialectorum varietate μετασχηματισμοῖς, non praeter analogiam factos. Atque ea eſt vocis *Dodanim* etymologia, a *vagando* ſcilicet, quam eventus veram eſſe probavit, quia vix ullus fuit Aſiae prius, mox Europae angulus, quo non perreptaverint. Quare τὰς *Dodanim* Graece πλανήτας, Latine *planos* aut *errones* appellaveris: ferme quod & *Pelaſgorum* nomen ſonat.

§. 2. *Pelaſgorum etymon, eumque Dodanenſibus comparatio: deque Pelaſgia primitiva.*

Pelaſgos Hebraeo ſermone & in ejus dialectis tantumdem eſſe, quod *diviſos* (neque id vero ſine alluſione ad *Phalegi* Semidae nomen Gen. X. 25.) alibi dixi pluries, tamque id certum eſt, quam quod maxime aliud. At derivata a פלג *palag* [quod eſt *dividere*] haud raro *Dages* in tertia gerunt. Hinc a פלג fit פלגות *pelaggoth* i.e. *partes*: unde non *Pelaſgi* (ſi a dicta rad. venirent) ſed *Pelaggi* dicendi fuiſſent. Sed quia *Dages* Chaldaice in R de more Chaldaeo reſolvitur (ut modo de *Dardanis* dixi) hi noſtri ex *Pelaggis* olim dicti *Pelargi*, quod plerumque *Ciconias* notat: in quo & ratiuneulas Graeci invenere, quia ciconiarum inſtar ἀγεληδὸν Pelaſgi iter agebant: de quo tamen vide in (27) ima pagella. Poſtremo quia R in S ſaepiſſime

ab Helladis de ſuo nomine ſic appellatas. At ea nomina nihil Graece ſonant; quae tamen ex Orientis linguis Bochartus in Chanaan, ubi de Rhodo, appoſite interpretatur.

(27) Teſtatur hoc Strabo lib. V. ad finem pag. 221. Pelaſgos dicens πελαργοὺς ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν κληθῆναι, *Pelargos ab Atticis appellatos*, nim. quod inſtar avium crebras migrationes ſuſciperent. Id ipſum Dionyſius ex Myrſilo narrat, eam cauſam aſſignans, quod *ciconias* Graeci πελαργοὺς vocent. Vide & Heſychium in Πελαργικοί. Quis hic non miretur Graecorum non inſolitum

me tranſmeat (vide Voſſium in de litter. permut.) hinc poſtquam ex *Pelaggis Pelargi*, ad ultimum ex *Pelargis Pelaſgi* evaſerunt .

Illud ſane negari non poteſt, quin perpetuus Pelaſgorum character fuerit τὸ πολυπλάνητον , h. e. errores migrationeſque perpetuae quibus huc atque illuc differebantur : quaecumque ejus rei cauſa fuerit , ſive πολυανθρωπία (quod ſcil. ſuboleſcens multitudo ampliores ſedes requireret) ſive inſita nationi ad vagandum ὁρμὴ , ſive quod viciniorum injuriâ migrare alio compellerentur . Re vera ecqua continens fuit , ecqua inſula , quam non Pelaſgi occupaverint ? Itaque Pelaſgos in Italia , in Arcadia, in cetera Peloponneſo, in Attica, Theſſalia , Aetolia , adhaec Dodona , Creta , Lemno , Imbro , in inſulis plurimis , poſtremo (ut alia loca taceam) & in Myſia prope Dardaniam reperies . Quare non temere Pelaſgi , ſicuti & Dodanenſes , utrique ab *errando* nomen habent . Sane Pelaſgi Herodoto βαρβαρόφωνοι erant , non ſecus ac Dardani ; & in iiſdem locis omnibus Pelaſgi reperiuntur , in quibus populos a Dodanenſibus proſeminatos demonſtravimus .

Poſtremo ſi de primo & communi fonte Pelaſgorum quaeritur , cum alii Theſſaliam , alii Arcadiam aut aliud exiſtimaverint : mihi ſi detur optio, non aliam fuiſſe *Pelaſgiam* primitivam dixerim, quam quae Troicis temporibus prope Troadem erat ; de qua vide Strabonem lib. XIII. pag. 620. Et haec quidem Πελασγιῶτις poſt Iliacam cladem valde imminuta fuit. At *Menecrates Elaita* (inquit ibid. Amaſeuus Geographus) *in libro de urbium fundationibus , oram maritimam univerſam , quae nunc Jonica dicitur , ſumpto a Mycale initio , itemq. vicinas inſulas , a Pelaſgis primo habitatas fuiſſe dicit* . Nec eſt mihi dubium , quin haec prima ſedes Pelaſgorum fuerit , hic fons & origo ; unde poſtmodum longe ac late per Europam ſe diffuderint . Nam illud non eſt dubium , quod ſupra conſtabilivimus , gentium Europearum originem ex Minore Aſia eſſe petendam ; in qua primo ex communi patria digreſſu Japhetidae initio conſederunt , antequam maritimi itineris experientiam caperent .

§. 3. *An Pelaſgi ex genere Dodanico fuerint* .

Ergo ſi prima Pelaſgici nominis origo prope Dardaniam Troicam fuit ; ſuſpicari datur , Dardanos aeque ac Pelaſgos [quippe ejuſdem ſignificationis , ejuſdemque ingenii populos] ab eiſdem Dodanenſibus fuiſſe proſeminatos . Porro autem ſi Dardani quocumque ſe diffuderunt , ſimul eo ſacra ἰδαιογενῆ intulerunt ; ne ab hoc quidem charactere Pelaſgi alieni ſunt . Hi enim primi τὰ Καβείρων ὄργια [*Cabirorum myſteria*] Samothracas docuerunt , τὰ Σαμοθρήικες ἐπιτελέουσι λαβόντες παρὰ Πελασγῶν , *quae Samothraces a Pelaſgis edocti celebrant* , inquit Herodotus Muſa ſecunda ſect. 51. Primi quoque gentes religionibus imbuerunt , ut Herodotus ibidem tradit his verbis : Ἔθυον δὲ πάντα πρότερον οἱ Πελασγοὶ θεοῖσι ἐπευχόμενοι , ὡς ἐγὼ ἐν Δωδώνῃ οἶδα ἀκούσας. *Sacrificare ac deos invocare Pelaſgi primi exorſi ſunt , quemadmodum apud Dodonam auditum mihi fuit* , Nam Dodonaei ſimul Pelaſgi erant [teſte Homero Jovem compellante,

Ζεῦ ἄνα Δωδωναῖε Πελασγικὲ]

Rex o Dodonaee Pelaſgice Jupiter .

Eoque oſtenditur , Pelaſgos , quippe eoſdem ac Dodonaeos , a Dodanenſibus eſſe. Iidemq. demum Pelaſgi in omnibus iis locis fuerunt , ubicumque Dodanicae ſtirpis veſtigia reperimus . Itaque non inviti conjicimus , Pelaſgos ἀνέκαθεν non niſi τοὺς Dodanim pro ſuis conditoribus agnoſcere . Ac de Pelaſgis , quatenus Dodanenſium ſive coloni ſive populus amicus fuit , itemq. de Dodanenſium coloniis hactenus : in quibus me plane nimium fuiſſe non diffiteor . Et tamen non prorſus poenitet , nec muto factum . Oſtendendum enim fuit , fecunditatem Japheto ſupra ceteros promiſſam [illis certe verbis , *Dilatet Deus Japhet*] per *Dodanim* potiſſimum impletam videri .

inſolitum acumen ? Ciconiae Graecis πελαργοὶ dicuntur . Item Pelaſgos repererunt Πελαργὸς vocatos . Hinc ſtatim concluſerunt , hos ita dictos , quod ciconiarum in morem turmatim vagarentur . Atque mirum ſi ciconiis id prae ceteris conveniat . Etymologus autem ſic dictos Pelaſgos ait *propter* στολὰς *quas gerebant nigro & albo diſtinctas , inſtar ciconiarum* : quas πελαργὰς appellabant ob duplicem in pennis colorem ; quia πελὸν eſt *nigrum* , ἀργὸν vero *album* . At fuit ſolemne Graecis , ut nominibus barbaris , quae non intelligerent , fabulas ſuperſtruerent , ut ea ex Graeco ſermone explicarent .

Atqui ſi verum amamus , caſu non conſilio factum eſt , ut Pelaſgorum nomen cum ciconiis conveniret , dum interim utrorumque mores diverſi eſſent . Et ciconiae quidem πελαργοὶ a nigro & albo colore dicebantur : at *Pelargi* populi [pro פלגים *Pelaggim*] ex Chaldaicae dialecti ingenio vocati fuerunt .

APPENDIX

SEV DIGRESSIO CVRETICA.

SECTIO I.

De Dodanenſium ſacris, quae Curetica dicebantur. Ea ubi primum inventa, in quove conſiſterent. De Curetibus, Corybantibus, Idaeis Dactylis, Cabiris, Telchinibus.

CVm nihil in Dardania [quae poſtea *Phrygia* dicta fuit] in Samothrace, Creta, Euboea, Aetolia, Rhodo, Sabinis, aliiſve pluribus locis celebrius fuerit, quam ſacra *Curetica* ſeu *Corybantia*, aut *Enthuſiaſtica* [quod appellativum eſt & commune omnium Dodanenſium coloniarum ritibus nomen] non immerito tractationem hanc de ſacris *Cureticis* [nam *Curetum* nomine ferme omnes illi ἐνθουσιασταὶ veniunt] pluries promiſſam hic ſubjicio coloniis Dodanenſium, quibus ea ſacra curae fuerunt. Nec enim ea loca intime noſci ſine ſacris hiſce, nec viciſſim haec ſtulta myſteria teneri, non praemiſſâ locorum illorum notitia poſſunt. Ergo ſacra iſta quo primum tempore a diabolo invecta, & quam longe poſtea lateque graſſata, & ſiquid aliud in mentem venerit, ediſſeram. Id etiam ad expiſcandas alias Dardanicas (1) colonias, ſicubi opus, valebit.

§. 1. *Videri ea quinque vocabula magis nominum quam rerum fuiſſe diſcrimina.*

Quandoquidem autem in hoc toto negotio Strabonem ſequi ducem neceſſe eſt, quo nemo plura & meliora de his dedit in ea diſputatione, quam de *Curetibus* lib. X. inſeruit; inde potiſſimum ordiar, unde vir eruditiſſimus ſuae diſſertationi initium fecit. Nimirum hi omnes de quibus dicere inſtitui, ſi Geographum (2) audimus, nomine magis, quam re differunt, aut exilibus differentiis diſtinguuntur. His enim omnibus illud commune fuit, quod eſſent ἐνθουσιασμοί [*furore correpti*] quodque armatam ſaltationem cum cymbalorum, tympanorum, tibiarum, & armorum ſtrepitu exercentes, perterreſacerent homines, uti Strabo ibidem eos deſcribens loquitur. Sane ob eam cauſam Dionyſius lib. II. Romanos Salios eoſdem facit ac Curetes: quod quemadmodum ſit intelligendum, vide in imo (3) adnotatum.

§. 2. *De fonte ſacrorum Cureticorum, & Corybantiorum, deque Idaeis Dactylis.*

Jam illud diſquirendum ſequitur, undenam ſacrorum iſtorum, ἐνθουσιαστικῶν origo arceſſenda ſit, e Dardania ne [quam in hac tractatione ſaepius *Phrygiam* appellabimus, quae vox exoleto *Dardaniae* nomini jamdiu ſucceſſerat] e *Phrygia*, inquam, an ex *Creta*, an demum ex *Samothracia*: inter has enim potiſſimum terras fuiſſe olim diſceptatum de primatu rituum illorum video. Ex harum autem numero haud difficile eſt deme-

se

(1) Verbi cauſa Aetolos, Acarnanas, alioſque ubi lib. X. Strabo inter ſacris Cureticis deditos exemplo affert, nemo dubitare poterit, quin inter Dodanenſium colonias referri debeant, uti dictum ſup. in fine Dardaniae Illyricae. Par de Sabinis in Latio eſto judicium. Nec puto alibi hanc regulam fore inutilem.

(2) Strabo lib. X, pag. 466. varias inter ſe veterum ſcriptorum ſententias de his memorat (τῶν μὲν τὰς αὐτὰς τοῖς Κουρῆσι τοὺς Κορύβαντας, καὶ Καβείρους, καὶ Ἰδαίους Δακτύλους, καὶ Τελχῖνας ἀποφαινόντων· τῶν δὲ συγγενεῖς ἀλλήλων, καὶ μικράς τινας αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς διαστελλόντων) *dum alii eoſdem cum Curetibus ponunt Corybantes, Cabiros, Idaeos Dactylos, Telchines: alii cognatos inter ſe & exilibus diſtinctos differentiis*. Ac alibi Geographus de iis tamquam de ſynonymis loquitur, nec diſſimulat, ea nomina (εἰς ἓν συμφέρεσθαι) *eodem redire*. Pauſanias etiam lib. V. cap. 8. ait, recens natum Jovem ab Rhea matre datum cuſtodiendum (τοῖς Ἰδαίοις Δακτύλοις, καλουμένοις δὲ τοῖς αὐτοῖς τούτοις καὶ Κούρησι) *Idaeis Dactylis, qui Curetes alio nomine appellati*. Diomedes grammaticus dactylum pedem dictum ait: *Ab Idaeis Dactylis, quos Curetas ſive Corybantes poëtae appellant*. Finis non ſit, ſi veterum auctoritates pro iſtorum ſynonymia recitare velim. Ac puto, ſiquid diſcriminis fuit, id magis locorum fuiſſe; veluti qui in Phrygia & Creta *Curetes* dicebantur, ii in Rhodo *Telchines*, in Samothrace *Cabiri* erant. Taceo differentias ceteras a locis profectas.

(3) Mihi ſane non aliud dixiſſe, aut debuiſſe dicere videtur Dionyſius, quam tunc Salios fuiſſe imitatione *Curetas*, quippe horum ſaltationem armatam imitatos. Certe autem ab antiquiſſimis illis Curetibus longe aberant; quia illi re vera ἐνθουσιαστικοί fuiſſe feruntur: at de Saliorum ἐνθουσιασμῷ nihil ſcriptum reperio, excepto quod ii jugi agitatione ceteriſque geſticulationibus ἐνθουσιασμὸν illorum ementiebantur, cum interim ſana mente conſtarent.

re Samothraciam; quae facile priores concedet Phrygiae; ſi vera ſunt ea, quae ſupra ſect. II. de Dardano & Dardania Troica diſſerui. Nam ut e Dardania primum colonos, ſic indidem & ſacra ἱεροποιικὰ Samos Threicia accepit. Ac profecto quam falſum eſt, Dardanum ex Samothracia profectum veniſſe in Troadem (h. e. maris inſcium in continentem ex inſula veniſſe) tam falſum eſt, eumdem ſacra Corybantia ex illa Samo invexiſſe in Dardaniam. Vnus error, uti fit, pertraxit alterum. Res autem contra ſe habuit. Nam Samothrace ex Dardania & Colonos & ſacra ἱεροποιικὰ, imo & *Cabirorum* nomen ex Phrygiae monte ὁμωνύμῳ traxit, ut infra ſuo loco.

Ergo reſtat Phrygium inter Cretamque certamen. In quo [me ſaltem βραβευτῇ] penes Phryges ſine controverſia victoria ſtabit, quia non niſi Dardania Troica mater & princeps nominis ac ſimul ſuperſtitionis omnis Dardanicae fuit. Ergo ſacra Curetica in Troica Dardania a principio reperta, neceſſe eſt. Atque hujus ſententiae Strabo in primis mihi auctor, ac fundus eſt; qui tum Cretenſium narrationes tum & auctores alios teſtes advocat. Nam is in ſua diſceptatione Curetica, quam lib. X. intexuit, poſt plura alia ſic poſuit: Ὁ δὲ τὴν Φορωνίδα γράψας αὐλητὰς καὶ Φρύγας τοὺς Κουρῆτας λέγει. *Auctor Phoronidis* (quem alii Hellanicum, alii Hecataeum fuiſſe volunt) *Curetas iſtos vocat tibicines & Phrygas*. Tum poſt pauca ex ipſorum Cretum hiſtoriis ita ſubjicit: Ἐν δὲ τοῖς Κρητικοῖς λόγοις οἱ Κουρῆτες Διὸς τροφεῖς λέγονται καὶ φύλακες, οὓς ἐκ Φρυγίας μεταπεμφθέντες ὑπὸ τῆς Ῥέας. *In Cretenſibus hiſtoriis Curetes Jovis nutritii atque cuſtodes perhibentur, quos Rhea DE PHRYGIA IN CRETAM arceſſiverit*. An fingi poteſt certius rei hujus documentum confeſſione ipſa Cretenſium?

Adhaec Curetes & Corybantes Matris deum proprie cultores erant: cujus rei Scepſius apud Strabonem, ibidem pag. 473. fidem facit, teſtatus *Curetes & Corybantes* plane eoſdem eſſe, ad cultum Matris deum adſcitos, qui armato tripudio peragebatur. At idem Scepſius ibidem pag. 472. negat in Creta Rheae honores impenſos fuiſſe, ſed tantum in Phrygia ſeu Troade. Ac ſimul addit, ſiqui fuerunt, qui Curetica & Corybantia ſacra Cretae attribuerint, eos locorum ὁμωνυμίᾳ [*ambiguitate*] falſos; plura enim loca [quae ibidem enumerantur: de quibus vide, ubi de Creta] eiſdem nominibus apud Cretenſes perinde atque in Phrygia vocari. Atque haec peculiariter de Curetibus & Corybantibus, quod ſint Dardanicae originis.

Quid *Idaei Dactyli*? annon ii peculiares fuere Phrygiae? Ita ſane; quia Idaeos ab *Ida* non Cretica ſed Troica traxiſſe nomen, antiqui diſerte teſtantur. In his Strabo pag. 473. ait ſic appellatos, τοὺς πρώτους οἰκήτορας τῆς κατὰ τὴν Ἴδην ὑπωρείας, *primos habitatores radicum Idae montis*: quo loco Idam non Creticam [quae πόδας, de quibus mox ſequitur, non habebat] ſed Phrygiam, tum ipſe Strabo intelligit, tum & Diodorus. Porro autem ex eo quod Idae ὑπωρείας vocarent πόδας, hinc a *pedum digitis* factum Strabo addit, ut illi *Idaei* ac ſimul *Dactyli* vocarentur. Nugae. Etſi autem etymologiam illam a digitis Strabo non magni facit; at interim illud eſt veriſſimum, exiſtimaſſe antiquos, eorum ſedem fuiſſe Idam Phrygiacam; alioqui inde non arceſſiſſent cauſam, cur *Idaei*, itemque *Dactyli* vocarentur. Tum idem paucis interjectis ait, etſi aliqui dubitaverint, utrum indigenae, an inquilini Idae Troicae fuerint; at id inter omnes conveniſſe, eos & cultores Matris Deum fuiſſe, & circa Idam Phrygiae h.e. (4) Troadis habuiſſe ſedes, teſtatur. Horum autem ἐκγόνους [*poſteros*] fuiſſe eos qui vocati ſunt *Curetes* & *Corybantes*, ad extremum addit: plane ut intelligas, quod modo dicebam, *Curetes* & *Corybantes* & *Idaeos Dactylos* rem eſſe Phrygiam ſive Troicam. Paene illud praeterieram, quod Auctor Phoronidis Idaeos Dactylos diſerte Phryges facit: Ἰδαῖοι Φρύγες ἄνδρες &c. *Idaei Phrygii generis*. Ceteros hujus poëtae verſus vide apud Apollonii Scholiaſten.

Poſtremo Diodorus lib. V. etſi modo dictis videbatur incommodus, ubi Idaeos Dactylos

(4) Qui locus eſt valde illuſtris in hoc negotio, quia ubi Geographus pag. 473. apud omnes convenire dixiſſet, Idaeos Dactylos fuiſſe tum cultores Magnae Matris tum circa Idam Phrygiae habitaſſe; mox rationem reddit, cur *Phrygiam* magis quam *Troadem* eam appellaverint, in hunc modum: Φρυγίαν τὴν Τρωάδα καλοῦντες, διὰ τὸ τοὺς Φρύγας ἐπικρατῆσαι πλησιοχώρους ὄντας, τῆς Τροίας ἐκπεπορθημένης. *Cum quidem Phrygiae nomine Troadem intelligerent; quia vicini Phryges poſt Troiae vaſtationem occupaſſent regionem*. Hoc ſemel notaſſe hic ſatis, ne cogar ad nauſeam repetere iſtud: *Dardaniam, quae poſtea Phrygia, aut Phrygiam quae Dardania fuerat*.

ctylos Cretae vindicat ; tamen turpiter in Geographia labitur , & interim errore ſuo verae Idaeorum ex Troica Ida origini ſuffragatur . Ait enim Idaeos in Berecynto Cretae monte natos, cum contra Berecyntus non Cretae, ſed Phrygiae Troicae mons fuerit . Vide Siculi locum .

§. 3. *De CABIRIS atque TELCHINIBUS*.

Reſtat de CABIRIS & TELCHINIBUS differendum . Verum de poſterioribus ſatis dictum ſupra , ubi de Rhodo . At Cabiros , quia a plerisque peculiares Samothracum creduntur , ajo negare Scepſium apud Strabonem (ibidem pag. 472.) *id Samothracum myſticis narrationibus contineri* ; id enim ſonant ea verba , ὡς μηδενὸς ἐν Σαμοθρᾴκῃ μυστικοῦ λόγου περὶ Καβείρων λεγομένου . Qui Scepſius mox eo labitur ut ex Steſimbroti Thaſii ſententia dicat , vocari *Cabiros* ἀπὸ τοῦ ὄρους τοῦ ἐν Βερεκυντίᾳ Καβείρου , *a monte Berecyntiae Cabiro* . Idem & Apollonii Scholiaſtes prodidit : ἀπὸ Καβείρων , inquit , τῶν κατὰ Φρυγίαν ὀρῶν , *a Cabiris Phrygiae montibus* . Nec eſt , cur viri docti de hac etymologia dubitent : etſi iſtorum *Cabirorum* (tum qua myſtarum , tum qua montis nomen eſt) alia eſt ulterior originatio ex Oriente petenda , de qua in fine Appendicis hujus .

Atque ex huc uſque dictis , ſatis arbitror intelligi, fontem ſacrorum iſtorum fuiſſe Dardaniam ; quae proinde ſacra *Berecyntia* [*Berecyntes* autem non alii erant, auctore Geographo , quam qui circa Idam Troicam conſederant] vulgo dicebantur , & ſacra *Phrygia*.

§. 4. *Cureticas caeremonias videri Dodanim ſive DARDANOS a Colchis hauſiſſe , ac ſecum in appellatam a ſe Dardaniam detuliſſe* .

Jam vero ſi quaeras unde in Dardaniam haec ſacra immigraverint ; Strabo quidem ex aliquorum ſententia teſtificatur , ſive ex *Bactriana* ſive ex *Colchide* Corybantes primum veniſſe in Phrygiam . Fallor ? an hi idcirco ex illis locis Corybantes ſive Curetes acceſſiverunt , quod inaudiſſent , primos Dardaniae incolas , tum τοὺς *Dodanim* , indidem eſſe profectos ? Audierant certe veterem Japhetidarum patriam fuiſſe Aſiae τὰ βόρεια [*boreas regiones*] ; hinc ſcitiſſime Dardanos , unaque Corybantes , & totum Dodanicum genus ex Colchide [nam id magis (5) amplector] adſciverunt . Nec plane , qui ſic putarunt , a ſcopo aberrabant , modo Colchidem , ambitu latiore ſumamus , ita ut etiam finitimos *Chalybas* ea complectatur . Nam ſicuti Chalybum pars aliquando Armeniae contributa fuit teſte (6) Strabone : ſic & pars altera videtur in Colchide recenſita : Quidquid vero tandem hujus rei ſit ; in Chalybas certe Curetici characteres omnes pulchre conveniunt , tum ars ferraria (7) atque aeraria , tum ὀρχή-

---

(5) Vide ſuperiore Libello , ubi de communi Japhetidarum patria , quae aut Armenia , ubi Arca conſederat , aut prope Armeniam certe fuit. At Bactriana mirum quantum ab ea remotior. Colchis multo vicinior , ac prope contermina , praeſertim ſi late accipiatur . Itaque non morabor , quin οἱ Dodanim ex Colchide late uſurpata egreſſi fuerint . Accedit , quod Colchis & vicinus omnis ad Boream tractus in Japhetidarum ſorte permanſit : in quibus locis Magog , Tubal , Moſoc metati fuerunt . Itaque ſinamus, Colchidem late ſumptam Dodanenſium , unaque totius Curetici generis coloniam primam haberi. Cum autem Colchidem late ſumptam dico , eo ambitu etiam Chalybum regionem complector : qui Chalybes inter Colchos , & Armeniam [ſub qua Chalybum pars aliquando cenſa fuit , teſte Strabone] habitabant . Iidem vero primi ferrum & artem ferrariam mortalibus oſtenderunt , & ceteros Cureticos characteres praeſeferunt , uti mox ſigillatim demonſtrabitur .

(6) Strabo lib. XI. ad finem pag. 528. ſcribit, aevo Antiochi Magni reg. Syriae τὴν Παρυάδρην [Salmaſius mavult Καρηνῖτιν] & Ξερξήνην , Chalybum & Moſynoecorum partes Armeniae contributas fuiſſe . Et Ponticarum regionum diverſam pro diverſis temporibus fuiſſe diſpoſitionem, non eſt dubium . Itaque non eſt difficile , Chalybas aliquando ex una ſui parte cum Colchis ſive recenſitos ſive errore confuſos , ex altera vero cum Armenia : quam Armeniam communem Noachidarum ſtationem , ante μετανάστασιν , fuiſſe , non ſemel admonui .

(7) Ferrum & artem ferrariam & aerariam a Chalybibus primum monſtrata fuiſſe, & CHALYBIS nomen & antiquitas, teſtatur . Vide tota ſcriptorum veterum loca , quae collegit Bocharti ſedulitas Geogr. ſac. III. 12. pag. 182. ſeq. Qui plures potuiſſet laudare , atque in iis Plinium VII. 56. ubi de rerum inventoribus . Ibi ferrum ab *Idaeis Dactylis* ex Heſiodo repertum narrat , & *aerariam fabricam* [ſub qua non tantum aeris ſed & ferri opificium continetur] a Chalybibus . Verum Idaei Dactyli , Curetes , & ceteri hujus generis , ad Chalybes erant referendi (quippe ab eorum terra initio profecti) non ab iis ſecernendi , ſi recte judico .

σις (8) *ἐνόπλιος* i. e. *armatum tripudium*, tum poſtremo quod Chalybes aeque ac Curetes praelongis (9) haſtis dextras armarent. Itaque mihi non eſt dubium, quin ex Chalybum terra, ſeu ex Colchide late ſumpta, τὰ Κουρητικὰ primitus fluxerint.

At iniquus lectori ſim, niſi verba ipſa Geographi pro Curetum origine Colchica attulero. Is lib. X. in eadem diſputatione Curetica pag. 472. ſic ſcripſit: Οἱ δ' ὑπὸ Τιτάνων Ῥέᾳ δοθῆναι προπόλους ἐνόπλους τοὺς Κορύβαντας ἐκ τῆς Βακτριανῆς ἀφιγμένους· οἱ δ' ἐκ Κόλχων φασίν. *Alii a Titanibus Rheae datos famulos armatos Corybantes, ex Bactriana profectos, ajunt; alii ex Colchide*. Rheam hanc non aliam eſſe ſcimus, quam Matrem Deûm, quae & Berecyntia, & Dea Phrygia, & Idaea, & Cybele, & μυριώνυμος prope fuit: cui quoque ſcimus eos ſive Corybantes, ſive Idaeos Dactylos, ſive Curetes fuiſſe famulatos. *Rheam* quidem antiqui voluerunt eſſe terram. Optime: nam terra Chaldaeis ארעא *area* dicitur; unde priore *Aleph* diſperdito, factum eſt *Rheae* nomen; ut in Tyrrhenicis (ubi de *Oenarea* ſive *Volaterris*) demonſtravi. At vero *Titanes* qui alii ſunt, quam ipſi *Dodanim*? qui pro dialecti varietate, modo (O in A converſo, & inſerto R; utrumque Chaldaice.) *Dardani*; modo (*Vau* in *Jod*, & D in Γ tranſeunte; quod ſollemne Tyrrhenis fuit) *Titanes* audierunt. At id quoque apud poſteros ignaros linguarum Orientis valuit, ut quae dialecto tantum differrent, ea nomina rerum diverſarum crederent; cum revera *Titanes* non alii a *Dardanis* eſſent, utrique vero iidem ac Moſaici *Dodanim*. Vides, ex hoc uno Geographi loco, ſi recte intelligatur, Corybantum ſeu Curetum veram originem, unaque ipſorum Dardanorum, ex ultimo ſeptemtrione eſſe petendam.

Tandem ex eodem Geographi teſtimonio, ita ut a nobis expoſitum fuit, licebit conjicere, quem maxime curſum in expeditione ſua Dodanim tenuerint. Nimirum οἱ Dodanim (qui poſtea modo *Titanes*, modo *Dardani*, modo aliis atque aliis nominibus pro locorum, dialectorumque ac temporum diverſitate donati fuerunt) Dodanim, inquam, unaque Curetes prima excurſione ex communi patria h. e. ex Armenia, in finitimam Chalybum terram ac Ponticas regiones ſe diffuderunt, ibique aliquamdiu haeſerunt. Mox ſive creſcente juventute, ſive quia eadem ſimul loca ab aliis etiam Japhetidis occupata fuerant, exoneranda per colonias multitudo fuit. Itaque per Ponti Euxini oram maritimam eo tandem delati ſunt, ubi poſt eorum adventum Troica *Dardania* fuit, a Dodanim (aliter *Dordanim*, ut ſaepe dixi) accepto nomine. Poſtremo ſtatim ac peritiam nauticam calluerunt, tum Samothraces, tum aliarum regionum maritimarum (uti ſupra demonſtravi) ſenſim potiti fuerunt. Vides ut haec, quae Curetum originem primam oſtendunt, eadem ſimul & Dodanicae expeditionis curſum tamquam intento digito monſtrent.

S E C T I O II.

ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΚΗ *ſive interpretatio ſingulorum nominum Cureticorum*.

Ac de Curetum origine prima ſatis. Sequitur, ut eorumdem nomina interpreter, id vero non per frigidas etymologias, quales antiqui (quippe ex Hebraiſmi ignoratione, omnia rati ex Graeco fonte cadere) nobis traditas reliquerunt; ſed ex intimo Oriente petitas, ac rebus ipſis conſentaneas. Ex quibus major ut dictis lux affundatur, futurum ſpero.

§. I. *Curetum etymologia*.

Ordiar a CVRETIBVS; quorum nomen magis eſt pervagatum, ac ſic tamquam commune omnibus uſurpatur. Graecos ſi audimus, ſi plures de ſuo peculio etymologias obtrudent, quas qui noſſe cupit, adeat Strabonem lib. X. ubi de Curetibus Aetoliae incolis,

(8) Xenophon lib. IV. Exped. Cyri (pag 338. B.) *Chalybas* refert fuiſſe omnium fortiſſimos, quicumque viſi a Cyro fuiſſent. Horum arma ita deſcribuntur, ut plura ſimilia cum Cureticis armis (h. e. Saliaribus, ex Dionyſii ſententia lib. 2.) fuerint. Sed illud plane ſimillimum, quod utrique armata ſaltatione delectabantur. Xenophon ibid. Καὶ ᾖδον, καὶ ἐχόρευον, ὁπότε οἱ πολέμιοι ὄψεσθαι αὐτοὺς ἔμελλον. Quae perverſe tranſlata ab interprete, ſic verti debent: *Cantare & ſaltare ſollemne habent tum maxime, cum in conſpectu hoſtium ſunt*.

(9) Idem Xenophon ibidem haſtas quindecim cubitorum, Chalybum praecipua arma fuiſſe docet in haec verba: εἶχον δὲ καὶ δόρυ ὡς πεντεκαίδεκα πηχῶν, μίαν λόγχην ἔχον. *Gerebant & haſtas quindenûm cubitûm, mucrone uno praefixas*. Mitto quod ſicut Dionyſius lib. 2. Saliis h. e. Curetibus ἐγχειρίδιον tribuit, ſic Chalybibus Xenophon μαχαίριον: utriſque ex zona id dependebat.

colis, & alios. At illa profecto minus videtur inepta ceteris, quam & Dionyſius (lib. 2. ubi de *Saliis*) ſequitur (ajens Curetes a Graecis ſic dictos) quaſi κούρους i. e. *juvenes*; & a Geographo ibidem tantum leviter indicatam, proderit juvare & illuſtriorem reddere ex his maxime Homeri verſibus,

> Κρινάμενος Κυρῆτας ἀριστῆας παναχαιῶν,
> Δῶρα θεῆς παρὰ νηὸς ἐνεγκεῖν ὅσσ' Ἀχιλῆϊ
> Χθιζὸν ὑπέστημεν.
> *Delige praeſtantes cunctis Curetas Achivis,*
> *Pelidae de nave citâ qui munera portent,*
> *Heſterno promiſſa die.*

Et turſus ex illo: Δῶρα φέρον Κυρῆτες Ἀχαιοί, *Dona ſerunt Curetes Achivi*. Ex his inquam apparet, Κυρήτων nomen apud Poëtam appellativâ notione pro κούροις ſeu νέοις h. e. *juvenibus* accipi. Quare ſicuti apud Graecos νέοι, & apud Latinos IVVENES erat militaris juventutis appellatio, ex eo nata, quod non alii quam juvenes ad militiam nomina dabant; ſic credendum eſt, Κυρήτων vocabulum eamdem proprie habuiſſe vim; nec ob aliam cauſam fort. eam vocem de famulis Matris Deûm fuiſſe uſurpatam, quam quia hi ſimul cultores illius deae, ſimul etiam στρατιωτικόν τι σύστημα [*militare corpus*] eſſent, aut ſaltem initio fuiſſent: quo ſane pertinet & ἐνόπλιος ὄρχησις (*tripudium armatum*) horum peculiaris exercitatio. Atque haec quidem de Graeco derivatio evadet probabilior, ubi intellexerimus, alterum horum ſynonymon CORYBANTES Orientali ſermone *militum* aut *bellatorum* notionem complecti; ſive prima littera ſit *Chet* ſive potiſſimum ſit *Koph*: de quo mox in ea ipſa voce.

Nunc age videamus, num ipſum *Curetum* nomen ex Oriente petitum, poſſit etiam *militem* notare. Poteſt quidem. Dionyſius lib. 2. ubi Salios aliud non fuiſſe ſtatuit, quam Graecorum Curetes, paria ab utriſque arma geſtari animadvertit. Itaque Salios [qui, ut modó dixi, iidem qui *Curetes*] manu dextera λόγχην, ἢ ῥάβδον, ἤ τι τοιοῦθ' ἕτερον i. e. *haſtile cuſpidatum, aut contum, aut tale aliud* geſtaſſe tradit. Vbi tam ῥάβδος quam λόγχη ſunt *haſtae* vocabula: ſed hoc intereſt, quod ῥάβδος eſt haſta pura, λόγχη vero eſt haſta mucronata, quae *lancea* dicitur. Equidem non dubito, quin illud quod dextra gerebant, haſta fuerit. Ea Tyrrhenis & Sabinis *Kuris* dicebatur vocabulo Hebraico [30] Chaldaicoque de quibus egi in Tyrrhenicis originibus ineditis Diatr. VIII. § 2. unde plura transfuſa cernes in additis ad Voſſian. Etymol. in voce CVRETIS. Nam & Juno Faliſcorum quia haſtata erat, *Curetis* vocabatur. Nec alia de cauſa hi noſtri Curetes (h. e. Deae Phrygiae cultores iidemque cuſtodes & veluti praetoriani milites) ſic vocabantur, quam quia inter arma cetera etiam haſtam illam, CVRIN dictam, manu tenebant. Sane etiam dii Penates, qui ex Dardania allati fuerant, juvenes haſtati erant, teſte Dionyſio (ut alibi pluries admonui) eâque de cauſa dii Penates iidem qui *Curetes* putantur. Et haec originatio veriſſima: ex cujus ignoratione antiqui ad Graecanicas etymologias animum applicuerunt.

Adhaec *Curetum* vox non tantum miniſtros ſacrorum itemque milites notat, verum etiam nomen eſt gentile populorum. Vide Strabonem de Curetibus, quatenus populi ſunt, lib. X. proxime ante Diſputationem Cureticam. Quo loco oſtendit, primos habitatores ejus terrae, quae poſtea Aetolia ab Aetolis colonis dicta fuit, extitiſſe Curetes; quemadmodum primi Rhodi coloni fuerunt Telchines, quod eſt unum ex Curetum ſynonymis. Atque ibidem Geographus dubitat, utrum ex Creta, an ex Euboea, an aliunde illuc immigrarint: tamen credibilius eſt, ex Dardania Troica communi Curetum ὁμωνυμίᾳ, eo veniſſe. Hos mox ex Aetolia pulſos, tum in Acarnaniam, tum alio ſe contuliſſe, Geographus tradit. Adhaec etiam in Palaeſtinae maritimo latere כרתי *Ceret* i. e. Curetes, inter Philiſtaeos conſediſſe in pluribus libror. Regum locis perhibentur, de quibus copioſe Sectionis ſextae initio [ubi de Creta] diſſerui. Ceterum Philiſtaeorum illi *Ceretim* h. e. *Curetes* mihi videntur circa Saulica tempora aut ex Creta, aut undelibet in Palaeſtinam immigraſſe; eoque non reperitur eorum in Sacris libris mentio antiquior Saulis & Davidis temporibus 1. Sam. XXX. 14. En igitur praeter Curetum notiones duas [militarem unam, ἱερουργικὴν alteram] etiam *gentilem* tertiam, qua populus τῶν *Ceretim* deſignatur.

Nunc id danda eſt opera, ſi quo pacto eae tres notiones in unum coire poſſint, aut ſic ſaltem conciliari, tamquam ex uno fonte profectae. Id vero ſic concipi poteſt, ut primaria

(30) Apud Chaldaeos קר *kur* eſt telae vocabulum: unde Chald. קורים *kurim* eſt texentium liciatorium, quod haſtae ſimile fuiſſe, ex pluribus Scripturarum locis intelligitur. Confer dicta in *Curetis* inter nupera ad Etymolog. Voſſian. additamenta.

maria vocis ejus notio, & fons ceterarum, ea fuerit, ut populum quemdam ſignificaret; ita ut ubicumque *Curetes* audiuntur, ibi gens Curetum intelligatur. Fuerunt autem primitus in Dardania, deinde tum in aliis pluribus locis, tum potiſſimum in Creta, quae inſula dicta prius *Caphtor*, poſtea ab his Curetibus ſibi nomen quaeſivit; quia *Curetes*, abſorpta primore vocali, Κρῆτες evadunt; quomodo LXX verterunt τοὺς *Cerethi* Biblicos, ut ſupra dictum.

Altera eſt notio tum bellica tum etiam λειτουργικὴ; h. e. ad apparituram pertinens. Hi enim non alia de cauſa haſtati procedebant, & ab ea *haſta* (quae קור *Kur* Chaldaeis, *Curis* Sabinis quia Dodanenſis originis, vocabatur) ſibi nomen quaerebant, quam quia & ad bella valebant, & ad apparendum tum diis, tum etiam principibus ſtrenui. Hinc ex eo genere utpote fide & viribus praecellenti milites (11) praetorianos [qui *Cerethi* & *Phelethi* vocabantur] in corporis protectores deligebant ſibi Judaeae reges, ut ante dictum Sect. VI. in *Creta* non longe ab initio, ubi de *Cerethi* & *Phelethi* diſſerui. Itaque ſicut hodie in palatiis principum Helvetii plerumque (utpote exteri, & expertae fidei) in ſtipatores corporis deliguntur, idem credo & in Curetibus uſuveniſſe. Eos in protectorum militiam fuiſſe olim adlectos, declarant illi כרתי *Cerethi* i. e. *Curetes*, quos aliquando ex Creta arceſſitos David ſui corporis cuſtodes habebat: quod & diu poſt Davidem fuiſſe factitatum, ſacra hiſtoria docet. At apud gentiles iidem Curetes & Deae Phrygiae, & Jovi (credo & aliis numinibus) tribuuntur; tum ut πρόπολοι h. e. miniſtri & aeditui, tum etiam ut cuſtodes, ut protectores, ad ſummam, ut propugnatores: id quod & arma oſtendunt, quae ferebant, & ὄχυρις ὅπλοις. Atque ea, niſi vehementer fallor, veriſſima mihi videtur *Curetum* notio; quae, uti ſpero, lucem tum Scripturis Divinis, tum & veteri profanae hiſtoriae affundet.

§. II. CORYBANTVM & CABIRORVM *originatio*.

His proximi ſunt CORYBANTES, quod nomen modo dixi eſſe Curetum συνώνυμον. Nam ſi fingas primam ejus vocis litteram fuiſſe *Cheth*, potuerit eſſe a חרת *chereth*, quod *enſem* Hebr. ſignificat, ſicut & in Chald. Syroque. Ab eadem vero radice apud Arabes plura nomina fiunt ſignificantia *bellatorem*, *militem*, *arma* & alia eodem pertinentia. Verum ſatius eſt credere, *Corybantes* derivari a rad. cujus prima ſit *Koph*. Nam Hebr. קרב *Karab* eſt *pugnare*; ſicuti Hebr. & Chald. קרב *Kerab* eſt *praelium*, itemque Syr. קרבא *Korbo* ejusdem notionis: apud quos Syros plura ſunt alia indidem derivata, ad rem bellicam pertinentia. Et in hac quidem etymologia conquieſcimus. Ceterum ſi prima radicis fuerit *Caph*; vel ſic Syr. כרובא *cherubo*, *fortem* ſignificat. Quid quod כרובותא *cherubuto* eisdem Syris notat *formatorem imaginum*. Haec ultima ſi vera originatio fuerit; licebit hinc colligere, Corybantes primos omnium *idola* formaſſe: id quod de Telchinibus (qui de genere Curetum & Corybantum erant) antiqui docuerunt: de quo in *Rhodo* dixi.

Jam vero de CABIRIS parum eſt laborandum. Quod poterat quidem a חבר *chaber* deduci, quod notat *ſocium*, *ſodalem*; quaſi Cabirorum *ſodalitas* deſignetur, ſatis uſitata vox in miniſtris ſacrorum. Verum praeſtat etymologiam a viris doctis jam pridem traditam ſequi, ut ſit ipſiſſimum Hebraicum כביר *cabbir*, i. e. *validus*, *fortis*: quod apprime *Cabiris* conveniet, ſive qua militares viri fuerint (id quod de Curetibus & Corybantibus oſtenſum fuit) ſive qua heroes divinis honoribus conſecrati, qui, quod jam plures obſervarunt, *divi potes*, & θεοὶ μεγάλοι, Latinis *Magni Dii* vocabantur. Qua ſignificatione retenta, potuiſſet eadem vox etiam ab Hebr. גבר *gabar* deduci, quod eſt *praevalere*, *fortem*, *robuſtum eſſe*: unde גבור *gibbor* h. e. *potens*, *validus*, *violentus*, *gigas*: & plura porro ab eodem themate Hebraica, Chaldaea, Syra, Arabica fiunt vocabula eodem ſpectantia.

§. III. IDAEI DACTYLI & TELCHINES *unde*.

Ac tria haec, de quibus hactenus dictum, nomina eamdem fere notionem praeſeferunt militarem. Sequitur biga vocabulorum ſynonymorum (ea ſunt *Idaei Dactyli*, & *Telchines*) quae ſignificationem longe diverſam imbibunt, ſed eorum indoli apprime conſentaneam.

(11) Cum כרתי *Cerethi* in pluribus Hiſtoriae Sacrae locis jungitur altera vox פלתי *Phelethi*; quorum ut illud *haſtatos* milites notat (quod ceteroqui erat & populi nomen) ita hoc, ut opinor, *ſquamatos*: nam Chald. פלותא *phallata* ſignificat *ſquamam*. Niſi ſint Philiſtaeorum genus, dempto *Shin*.

neam. Ac primum de Idaeis Dactylis, cur ita dicti ſint, has apud antiquos putidiuſculas cauſas reperio, *Idaeos* quidem eſſe appellatos ab Ida monte, quem incolerent, *Dactylos* vero, quod in ejus montis procurrentibus circa collibus, quos πρόποδας aut πόδας i. e. *pedes* vocant, inſediſſent (nempe a pedum digitis; quid frigidius?), aut vero quod decem numero fuiſſent, quot in homine digiti; quamquam de Idaeorum numero parum conſtat. Mitto quod Idaeos Dactylos dictos vult Etymologus διὰ τὸ διδάξαι? fort. quod artificia plura mortales docuerint. Verum iſta quidem referre piget. Nunc illa videamus, quae de Idaeis Dactylis certa ſunt. *In hoc conſentiunt* (ait Geographus ad finem digreſſionis Cureticae lib. X. pag. 473.) *primum ab iis ſub Ida ferrum eſſe fabricatum: ab omnibus etiam praeſtigiatores* [γόητας] *eſſe creditos* . . . *& in Phrygia circa Idam habitaſſe; Phrygiae nomine Troadem intelligentes, quam Phryges vicini poſt Troicam cladem occuparunt. Suſpicantur etiam Idaeorum Dactylorum poſteros eſſe Curetes & Corybantes*. Auctor Phoronidis apud Apollonii interpretem ad lib. I. verſu 1129. de eisdem ſic habet:

> Οἱ πρῶτοι τέχνην πολυμήτιος Ἡφαίστοιο
> Εὗρον ἐν οὐρείῃσι νάπαις, ἰόεντα σίδηρον
> Ἐς πῦρ τ' ἤνεγκαν, καὶ ἀριπρεπὲς ἔργον ἔδειξαν.
> *Vulcani qui primum artes reperire ſagacis*
> *Montanos circa ſaltus, ferrique venenum*
> *Artifici igne ſuos potuere excudere in uſus.*

Nec res ulla tritior eſt apud antiquos, quam non modo ferrum, ſed & aes, reperta ſimul & fabricata ab Idaeis Dactylis fuiſſe. Hoc ipſum de Telchinibus antiqui narrarunt; quibus ferri & aeris fabrica & praeſtigiae, & cetera eadem, quae Idaeis Dactylis, tribuuntur. Ac *Telchines* quidem Bochartus a לחש *lachas*, quod eſt *incantare*, ἐπαοιδεῖν. Non male ille quidem: ſed tamen ut fatear, Telchinum, ſicuti & Idaeorum Dactylorum γοητεία (*praeſtigiatrix ars*), non alia revera fuit, quam quod per aeris & ferri fabricam ab ſe inventam, & artificii ſui excellentiam in ſimulacris conflandis (de quibus egi in *Rhodo*) admirationem concivissent, atque omnium oculos in ſe convertiſſent. Ergo eo convertenda eſt ἐτυμολογικὴ induſtria, ac videndum ſiquo modo artis Vulcaniae ſignificantia in *Telchinum* nomine lateat. Mitto quod ea vox poſſit eſſe a Syro טלק *telak*, quod eſt *excellere*; quia artium excellentiam in Telchinibus magnopere extollit Strabo, ubi de Rhodo, & alii. Nam magis eſt, ut ſit a Chald. דלח *delach*, quod eſt *pavere*; nempe quia primi ſimulacra fecerunt, quae מפלצת *miphletſeth* i. e. *terriculum* Hebraeis dicebantur, ſive, ut ajunt, quia terrorem incuterent, ſive potius meo judicio, quia ut ille ait, *Primus in orbe deos fecit timor*. Poſtremo vera *Telchinum* originatio erit ab Hebr. דלק *dalak* (mutata tenui in mediam) quod eſt *ardere*, *ſuccendi*, *candeſcere*. Eadem ſignificatione tum Chaldaei [qui in Iſaia V. 11. de plumbo utuntur, ubi *ſuccenditur* ad liquefaciendum] tum Syri uſurpant, apud quos plura ſunt nomina ejusdem intellectus. Ergo non eſt dubium, quin ab ardore camini, aeris & ferri mulcendi cauſâ, *Telchines* dicti fuerint potius, quam unde Graeci (12) eam vocem petunt. Illud vero pulchrum ſcitu eſt, quod eosdem *Telchines*, teſte Strabone & aliis, nonnulli quidem uti invidos, noxioſque & inſectatores traduxerunt; doctiores alii contra eos aliorum in ſe invidiam & inſectationes ſuſtinuiſſe docuerunt. Confer omnino, quae de his, ubi de Rhodo, dicta fuerunt. Utraque vero fama ex ambiguitate verbi דלק *dalak* haud dubie manavit. Nam vera *Telchinum* etymologia ab eo verbo petebatur, quatenus eſt *candeſcere*. At idem verbum etiam *inſectari* ſignificat. Hinc ſecutis aetatibus alii illos, ut inſectatores taxarunt, alii ut inſectationem paſſos, ac tandem

---

(12) Graeci quidem grammatici Telchines, quaſi Θελγῖνας *Thelgines* (vide Θελγῖνες in Heſychio) dictos volunt a θέλγω *mulceo*. Quod verbum quia ferme de incantatoribus uſurpatur; hinc credo ortam fuiſſe fabellam, quia Telchinum γοητεία traducitur. Non praeter ſolitum id Graeci faciunt, quibus quoties in barbaris vocibus ex Graeco derivandis aqua haeret, vocem μεταχαρακτηρίζουσι, ut pro Τελχῖνες, Θελγῖνες dicant, ac ſimul fabulas etymologiis fulciendis ſtruant. Quamquam ſi oſtendi poſſet, quemadmodum Latinis *Mulceo* peculiare eſt officinae aerariae verbum, unde *Mulciber* eſt ipſe Deus artis hujus, ſic verbum θέλγω eadem primaria ſignificatione potiri, darem manus: ſed hactenus, modo ipſum θέλγω ſit ab Heb. דלק *dalak*. Sed non eſt dubitandum, quin *Telchinum* nomen recto itinere ab Orientali verbo, quod modo adſcripſi, manaverit [tantum D in T verſo Tyrrhenorum in morem]: nam ceteroqui de Graecis etymologiis ineptum eſt cogitare; quia quando coeperunt Telchines eſſe, nondum Hellenica lingua uſquam in uſu fuerat, imo nec coeperat coaleſcere.

dem exactos ex inſula Rhodo ajunt. Sic habet Telchinum etymologia.

At pulchrior IDAEORVM DACTYLORVM originatio eſt; quorum nomen idem plane notabat ſermone Orientis, quod vox *Telchines*. Ne quemquam morer; Chald. & Syr. דקל *dekal* eſt *fervere*, *ebullire*, eſtque verbum officinae aerariae proprium, unde etiam Chaldaeis דיקולא *dikula* eſt *ebullitio*, & דקולא *dikkula* eſt *ahenum*, *olla*. Atque equidem quovis pignore contenderim, antiquiſſimum iſtorum nomen fuiſſe ידעי דיקולא *Idee Dikkula*, id quod Chaldaice ſignificat *ſcientes* ſeu peritos *ebullitionis* h. e. artis aerariae. Sciendum eſt autem, me quidem duas illas voces Chaldaicas ita Latinis characteribus expreſſiſſe, ſicuti nunc poſt addita puncta efferuntur. At aliter olim proferebantur: prior enim vox pronuntiabatur *Idee*; quia *Jod* per ſe ſonabat, non opus habens alia vocali adſcita: poſterius vero nomen efferebatur per A, ut eſſet *Dakkula*. Ergo, uti dixi, vetus illorum nomen, quod ex Oriente attulerunt, erat *Idee-Dakkula*. At vero Graeci, quibus ea biga vocum nihil ſonaret, priorem dictionem in Ἰδαῖος (tamquam ab *Ida* monte) verterunt: ex poſteriore vero *Dakkula* fecere δάκτυλος [*Dactulos*] crucem lectori figentes, ecquid per duas has voculas, quamvis Graeco ornatu veſtitas, ſignare (13) voluerint. Et credo equidem, Graecorum antiquiſſimos & Chaldaice non ignaros, accepiſſe per has voces (*Idee dactula*) artem mulcendi metalla: at poſteriores rem aliorſum detorſiſſe. Ac ſimilis μετασχηματισμὸς (*transfiguratio nominis*) in *Dicto* accidit, Curetici montis vocabulo, de quo pauca in [14] imo adſcripſi.

Ergo, uti dicebam, *Idee-dakkula* [h. e. *periti artis aerariae*] ii initio dicti fuere: at Graeci deinde ex linguae primitivae ignoratione vocem quidem Ἰδαῖος ita concinnarunt, quaſi ſi ab *Ida* monte dicti fuiſſent: qui certe non alio conſilio in ea voce diphthongum adhibuerunt, quam quia putarunt ab *Ida* eſſe deflexum; a quo ἀναλογικῶς fit Ἰδαῖος. In *Dactylorum* vero nomine quia aqua haerebat, putidas, quas docti afferunt, nominis cauſas excogitarunt, a quibus narrandis utpote abſurdis abſtineo. Sed tamen recte eſt, quod in ea appellatione Graeci (quamvis nihil ſibi non licere ſinentes) numquam tamen conſtructionis ordinem ita perverterunt, ut dicerent Δακτύλους Ἰδαίους (per ſpeciem ſcil. quod ordo naturalis juberet nomen ſubſtantivum, quod baſis eſt, adjectivo praeire) ſemper autem *Idaeos Dactylos*, quaſi loquentes praepoſtere uſurparunt. Quid ita Graeci omnes Latinique fecerunt? niſi quia ex remota uſque antiquitate ab Oriente didicerant, τὸ *Idaeus* (quod nunc pro adjectivo ex Ida derivato habetur) re vera non adjectivum eſſe nomen, ſed *Benoni* participium, quod caſum poſt ſe regit; ac genuinam antiquitus nomenclaturam fuiſſe *Idee Dakkula*, h. e. *periti ebullitionis* metallorum. Apud Orientales enim quod regitur regenti praeponere, eſt ὕστερον πρότερον raro ferendum, maxime autem in participii *Benoni* conſtructione.

Atque hactenus ſunt veriſſimae *Idaeorum Dactylorum* etymologiae itemque *Telchinum* originatio.

Rogatos autem aequos lectores velim, ut hanc juſto longiorem de *Curetibus*, *Corybantibus*, *Cabiris*, *Idaeis Dactylis*, *Telchinibus* digreſſionem, ne ſupervacaneam exiſtiment. Nam cum res ipſae per ſeſe erant dignae, quas hac qualicumque opera illuſtriores facerem; tum etiam non tantum Heroicae Hiſtoriae, ſed & interdum Scripturis ſacris, atque coloniis Dodanenſibus, mirificam lucem affundent. Ex dictis enim facile licebit ſuſpicari, ubicumque terrarum *Curetes*

(& qui

---

[13] Vulgo arbitrantur, palmae *dactylos* [quas vocant palmulas] ſic dictos a digitorum ſimilitudine, qui Graecis δάκτυλοι appellantur. Quid ſi res contra ſe habeat? nimirum a Chaldaeo *Daccula* (qua *dactylum* ſive *palmulam* ſignificat) prius factum eſt nomen Δάκτυλος pro palmae fructu: deinde quia digiti, ſic ex manu dependent, ut palmularum quamdam ſpeciem praeſeferant, etiam digiti Graece δάκτυλοι fortaſſis appellati videntur.

(14) *Dictaeus* mons in ortiva parte Cretae fuit [ubi antrum Dictaeum, Jovis cunis celebratiſſimum] qui mea ſententia nomen habet ab Heb. verbo דכא *dicca*, quod eſt *contundere*; quia narrant, ibi Corybantes tympana & aera contudiſſe, ut eo ſtrepitu infantis vagitus obſcuraretur. Nota eſt fabula; quae tamen meo judicio ad Idaeorum Dactylorum in officinis ferrariis metalla tundentium ſtrepitum referri haud abſurde poteſt. Verum quidquid hujus ſit: certe antea is locus דכא *Dicca* a *tunſione* dicebatur: ſed poſtea, converſo poſteriore C in T [ut in *Daccula* vidimus] factum eſt Δίκτη *Dicte*. Qui ſane mons eodem nomine in Dardania fuit: utrobique vero ab Idaeorum Dactylorum officinis petitum nomen.

(& qui cognatis utebantur nominibus) deprehenduntur, eas terras fuiſſe a Dodanenſibus colonis frequentatas: itaque non ſolum eas, de quibus ante dictum fuit, ſed & Aetoliam, Acarnaniam, Euboeam, Cariae (15) Cherſoneſum, Palaeſtinae orám maritimam, Sabinorum in Italia regionem (ut alias plures taceam, de quibus Strabo initio pag. 473.) a Dodanenſibus, ſeu Dardanis fuiſſe conditas, ex his indiciis recte conjicimus: etſi non omnes eas gentes ἀμέσως ex Dardania Troica profectas, ſed alias ex aliis deinceps propagatas certiſſimum eſt.

FINIS DISSERTATIONVM SYLVARVMQVE IN GENESIM.

---

(15) Diodorus lib. V. ſcribit, in Cariae Cherſoneſum *Quinque Curetes trojeciſſe, poſteros illorum, qui Jovem a Rhea matre ſuſceptum in Idaeis Cretae montibus educarunt .... ac porro inde Cares antiquos incolas expuliſſe, & regionem ſuae ditionis factam in quinque partes partitos, & unumquemque conditae a ſe urbi ſuum nomen impoſuiſſe.*

EXER-

EXERCITATIO (1) DANIELICA

De muſicis quatuor inſtrumentis Danielis cap. III. memoratis : quorum oſtenditur non Graeca eſſe nomina , ſed mere Chaldaica ; ac tum inſtrumenta ipſa , tum eorum vocabula poſtea ex Oriente in Graeciam fuiſſe traducta .

QVO loco Danielis cap. III. 5. in Vulgato Interprete legitur : *In hora , qua audieritis ſonitum tubae, & fiſtulae , & citharae, ſambucae, & pſalterii, & ſymphoniae , & univerſi generis muſicorum* ; ibi Danielici textûs proprietas ſic totidem verbis Latine ſonat ; *Quo tempore audieritis vocem Karna* (i. e. *Cornu*) *Maſrokita* (nempe *fiſtulae*) *Kaitheros* (h. e. *Citharae*) *Sabbecha* (nim. *Sambucae*) *Peſanterin* (nempe *Pſalterii*) *Sumphonja* (ſive ut alib legitur , *Siphonja* : quod vertitur *Symphoniae*) *& omnis generis cantûs* . Mitto reliqua .

In hoc commate dictiones priores duas , *Karna* & *Maſrokita* (quae *cornu* & *fiſtulam* ſignificant) ſine controverſia Chaldaici penoris eſſe , & ex priore vocem *Cornu* in Latium manaſſe , quia ĩn confeſſo eſt , miſſas facio . Quare ad poſteriora ſolum quatuor inſtrumentorum nomina ſtylum convertam . Atqui de horum vocabulorum quadriga hujus & ſuperioris ſaeculi eruditi omnes, quos ſciam, ſic ſtatuerunt , ea eſſe mere Graecanica , eademque ex Graeci ſermonis peculio Chaldaeos in ſuae linguae penum transfudiſſe . Nec id mirum Grotio videtur , quia (uti ad Danielem vir ille ſummus adnotat) *Jam ante Danielem magnae & Aeolum & Ionum coloniae in Aſiam deductae , Graecas voces illis in locis ſparſerant* . In quo equidem viri tanti judicium & conſuetam accurationem deſidero . Etenim in Minoris Aſiae Occidentale extimum latus colonias iſtas deductas ſcio : at Aeolas & Ionas , aut omnino ex alia quavis propagine Graecos in Chaldaeam uſque aliquando Danielis aevo (qui ſexcenteſimo propemodum ante Chriſtum anno floruit) progreſſos , ibique linguae ſuae vocabula diſſeminaſſe , nuſquam

(1) Poſtquam ſuperiora ex praelo exiiſſent , cum jam tomus hic primus mediocriter intumuiſſet , nec Exodo proinde locus pateret ; incidi in meam Exercitationem Danielicam de Muſicis inſtrumentis , Ejus a me ſcriptae notitia cum ante circiter viginti annos ad noſtratis cujuſdam amantiſſimi viri aures accidiſſet ; is me pro familiaritate rogavit , uti legendi veniam indulgerem . Parui ; citoque deſcribendam curavi . Legit ille , ac pro ſua benevolentia prolixe laudavit . Sed antequam reſtitueret , fato conceſſit . Eam recula heres pluries a me interpellatus ut reſtitueret , nuſquam reperire valuit . Suſpicio ſubiit , eam a τῷ μακαρίτῃ fuiſſe in oras exteras ad aliquem de pluribus amicis ſuis ſine fraude ac dolo tranſmiſſam . Interim nihil dum auditum mihi fuit , ſibi aliquem ſive integram tribuiſſe, ſive inde profeciſſe . Tamen ne tale aliquid inſciente me accidat , obviam ire conſultum fuit . Autographum mea manu exaratum (etſi nunc quidem atramento jam labeſcente , ac fugientibus litteris viſitur) adhuc apud me ad jus dominicum adſtruendum adſervatur in ſcriniis . Ex quo nunc uti chalcographo exemplum typis tranſcribendum traderem , atque hic (loco quamvis alieno) inſererem , amici ſuaſerunt .

quam egitur; neque id vero illos in tanta locorum diſtantia, ac temporum antiquitate efficere potuiſſe, plane exploratum habeo. Atque haec quidem perverſae Grotii ratiocinationi in praeſentia oppoſuiſſe ſuffecerit.

Ceterum rationes duas habeo, quatuor illis, de quibus nunc agitur, muſicis inſtrumentis communes, quae quemvis cordatum hominem cogant ſtatuere, eas voces Chaldaei non vero Graeci eſſe peculii. Harum prior illa eſt, quod (ut a me alibi copioſe demonſtratum fuit) pleraque muſicorum inſtrumentorum ab Orientis populis in ceteras orbis partes primitus propagata fuerunt. Id vero etiamſi quis de omnibus univerſe affirmare non auſit; at de his certe quatuor, quae hîc Daniel memorat, nemo prorſus dubitaverit. Quocirca unde ea inſtrumenta manarunt, indidem, uti fit, & eorum nomina profecta eſſe oportuit.

Eſt & illa altera ratio haud paullo gravior, quod horum quatuor inſtrumentorum vocabula nullam ſui etymologiam, cognationem nullam, nullamque proſapiam in toto ſermone Graeco oſtentare poſſunt; at eadem in Chaldaeo idiomate pulchras originationes prae ſe ferunt, lactâque cognati ſanguinis propagine, quippe in ſolo patrio, fruticant: ex quo manifeſtum fit, eas voces non in Graeco, nec in Latino, ſed in Chaldaeo, tamquam nativo ſolo, infixas radices habuiſſe. Id vero quemadmodum de ſingulis eorum nominum planum fiat, exponere jam curae erit.

EXERCITATIONIS PARS PRIOR

De tribus inſtrumentorum nominibus, Citharae, Sambucae, Pſalterii.

I. CITHARA.

Id קיתרוס in Daniele ſcribitur: quod quidem (ſi Maſorethica puncta ſequimur) ſive *Kaithros* ſive *Kaitheros* pronuntiatur. Sed meo judicio *Jod* poſt conſonam primam inſertum ſuadet, pronuntiatum olim fuiſſe *Citheros*. Etenim Buxtorfius in Gramm. Chald. aliique docent, in Chaldaeorum ſcriptis, antequam vocalia puncta adpingerentur, *Jod* praeter analogiam inſertum, indicem fuiſſe vocalis I. Itaque CITHEROS olim in Chaldaeo Danielis pronuntiabatur: id quod etiam Graeci Κιθάρας nominis convenientia ſuadet. Atq. hoc Chaldaicum nomen nemo niſi ſtultiſſimus dubitet, quin *citharam* ſignificet. Illud dubitatur dumtaxat, a Graeciſne id nomen Chaldaei arripuerint, an contra. Prius tuetur Grotius, & eruditiſſimus quiſque. Sed mihi contrarium prorſus ſuadet hoc, quod Κιθάρα (*cithara*) nullam in Graeco ſermone ſui originem; non parentes, non avos commonſtrare poteſt: at eadem vox in Chaldaea lingua id optime facit. Jam quemadmodum ejus etymologia procedat, paucis accipe. *Cithara* praecipuum eſt illorum inſtrumentorum, quae ἔνταται Graeci vocant, i. e. *quae fidibus adnectuntur & intenduntur*; in eoque tota organi conſtitutio poſita eſt. Atque ea

vox

Digitized by Google

vox in tota Hellade nullam prorſus commodam (2) etymologiam poteſt oſtendere: certe quia in Orientis linguis fixas radices habet. Venit enim ab Hebr. verbo קשר, *Kashar* (Chaldaeis vero קתר *Kethar*; quippe ſollemne Chaldaeis eſt Hebraicum elementum *Shin* in litteram *Tau* vertere) quod ſignificat *ligare* & *adnectere*: quod verbum LXX modo ἐφάπτω, modo ἐξάπτω, aut συνάπτω aut ἀφάπτομαι reddiderunt, quae ſunt *adnectendi* verba. A Chaldaica ergo radice *Kethar* (pro Hebr. *Kashar*) fluxit vox Chaldaea *Kiteros* i. e. *cithara*: quod inſtrumentum ab Oriente ad nos uſque pervaſit, haud dubie una cum nomine ſuo. Nec alia re vox CITHARA a vocabulo Chaldaeo, quam ſola terminatione, differt. Sed olim ipſa etiam terminatione Graeci cum Chaldaeis conveniebant; quippe etiam Graeci in ΟΣ (3) id vocabulum finiebant. Atqui terminatio in OS eſt ex Chaldaicae linguae ingenio; apud Chaldaeos enim littera *Samech*, praecedente O vocali longa, terminare haud raro dictiones ſolet. Id vero tum Graeci in ſua terminatione in ΟΣ, tum & Latini veteres imitati videntur.

II. SAMBVCA.

Sequitur סבכא *Sabbecha* i. e. *Sambuca*, Graecis σαμβύκη. Hoc quidem Grotius ingenue fatetur nomen Orientale eſſe, & inde apud Graecos transfuſum. Optime: cum plane conſtet, id inſtrumentum (4) a Syris ad nos allatum fuiſſe, cum ſuo utique nomine. At contra Buxtorfius aliique plures tum lexicographi, tum etiam Danielis interpretes, ex Graeco id nomen Chaldaeos mutuatos putarunt. In quo eos fugit omnino ratio. Etenim ea vox nec in Latiali, nec Graeco ſermone expedire etymologiam poteſt: at in Hebraeo Chaldaeoque id pulchre facit. Nam Danielicum סבכא *Sabbecha* fit a verbo סבך *Sabac*, quod Hebraeis aeque ac Chaldaeis eſt *denſum* atque *implexum eſſe*; ſoletque uſurpari de condenſis arboribus nemoribuſque. *Sambuca* autem propter fides varie implexas impeditaſque id nomen invenit. Eſtque hujus nominis originatio praecedenti prorſus ſimilis; quippe cum ea inſtrumenta ſimillima (5) inter ſe fuiſſe reperiam. Porro

(2) Nam quas ſive Etymologicum Magnum in Κίδαρις, ſive Euſtathius aliive ſuppeditant, earum me eo uſque miſeret, ut ne referre quidem ſuſtineam.

(3) Apud Heſychium legitur Κίθαρος, tamquam *pectoris*, *coſtarum*, nec non & *piſcis* (cujus & Athenaeus VII. 15. meminit) vocabulum. Nec dubium, quin ex thoracis cum cithara ſimilitudine factum ſit, ut utrumque & κίθαρος & κιθάρα vocarentur, ut quae pro ſynonymis haberentur.

(4) Athenaeus lib. IV. Σαμβύκην Συροφοίνικα (i. e. *Sambucam Syrophaenicum inventum eſſe*) ex Juba oſtendit. Strabo lib. X. Inſtrumentis pleriſque nomina eſſe barbara, ſcripſit, quibus σαμβύκην adnumerat: quem locum infra illuſtrabimus.

(5) *De Sambucae, Citharaeque, & Barbiti ſimilitudine. Strabonis locus de barbaris aliquot inſtrumentorum nominibus illuſtratur.*

De Sambucae Citharaeque ſimilitudine teſtem habeo locupletiſſimum Vegetium IV. 21. ubi muſicorum *Sambucam*, paſſim appellat *citharam*. Is locus mox adducetur, ubi de Sambuca obſidionali. Porro utrumque triquetrae formae erat. De Cithara teſtatur Hieronymus, in modum litterae *Delta* fuiſſe factam. Idem vero & Porphyrius ad Ptolemaei Harmonica de *Sambuca* teſtatur his verbis: *Sambuca triangulum inſtrumentum eſt, quod ex inaequalibus longitudine ſicut & craſſitudine nervis conficitur*. Sed & barbito ſimilis Sambuca erat, niſi & plane eadem. Strabo lib. X. ſcriptum reliquit: *Inſtrumentis pleriſque nomina ſunt barbara* (νάβλα, καὶ σαμβύκη

Porro autem ex Chaldaeo *Sabbeca* quomodo SAMBVCA factum fuerit, haud difficile dictu eſt. Etenim apud Chaldaeos ipſos τὸ *Dages* (i. e. conſonae duplicatio) in N reſolvi ſolet. Ita ex *Sabbeca* fiebat *Sanbeca*, ſeu *Sambeca*; ac mox apud Latinos altera vocali mutata, SAMBVCA.

At idem nomen etiam pro machina poliorcetica uſurpatum fuit, idque propter formae ſimilitudinem, quam cum muſicorum Sambuca habuit. Feſtus: *Sambucam per ſimilitudinem etiam eam machinam appellarunt, qua urbes expugnant. Nam ut in organo chordae, ſic in machina funes intenduntur*. Vegetius IV. 21. *Sambuca dicitur ſimilitudine citharae* (illius ſcil. citharae, quae proprie Sambuca dicebatur.) *Nam quemadmodum in cithara chordae ſunt, ita in trabe, quae juxta turrim ponitur, funes ſunt, qui pontem de ſuperiore parte trochleis laxant*.

III. P S A L T E R I V M.

Chaldaice id apud Danielem eſt פסנתרין *peſanterin*, ſive (cum *Tau* loco *Tet*) *peſantherin*. Hoc vero non tantum Grotius, ſed Buxtorfius ceterique lexicographi, & Scaliger, & (6) Caſaubonus, & quis non? ex Graeco corruptum cenſuerunt. Et mihi quoque idem olim placuiſſe fateor. Neque id immerito. Nam ψαλτήριον a verbo (7) ψάλλω per rectos analogiae tramites deſcendit, ut omnino nefas ſit ſuſpicari τὸ ψαλτήριον a Chaldaeo *Peſanterin* fieri potuiſſe. Cum ergo τὸ *Peſanterin* (8) patrem ſuum oſtendere in Orientis linguis aegre poſſit; non immerito vox Orienti peregrina cenſenda videbatur, ex Graeco ψαλτήριον

σαμβύκη, ἡ καὶ βάρβιτος, καὶ μάγαδις) *nablia & Sambuca quae & barbitos, & magades*, & alia. Ibi quidem Caſaubonus mavult καὶ ἡ βάρβιτος, itaut diverſum inſtrumentum a Sambuca ſit. Sed non temere ſollicitanda vulgata lectio. Nam ſi *barbitos* diverſa ſit a Sambuca, tum quatuor barbara inſtrumentorum nomina Geographus recenſuiſſet. Atqui βάρβιτος non barbarum, ſed Graecum eſſe nomen videtur, quippe dicta quaſi βαρύμιτος propter gravem ſonum, auctore Magno Etymologo, qui & eandem βάρμιτον Aeolenſibus dictam teſtatur. Ceterum ſi *Barbitos* re vera ſit barbarum nomen; derivari poſſe videtur a ברות *berot* i. e. *abies*, reduplicato *Beth* pro more Orientalium. Abies porro inſtrumentis muſicis hodiedum materia eſt ferme unica. De *Nabliis* ſupervacaneum eſt monere, eſſe ipſiſſimum Hebraeorum נבל *nebel* ſive Chaldaeorum נבלא *Nibla*. At olim Chaldaeis priorem ſyllabam cum A vocali pronuntiatam oportuit. *Magades* demum unde etymologiam ſibi adſciſcant, adhuc quaero. Nam etſi מגר *meged* vox Hebraea ſit, & מגדא *migda* Chaldaica; tamen ex locis, in quibus uſurpantur, vago ſignificatu donantur, pro rebus *pretioſis*, *eximiis*, *praeſtantibus*, nuſquam pro muſicis organis. Haec de Strabonis loco.

(6) *Miratus ſum ſaepe* (inquit Caſaubonus alicubi) *jam inde a temporibus Nabuchodonoſori auguſtiſſimi regis Babylonis pſalteriorum NOMEN in ultimam fere Orientem penetraſſe. Nam apud Danielem Peſanterin Graeca ſunt ψαλτήρια.*

(7) Non tantum ψαλτήριον fit ἀναλογικῶς a verbo ψάλλω, ſed & ipſum ψάλλω (quod olim erat generale verbum tangendi, movendi, impellendi; deinde peculiariter de fidibus uſurpatum fuit) oritur a ψάω, quod eſt *tango*.

(8) Ejus tamen etymologiam hanc qualemcumque ex Chaldaei ſermonis penore petitam aſſignare nitar. Nam hujus nominis ſingulare eſt פסנטרא *peſantera*; quod mihi videtur compoſitum ex פה *peh* i. e. *os*, & ex סנטר *ſantar*, ſive (in forma emphatica) סנטרא *ſantera*. Hoc autem multa apud Chaldaeos ſignificat, & inter cetera *cuſtodem*, aut *conſervatorem urbis*, itemque *principem* & *dominatorem*. Haec ultima ſignificatio reperitur in *Medraſh Kohel* cap. IV. ver. 8. his verbis: בלשאצר סנטרא דבבל *Belshaſar ſantera Debabel* i. e. *Baltaſſar princeps Babyloniae*. Itaque inſtrumentum iſtud videtur dictum *Os-principis*, quia eo perſtrepante, juſſa principis denuntiabantur, uti ex hoc ipſo Danielis loco intelligitur.

ψαλτήριον detorta, atque interpolata ad morem Chaldaicum. Sic olim ratiocinabar.

Verum penitius intuenti mihi multa ſe objecerunt, quae me de pervulgata ſententia deduxerunt. Ac primum ſi quidem ea vox ſit Graeci peculii; quid cauſae fuit, cur Chaldaei L in N demutarent? Cur, inquam, in Daniele ſemper *Peſanterin* pro *Peſalterin* ſcribitur? Annon pronius eſt credere, Graecum potius hujus loci Danielici interpretem N in L permutaſſe, atque ex *Peſanterin* feciſſe ψαλτήριον, ita ut id nomen Graecae originis atque indolis videretur? id quod Graecis familiare eſſe, ex millenis paſſim exemplis alibi a me depromptis conſtat, imo & ex ſequente nomine Συμφωνία.

Deinde Chaldaiſmi Danielici puritas ab omnibus celebratur. Nam Chaldaeos quidem Paraphraſtas a Graecis nonnullis vocibus inſerendis non abhorruiſſe, facile concedimus: at in Daniele a ſummo ad imum purus putus Chaldaiſmus fluit. Qui vates ne poterat quidem, vel ſi maxime voluiſſet, Graecis dictionibus uti, quas Nabuchodonoſoris aevo (h. e. plus ducentis ante Alexandrum Macedonem annis) ne fando quidem in Babylonia auditas, oportuit. Deinde fac, Babylonios tunc Graece noſſe: at cur inſtrumentum illud Graeco potius vocabulo, quam Chaldaeo nuncupaſſent? An quia illud inſtrumenti Graecanici genus erat, ac proinde carens Orientali nomine? At ψαλτήριον ex Oriente ad Graecos propagatum omnes fatentur; patetque ex Seniorum interpretatione, apud quos vox ψαλτήριον ſexcenties uſurpatur pro נבל *nebel*, aut כנור *cinnor*. Poſtremo ſi *Peſanterin* Graeca vox eſt; cur Daniel ſolus ea voce utitur, nemo poſteriorum Paraphraſtarum Chaldaeorum praeterea? quos tamen ſcimus a Graecis vocibus paſſim uſurpandis non abſtinuiſſe? At a me ſi petas, cur Targumiſtae, cur Scriptores Talmudici a voce *Peſanterin* abſtinuerint, dicam, quia τὸ *Peſanterin* genus organi erat regum Babyloniorum aevo tantum uſitatum, poſtea exolitum, quod quale olim fuerit, vix divinari poteſt, uti jam oſtendere aggrediar.

Nec enim τὸ *Peſanterin* idem plane ac (9) ψαλτήριον fuit, ſi accurate in genuinam earum vocum notionem inquirimus. Sic enim ſe res habet. Haec duo vocabula [*Peſanterin*, & ψαλτήριον] & etymologia & notione differunt. Etymologia, quia illud in Chaldaeo ſolo natum, ibi ſatas radices habet, quas in apertum promere adniſus fui ſupra in Adnot. 7. At ψαλτήριον vox eſt originis mere Graecanicae, uti ſupra Adnot. 6. oſtenſum fuit. Deinde etiam notione differunt: aliud enim eſt *Peſanterin*, aliud ψαλτήριον. A poſteriore ordiar.

Nam τὸ ψαλτήριον primario atque antiquo ſignificatu vox (10) eſt generalis

(9) At enim, inquies, ſi ψαλτήριον a *Peſanterin* differt, cur Graecus interpres pro Danielico *Peſanterin* vocem ψαλτήριον uſurpavit? Quia, inquam, cum ψαλτήριον apud Graecos generale nomen ſit omnium τῶν ἐντατῶν ὀργάνων i. e. *pulſabilium inſtrumentorum*; cujus nominis ambitu etiam Chaldaeum *Peſanterin*, quod pulſu percellebatur, contineri merito debuit. Deinde (in quo rei caput eſt) Chaldaicae Graecaeque vocum affinitas interpretem impulit, ut unam alteri ſubſtitueret.

(10) *De* ψαλτηρίου *propria notione. Fuiſſe pulſabilium inſtrumentorum generale nomen, oſtenditur.*

Vox ψαλτήριον venit ex verbo ψάλλω quod non tantum eſt *fidibus ludere*, ſed cum oriatur a ψάω *tango*, uſurpatur etiam generaliter pro *moveo*, *tango*, *impello*; nec tantum de chordis dicitur, ſed etiam de coma, de arcu &c. Vide H. Stephani Theſaurum. Hinc ortum eſt ψαλτήριον vox generalis omnium pulſabilium inſtrumentorum, quatenus diſtinguuntur ab iis, quae flatu animantur. Certe quidem

lis ad ea omnia inſtrumenta pertinens, quae fidibus intenduntur, ac digitis impelluntur. At vero *Peſanterin* peculiare organum fuit: id quod vel ex hoc loco patet, in quo iſtud ab aliis quinque inſtrumentis, partim ἐμπνευστοῖς (i. e. quae ſpiritu *animantur*) partim κρουστοῖς (quae *pulſantur*) diſtinguitur.

Cujuſmodi autem Danielicum *Peſanterin* fuerit, quis nobis expediet? praeſertim cum tantum in hoc libro legatur, nec uſquam alibi in Bibliis, aut Orientalium ſcriptis occurrat. Sane ſi Danielis antiquos interpretes conſultum imus [Graecum, Syrum, Arabem, Latinum: nec enim ejus libri alias interpretationes antiquas novi] duo ejus vocabuli interpretamenta reperio. Quorum prius eſt, ut τὸ *Peſanterin* ſit idem ac ψαλτήριον: ſic enim Graecus interpres reddidit; ſic Graecum ſecuti Latinus atque Arabs. At ψαλτήριον primaria notione nimis vagum nomen eſt, ut modo oſtendimus, quo continentur omnia, quae pulſu percelluntur. Etſi ex ea interpretatione id ſaltem diſcimus, τὸ *Peſanterin* ex genere τῶν κρουστῶν (*pulſabilium*) organorum fuiſſe.

Itaque ad Syri interpretationem, quaſi ad ſacram anchoram, unicus receptus patet. Is autem pro Chaldaeo *Peſanterin* poſuit Syriacum כנורא *cennoro*. Jam huic nomini quae ſubjecta ſit notio, videamus. Non eſt autem dubium, quin idem ſit ac Hebraeorum כנור *cinnor*: eaedem enim ſunt utrobique litterae. Jam vero Hebraeorum *Cinnor* a Senioribus modo κιθάρα, modo ψαλτήριον, interdum generali nomine ὄργανον, poſtremo alibi, retento Hebraico vocabulo, κινύρα redditum fuit. Atque ultima interpretatio eſt omnium optima; praeſertim cum & Graeci paſſim in ſuis libris κινύρας mentionem fecerint; etſi in definienda voce (11) falſi toto caelo fuerunt. Verum quid moror? veram κινύρας notionem non

quidem apud Graecos Bibliorum interpretes vox ψαλτήριον modo respondet Hebraico *Cinnor*, modo τῷ *Nebel* (quae ſunt diverſiſſima, ut infra oſtendam) apud Jobum vero XXI. 12. reſpondet τῷ תף *Toph* i. e. *tympano*, quod fidibus caret. Sed & in Cyrilli Gloſſis Graecolatinis ψαλτήριον redditur *Sambucum*, illud ſcilicet de quo ſupra diſputavimus. Poſtremo Ariſtoteles (cujus fere aetate ea vox trita eſſe coepit) in Problem. memorat ψαλτήρια τρίγωνα, i. e. *pſalteria triquetra*. Quod male in eam partem acceperunt; quaſi omnium pſalteriorum forma fuiſſet triangula; eſt enim διαιρετικὸν ἐπίθετον (*adjunctum diſcretivum*) utique quod & alia eſſent minime triquetra. Eamdem in partem accipiendum eſt ψαλτήριον ὀρθὸν [cujus ex Juba meminit Athenaeus, ac porro alii] nec enim univerſum pſalteriorum genus ὀρθὸν i. e. *rectum* fuit. Poſtremo fuit genus aliquod eximium inter *pſalteria*, h. e. inter pulſabilia inſtrumenta: quod proprie τὸ ψαλτήριον ſonat.

At aevo poſteriore, fateor, vox *Pſalterium* non raro pro peculiari inſtrumento acceptum fuit; idque veteres Bibliorum enarratores ſuadere voluerunt: etſi dum Pſalterium aliter Hieronymus, aliter Chryſoſtomus, aliter alii deſcribunt, ex ea ipſa variatione poteſt intelligi ſub univerſo τῶν ψαλτηρίων i. e. *pulſabilium inſtrumentorum* genere plura fuiſſe formae diverſae organa, quae tamen omnia nomen generis ſibi adjudicabant, ac ψαλτήρια vocabantur. Appoſite Pollux IV. 61. vocem πηκτὶς fuiſſe ait ὄργανόν τι ψαλτήριον (eam vocem adjective uſurpans) i. e. *inſtrumentum quoddam pulſabile*. Idem vero grammaticus eod. lib. initio noni capitis, dum inter κρουόμενα ὄργανα recenſet ψαλτήριον, id (ne fraudi tibi ſit, quaſi τὸ ψαλτήριον peculiare inſtrumentum intelligat) ſcito ſollemne Julio Polluci eſſe, non tam peculiaria rerum genera ſedulo diſtinguere, quam perſequi diverſa vocabula, eaque non raro ſynonyma. Eſt igitur ψαλτήριον generale fortaſſis nomen pulſabilium organorum.

(11) *De Cinyra*.

Graeci in hoc peregrino nomine uſurpando ſollemne ſuum tenuerunt, qui illud, ut Graecae originis videretur, pro ſuo captu interpolarunt. Itaque cum ex כנור *Cinnor* dicendum fuiſſet κιννύρα ipſi detracta litterae duplicatione & mutata vocali, inde exſculpſerunt κινύρα; etſi in Joſephi MSS. cum duplici N ſcribitur more Hebraico. Quia vero apud

non eſt cur aliunde petamus, quam ab Joſepho homine Judaeo, ac, puto, ſatis idonco teſte Orientalium organorum. Is in VII. Antiq. 12. ubi de Davidis Canticis, ejusdemque muſicis inſtrumentis loquitur, *κινύρας* (quam ſcribit cum N duplici, ut non ſit dubitandum quin ſit Orientalium כנור *Cinnor*) a *νάβλα* (h. e. Hebraeo נבל *Nebel*, Chaldaice autem in forma emphatica *Nabla*) in hunc modum diſtinguit: *ἡ μὲν κινύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη, τύπτεται πλήκτρῳ. ἡ δὲ νάβλα δώδεκα φθόγγους ἔχουσα, τοῖς δακτύλοις κρούεται*. *Cinyra quidem, decem intenta chordis, plectro percutitur: nabla vero* (hanc Latini plurative *Nablia* appellarunt) *duodecim ſonos habens, digitis percellitur*. Hinc autem tribus Pſalmographi (12) locis lux affunditur. Ex his vides quid ſit Hebraicum & Syriacum *Cinnor*, quam Graeci *Cinyram* nuncuparunt. At in Latina Syri interpretis verſione ad propoſitum Danielis locum, illud כנרא *cennoro* redditur Latine *fidium*: omnino male; nec enim chordarum ſed inſtrumentorum ibi genera a Propheta enumerantur. Nec illud melius, quod in Caſtelli lexico idem Syrum vocabulum redditur, *Tympanum* aut *Pſalterium*. Parum (13) ſcite; qui debuiſſet Syrum *Cennoro* interpretari *κινύραν cinyram*, aut vero (ex Joſephi deſcriptione) *Decachordum*. Atque haec de Danielico *Peſanterin*.

Vbi haec ſcripſeram, ex Voſſio in PSALLO didici, Angelis duobus, Politiano (Miſcell. cap. 14.) & Caninio (in Helleniſmi Alphab.) placuiſſe Graecum nomen *ψαλτήριον* factum fuiſſe a Danielico *Peſanterin*. Quibus id rationibus ii tueantur, ignoro; nec enim eorum libri ad manus ſunt. Sed tamen, ut oſtendimus, nec *ψαλτήριον* fit ex *Peſanterin*, nec contra; illud enim Graecanici, hoc Chaldaei peculii vocabulum fuit: illud peculiaris inſtrumenti decem chordis inſtructi, & plectro, non digitis percutiendi; hoc vero generale nomen erat omnium pulſabilium organorum. Ac de Pſalterio hactenus.

EXERCITATIONIS PARS ALTERA

De SYMPHONIA inſtrumento ultimo.

Hoc vero nomen quis non clamitet plane Graeci juris eſſe, ac de Graeco ſolo in Chaldaeum fuiſſe traductum? Alioqui quis ſibi perſuaſerit, Chaldaeos

apud Graecos *κινύρομαι* eſt *Lamentor*, & *κινυρὸς* eſt *lamentabilis*; hinc illi Cinyram ita definiverunt, ut ſit *Cithara lugubris*. Sic enim apud Heſychium legitur: *Κινύρα, ὄργανον μουσικόν· κιθάρα οἰκτρά*. i. e. *Κινύρα Muſicum inſtrumentum, cithara lamentabilis*. Quod & ſequentes grammatici paſſis ulnis amplexi ſunt.

(12) Pſ. XCI. (Hebr. XCII.) 3. legitur, *In decachordo pſalterio*. Eademque locutio recurrit. Pſ. CXLIII. 10. & XXXII. (Heb. XXXIII.) 2. Vbi ſic vulgo accipiunt *Decachordi* vocem, quaſi ſit epitheton Pſalterii; cum revera duo ſint inſtrumentorum nomina in Hebraeo (idque Pſ. XCI. luce clarius eſt, ubi legitur: *ſuper aſor*, i. e. decachordo, & *ſuper nebel*) quorum unum eſt נבל *nebel*, quod Graeci amant vertere *ψαλτήριον*, alterum eſt עשור *aſor* (quod *decem* ſive potius *Decemplex* ſignificat) quod iidem Graeci interpretantur *δεκάχορδον*. Cum autem Cinyra, Joſepho teſte, *δεκάχορδος* fuerit; hinc Hebraeum *Aſor* & Graecorum interpretum *Decachordum* idem eſt quod *Cinyra*: quam Cinyram (ſive Hebr. *Cinnor*) ceteroqui Scriptores ſacri paſſim alibi cum *Nebel* conjungunt.

(13) Nam tympanum chordis carebat, quae a *κινύρᾳ* non aberant: & *Pſalterium* nimis vagum nomen eſt, uti ſupra demonſtravimus.

ſuopte ductu & ingenio id nomen ſibi finxiſſe; quod per omnia cum Graeco conſentiret? Quis ſuſpicari queat, caſu hoc eveniſſe, ut ambo populi inter ſe disjunctiſſimi non tantum in eumdem nominis ſonum convenirent, ſed & in eamdem vocis ſignificationem? Eo fit, Danielicum hujus loci סומפניא *ſumphonja*, cum eiſdem plane elementis conſtet, ac Graecum Συμφωνία, de Graeco ſine ulla controverſia fuiſſe arceſſitum. Nec enim contra Graeci a Chaldaeis mutuari nomen potuerunt; quia ἀναλογικῶς ex Σὺν & Φωνὴ componitur. Et ſic olim equidem reputabam. Sed veritate convictus aliter nunc ſtatuo. Jam vero inde ordiar.

S E C T. I.

Quid ſit ſymphonia Danielica, & utrum id nomen de Graeco petitum fuerit.

SYMPHONIA, quatenus *concentum*, ſeu *vocum conſonantiam* notat, vox eſt mere Graeca omnibus notiſſima: quam Plato in Sympoſio τῆς ἁρμονίας ſynonymon facit; & ὁμολογίαν διαφερομένων definit: quam poſtremo recte praeter alios Iſidorus II. 19. *Diaphoniae* opponit. Eâdem voce etiam Latini ſcriptores eodemque ſignificatu utuntur; uti cum Horatio in Arte *Symphonia diſcors* dicitur. Hanc qui componerent (ſive aſſâ voce, ſive inſtrumentis luderent) Symphoniaci (14) dicti reperiuntur.

At eſt etiam SYMPHONIA ſingularis inſtrumenti muſici nomen; quod Iſidorus in II. Orig. 21. deſcribit. Ac plane innumera ſcriptorum Latinorum (15) loca ſunt, in quibus non eſt dubitandum, quin *Symphonia* ſit organi muſici nomen. De quibus infra.

Cur autem id inſtrumenti genus, quod in II. 21. deſcribit Iſidorus *ſymphonia* appellaretur, hanc idem rationem ibi tradit: *Fitque in ea ex concordia gravis & acuti ſuaviſſimus cantus*. Atqui id omnibus inſtrumentis modulabilibus commune eſt, ut ex *concordia gravis & acuti ſuaviſſimus cantus oriatur*; nec continuo tamen inſtrumenta omnia ſymphoniae nomen meruerunt.

Verum, ne lectorem morer, res ſic ſe habet. Dan. III. 5. ſex organorum nomina

(14) L. 22. D. Ad leg. Aquil. Paullus ait: *Si quis ex comoedis aut ſymphoniacis . . . aut ex pari mularum unum vel unam occiderit; non ſolum perempti corporis aeſtimatio facienda eſt, ſed & ejus ratio haberi debet, quo cetera corpora depretiata ſunt*. Quem locum ſedulo notavi, ut opponi iis locis poſſit, in quibus *Symphoniacus* nullum reſpectum habet ad compares, quippe ſolitarius artifex; iſque ab inſtrumento, cui *ſymphoniae* nomen dictus: quae loca infra adſcribentur. At vero Paulli *Symphoniacus* unus quilibet ex illis eſt, ex quibus harmonia conſit inquam, ut & ex numero plurativo [nam conſonantia, non niſi una ex pluribus vocibus conſit] & ex ſequentibus conſtat: Plinius X. 29. ſcribit, *luſciniam quemdam canere coepiſſe, & cum ſymphonia alternaſſe*. Ibi quia luſcinius cantoris vicem ſuſtinebat; cum inſtrumento ſingulari alternare debuit. Cicero Ver. VI. *Locum illum litoris percrepare totum mulierum vocibus cantuque ſymphoniae*. Vbi voces recte a *ſymphonia* h. e. ab inſtrumento diſtinguuntur. Meminit *ſymphoniae*, quatenus inſtrumentum eſt, Hieronym. epiſt. ad Damaſcum: meminit Auguſtinus ad Pſ. XLI. his verbis: *Feſta cum hic homines celebrant . . . , conſuetudinem habent conſtituere organa ante domos ſuas, aut ponere ſymphoniam, vel quaecumque muſica*; ſupple inſtrumenta. Multa ſunt clariora alia loca infra recitanda, ex quibus intelligetur, cujuſnam generis inſtrumentum *Symphonia* fuerit.

(15) Ea loca infra pleniore manu dabimus, ubi quodnam genus inſtrumenti *ſymphonia* fuerit, expendetur. Interim pauca adſpergamus, Appulejus Met. XI. 4. *Symphoniae dehinc ſuaves, fiſtulaeque modulis dulciſſimis perſonabant*. Vbi male Julian. Floridus ſymphonias interpretatur *concentus*: male,

nomina uſurpantur, quorum ultimum Chaldaice סומפניא *ſumphonja*, ſive (ut ver. 10. legitur) סיפניא *Syphonja* vocatur. Nec dubium eſt, quin ea vox eo loco poſita inſtrumentum muſicum a quinque ſuperioribus diverſum notet. Ibi porro Graecus (16) interpres itemque Latinus *ſymphoniae* nomen, ne una quidem littera minus, ita ut Chaldaice reperitur, retinuit: nec eſt ambigendum, quin iidem, quos dixi, interpretes eo nomine *μουσικὸν* organum muſicum intellexerint. Verum ea Graecorum interpretatio viris eruditis fraudi fuit. Quorum nonnulli (in iis Buxtorfius in utroque Lexico) Danielicam *ſymphoniam* Graeco ſignificatu pro vocum conſonantia acceperunt. At plerique alii inſtrumenti peculiaris nomen in Daniele deſignari quidem, verum id nomen de Graeco ſumpſiſſe Chaldaeos ſtatuerunt. Nam cum eadem omnino vox cum eisdem litteris ac vocalibus, quibus Graece ſcribitur, in Danielis Chaldaeo reperiatur; hinc audacter Buxtorfius ceterique omnes tum lexicographi, tum Biblici enarratores pronuntiarunt, vocem illam Danielicam ex Graeco *συμφωνίας* vocabulo fuiſſe deſumptam. Grotius ipſe, vir tantus, ad hunc Danielis locum *ſymphoniam* Danielicam (quam ſcite *tibiam curvam* eſſe voluit) vocem eſſe mere Graecam pronuntiavit.

A quibus ego per omnia diſſentio. Nam primum Daniel eo nomine non vocum conſonantiam, ſed inſtrumenti ſingularis (17) genus deſignavit: quod cujuſmodi fuerit, infra expendetur. Deinde falſiſſimum eſt, Chaldaeos id vocabulum arceſſiſſe de Graecia (nec enim Graecis melioris notae ſcriptoribus uſquam *συμφωνία* pro muſico inſtrumento capitur) ſed Latini [18] potius ac Judaei Helleniſtae id nomen uſurparunt. Deinde eadem Συμφωνία pro inſtrumento, apud Graecos etymologia caret; nam Iſidorianam originationem ſupra confutavimus. At vero ſermo Chaldaeus pulchram ejus vocabuli etymologiam ſuppeditat, quam non ante depromam, quam quodnam organi genus *ſymphonia* fuerit, non obſcuris argumentis definiam.

S E C T. II.

Quodnam inſtrumenti muſici genus ſymphonia fuerit.

Jam primum omnium R. Elias in *Kelim* cap. XI. & XVI. id nomen *lyram* interpretatur. *Nomen*, inquit, *eſt inſtrumenti muſici, quod Italice vocatur Symphonia* (de Eliae tempore hoc intelligendum) *& Germanice Leir i. e. Lyra*. Adhaec ex Mamotrecto ad I. Paral. XII. ſic citat Cangius in Gloſſario: *Lyris, idem ſymphoniis*.

(16) Reperitur ſemper *συμφωνίας* vocabulum in Graeco Codice Alexandrini textus Danielici, itemque in Complutenſi. At in Vaticano Codice eadem vox tantum Dan. III. 15. reperitur, a ceteris vero locis ejuſdem capitis, ubi ea organa recenſentur, abeſt.

(17) Nam & quae praecedunt ſunt omnia organorum vocabula, & quod ſequitur (*vecol zene zemara*) non aliud proprie ſonat, quam *omnium ſpecierum muſicae inſtrumentalis*. Chaldaeis enim ea locutio, *zene zemara*, muſicorum organorum genera deſignat. Nec aliud ſibi vult illud Graeci ac Latini interpretis, *Et univerſi generis muſicorum*, ſubauditur enim *inſtrumentorum*; ut & in Auguſtini loco, quem in Adnot. 14. recitavimus, ubi *τὸ quaecumque muſica* tantumdem eſt quod quaelibet muſica inſtrumenta. Poſtremo & Arabs interpres loco *ſymphoniae* peculiaris organi nomen uſurpavit.

(18) De Latinis jam aliquot exempla in Adnot. 14. produximus, ac porro plura & luculentiora infra afferemus. De Helleniſtis vero fidem facit tum Graecus interpres in hoc capite Danielis, tum etiam Evangeliſta Lucas cap. XV. cujus locum infra expendemus.

Sed redeo ad Plinium: apud quem lib. VIII. 42. ubi de equorum docilitate: *Docilitas tanta eſt, ut univerſus Sybaritani exercitus equitatus ad ſymphoniae cantum ſaltatione quadam moveri ſolitus inveniatur*. Atqui Athenaeus eamdem rem narrans lib. XII. cap. 3. pro ſymphoniae vocabulo *tibiam* uſurpavit, narrans Sybaritas adeo deliciis perditos, ut *inter epulandum* τοὺς ἵππους ἐθίσαι πρὸς αὐλὸν ὀρχεῖσθαι, *ad tibiam equos ſaltare conſuefacerent*. At ne Athenaei narratio diverſa a Pliniana videatur (quia quod unus de praelio, hoc alter de epulis narrat) en ſtatim poſt ea verba idem Dipnoſophiſta ex Ariſtotele tradit, Crotoniatas in pugna adverſus Sybaritas in ardore conflictus tibicines adhibuiſſe (καὶ ἅμα αὐλούντων ἀκούσαντες οἱ ἵπποι) *quorum tibiae cantum ſimul atque exaudierunt equi, non tantum ſaltare coeperunt, ſed una cum ſeſſoribus ad Crotoniatas transfugerunt*.

Idem poſtremo Plinius IX. 8. ſcripſit: *Delphinus* . . . *mulcetur ſymphoniae cantu, & praecipue hydrauli ſono*. Vbi illud *praecipue* deſignat *ſymphoniam* notare univerſum genus illud, cujus ambitu *hydraulus* continetur, ut omnino *ſymphonia* hic de tibiis capi debeat, ſive ſingularibus, ſive ſimul junctis, ex quibus hydraulica organa compinguntur.

Et haec quidem ſatis eſſe poterant ad docendum *Symphoniam* haud aliud fuiſſe quam Tibiam choris praecinentem. Tamen dicendum adhuc reſtat de Evangeliſtae Lucae loco, quem ad ultimum mihi reſervavi, ubi cap. XV. 25. filius frugi, domum concedens *audivit* (συμφωνίας) *ſymphoniam & chorum*. Ibi quidem *ſymphoniae* nomine paſſim omnes vocum conſonantiam interpretantur. Quod ſi ita ſit; haec locutio battologia laboraret, biſque idem inculcaretur: nam *chorus* idem ſignificat, quod vocum conſonantiam, teſte Ammonio, cui χορὸς eſt *coetus puerorum cantantium*. At ſalvae res: Graece apud Lucam eſt num. plur. χορῶν: *Chori* autem plurative *choreas* ſignificant. Et *ſymphonia* eſt inſtrumentum illud, quo ſaltantibus modus praecipitur, quod inſtrumentum plerumque *tibia curva* fuit, maxime in Oriente. Quocirca verti potuiſſet is locus, *Audivit tibiam & choros* i. e. *choreas*. Quae interpretatio cum ſatis ex hucuſque dictis vera eſſe oſtendatur; tum vero eam & interpretes antiqui confirmant. Nam Aethiops pro *ſymphonia* reddidit *tibias* (*tibias*, inquit, *& cantica*) Arabs vero pro *choris* poſuit *tripudium* h. e. χοροὺς pro χορείας. Ita ex utroque interprete vera translatio conſit.

Poſtremo *Symphoniam* Danielicam non aliud fuiſſe quam *Fiſtulam*, ex eo poteſt oſtendi, quod Arabs interpres toto Prophetae hujus capite Chaldaicum nomen *Sumphonja* interpretatur *fiſtulam*: & quod apud Talmudicos סומפון *ſumphon* pro *fiſtula* ſumitur: unde *fiſtulae pulmonis* ea voce deſignantur. Exempla vide apud Buxtorfium in rad. ספק. Ceteroqui fiſtula muſica pluribus ex tibiis compingitur apud Maronem.

S E C T. III.

De Symphoniae Danielicae etymo. Item illud, Chaldaei ne de Graeco Symphoniae vocabulum adſciverint, an contra noſtri a Chaldaeis.

Sed jam cauſae jugulus petendus eſt, ac videndum, in utrius linguae peculio fuerit vox, qua de agimus; & utri ab alteris eam mutuati fuerint.

Id autem ut aſſequamur, primum etymologia *Symphoniae*, quatenus inſtrumenti muſici nomen eſt, expedienda venit; nam quâ in lingua originatio bene proceſſerit, ei linguae id vocabulum adjudicari neceſſe erit. Antequam vero origina-

ginationem aggredior, recta Danielici vocabuli ſcriptura ſtabilienda eſt. Ac prima ejus vocabuli littera in Daniele quidem ipſo eſt *Samech*, at in Syro Danielis interprete eſt *Sade*. Verum perinde eſt, utro modo ea vox ſcribatur; quia utraque littera eſt ſibilans, & utraque τῷ S Latino reſpondet; eaque duo elementa apud Chaldaeos nonnumquam alternant, apud Syros autem ſaepiſſime, quibus familiare eſt *Samech* Hebraicum aut Chaldaicum in *Sade* permutare. Itaque in aucupanda radice, Syri interpretis ſcripturam ſequi per me licebit. Neque eam quam dixi litteram permutare ſolum, ſed & *Mem* litteram detrahere licebit; quam Syrus in eo nomine non agnovit. Nec tantum Syrus interpres, ſed, quantum video, ne Daniel quidem ipſe in littera M retinenda ſibi conſtitit, quia verſu decimo pro *Symphonia* ſcribitur (20) סיפניא *ſiphonja*. Quam veram ſcripturam eſſe contendo. Verum aut Maſorethae, aut Judaei antiquiores eam ſcripturam refinxerunt, & ex *ſiphonja* fecerunt *ſumphoniam*: idque ſive in Graecorum gratiam, cum quorum Συμφωνία, *Sumphoniam* Danielicam vocem convenire ſunt ſuſpicati, ſive ut congrueret τῷ סומפון *ſumphon* (i. e. *fiſtulae*) Talmudicorum: quod ſupra tetigimus. Ergo orthographia vocabuli eſto סיפניא *ſiphonja*; cujus dictionis primam litteram etiam cum *Sade* licebit cum Syris ſcribere.

Ex ea vero dictione, remotis ſervilibus litteris, reſtat radix צפן *ſaphan*, quod verbum Hebraice quidem eſt *abſcondere*; at habuiſſe olim id verbum etiam *flandi* ſignificationem; patet ex Hebr. צפון *ſaphon*, quod apud Hebraeos Chaldaeoſque notat *flatuum* facile principem *Aquilonem*, cui decuit a *flando* per excellentiam nomen imponi. Indidem & *Typhonis* (21) nomen exſiſtere alibi dictum fuit. Verum quid his immoror, cum apud Syros (apud quos dixi veram Danielicae vocis hujus ſcriptionem ſuiſſe ſervatam) omnia inſtrumenta, quae flatu animantur, ab radice, quam ſupra adſcripſi, deriventur? Etenim apud Syros τὸ צפוניא *ſephunjo* (quemadmodum Danielicum hujus loci inſtrumentum ab Syro interprete ſcribitur) etiam pro *tuba* ac *tibia*, ſive *fiſtula* paſſim ponitur: eſtque apud Syros brevius alterum *ſephuno*, animabilium inſtrumentorum nomen. Hinc igitur *ſymphoniae* (ſive potius *ſiphonjae*) Danielicae etymologia petenda eſt: unde & SIPHONIS (22) nomen ad Latinos manavit.

Jam vero etymologia detecta, pronum eſt ſuſpicari, noſtros homines *ſymphoniae* vocabulum, pro organo muſico acceptum, de Chaldaeo mutuatos. Idque vel eo maxime, quia apud Graecos, exceptis Judaeis (23) Helleniſtis, nulla ſunt

(20) Quamvis Maſorethis invitis: qui ibi etiam legi juſſerunt סומפניא *ſumphonia*, excluſo *Jod*, & inſertis *Vau* & *Mem*.

(21) Videre licebit Diſſertationem noſtram de vento *Typhonico* ad Actor. XXVII. 14. Quo in vocabulo littera *Sade* per T redditur, quod in *Tyrus* & alibi millies factitatum.

(22) Ex his quae de Danielica *Sophonja* (quam Graeci ſuo more in συμφωνίαν depravarunt) diſputavimus; jam & SIPHONIS etymologiam aſſequimur. *Sipho* machina erat ad aquam extollendam comparata pro extinguendis incendiis. Id inventum ab Oriente Tyrrhenos in Italiam intuliſſe, in explicatione Tabularum Iguvinarum, oſtendimus. Ibidem, & *Siphonis* etymologiam, ni fallor, produximus, cujus nunc non commemini. Verum quidquid ibi dictum fuerit: vera SIPHONIS originatio inde petenda eſt, quod *ſiphon* fiſtula erat, *ſymphoniae* inſtrumento non abſimilis. Itaque ſicut illud inſtrumentum muſicum ab Orientis populis *Siphonja* nuncupabatur a verbo *Saphan*, quod *flare* ſignificat; indidem & SIPHON, quo aqua extollitur, appellatus fuit.

(23) Συμφωνίαν, inquam, pro muſico inſtru-

ſunt ejus ſignificationis exempla ; apud Latinos autem longe plurima : quos Latinos ex meis Etymologicis curis ſatis conſtat, infinitam plane vocabulorum primitivorum penum ex Oriente arripuiſſe. Illa vero noſtri dum adoptabant, haud raro interpolare eadem pro ſuo modulo ſatagebant, ne peregrina viderentur. Itaque ex *Siphonja* fecere ſymphoniam : quam immutationem, ſimul ac poſtea praevalere Graeciſmus ac Romaniſmus coeperunt, etiam Chaldaei poſteriores ſunt imitati : qui pro ſuo *ſiphonja* ad noſtram *Symphoniam* propius acceſſerunt. Atque ita equidem reputabam.

S E C T. IV.

Symphoniae vox, quatenus inſtrumentum praecentorium notat, Graecis ignota, Latinis frequenti in uſu fuit: quocirca id nomen ſimul cum re ἀμέσως ex Oriente migrarit in Latium, Graeciâ inſciente, neceſſe eſt.

Sed tamen adhuc haereo. Quid enim? Adhuc tueri quis poſſit, *ſymphoniam* non ſolum ubi *concentum* notat, ſed & ubi organi muſici nomen eſt, de Graeco eſſe. Nam videtur *ſymphonia*, niſi vehementer fallor, de illis omnibus inſtrumentis intelligi, quibus praecinentibus (24) modulus praeſcriberetur ſive ſaltantibus ſive remigantibus (nam haec & alia (25) plura ῥυθμικῶς apud antiquos fiebant) ſive poſtremo cantantibus. Hinc factum eſt, ut *ſymphoniae* vox non peculiare

ſtrumento ex Graecis ſcriptoribus non alios, quam Graecum Danielis interpretem, & S. Lucam uſurpaſſe reperio : quorum uterque Helleniſtica Dialecto utebatur. At Sotion συμφωνίας vocabulo videtur translate intellexiſſe *ictus modulantium pedum*, uti ſupra innuebamus, non vero organum ullum. Vide rurſus Adnot. 25.

(24) Eo me ſane ducunt plura ex adſcriptis ſup. ſect. 2. exemplis. Adhaec apud Plinium II. 90. & VIII. 42. & S. Lucam XV. 25. *ſymphonia* i. e. tibia ſaltantibus modos praeſcribit. Eodem pertinet & illud Virgilii XI. 737.

Aut ubi curva choros (i. e. choreas) *indixit tibia Bacchi*.

Quo loco *curvae tibiae* nomine *ſymphoniam* intelligit Servius, ſic adnotans : *CVRVA TIBIA, Symphoniacorum . . . . Hanc tibiam Graeci πλαγίαυλον vocant : Latini VASCAM TIBIAM*. De quo Grammatici loco ac de *Vaſca tibia* in Etymologico noſtro ex Oriente petitorum diſſeruimus, ubi VASCAM ab Hebraeo venire oſtenſum fuit. Hactenus de ſaltantibus. De canentibus vero fruſtra erit exempla congerere. At de remigantibus fidem faciet Aſconius ad Divinationis (num. 55.) illa verba, *Ab hac* (liberta) . . . *ſymphoniacos ſervos abducebat, quibus ſe in claſſe uti velle dicebat*. Ibi Aſconius adnotat : *Cani remigibus celeuſma* (ſic dictum a κελεύω *praecipio*, quia eo praecipiebatur remigibus modulus) *per SYMPHONIACOS ſolebat*.

Ab eo vero poſtea factum, ut praeceptores modulorum non tantum ubi per inſtrumentum perſcriberent rhythmos, verum etiam ubi id voce efficerent, *ſymphoniaci* vocarentur. Nam modo recitatis verbis haec ſubjicit Aſconius : *Et per aſſam vocem, ideſt ore prolatam, &c, ut in Argo navi, per citharam*. Ad ſummam *Symphonia* eſt praecentorium inſtrumentum, & *ſymphoniaci* ſunt praecentores.

(25) Vox ῥυθμὸς *rhythmus* (quae Latinis *modulus* aut *numerus* redditur) non eſt illud, quod in Italicis verſibus ſimiliter deſinentibus *Rima* appellatur ; ſed eſt numeroſum illud, quod non tantum in cantionibus, ſed & in ſaltatione hodieque obſervatur, vocaturque ab Italis *Cadenza*. At olim is rhythmus non tantum in choreis ſentiebatur, ſed ad omnia ferme pertinebat ; vix enim erat, quod ſine rhythmo fieret. Ad numerum olim fuiſſe remigatum, res eſt protrita. Sed & in equeſtribus ludis rhythmus valebat : itaque Herodianus lib. VII. cum *pyrrhichio curſu atque rhythmo* (πυῤῥιχίῳ δρόμῳ καὶ ῥυθμῷ) Severi rogo obequitatum fuiſſe, narrat : cui concinit quod de Sybaritano equitatu ex Plinio & Athenaeo praediximus. Sed & chironomi in cibis inferendis ac ſcindendis, itemque medici in explorandis pulſibus rhythmos obſervabant ſuos.

peculiare inſtrumentum notaret, ſed forſitan interdum tympanum, aut tubam, aut citharam, at plerumque tibiam curvam aut fiſtulam: uno verbo quaevis praecentoria organa, quibus praeeuntibus rhythmus praecipiebatur, *Symphonia* dicebatur. Jam vero quia is modulus ſive ſaltantium ſive remigantium, μεταφορικῶς dicebatur (26) συμφωνία· hinc facile *ſymphoniae* vox translata fuit ad cujuſvis generis inſtrumenta, quibus praecinentibus praecipiebatur modulus. Maxime vero tibia eo nomine intellecta fuit, quia ea ad modulos indicandos valebat plurimum. Itaque *ſymphoniae* organica notio plane metaphorica fuerit.

Ex hactenus dictis plura jam ſtatui pro certis poſſunt. I. *Symphoniae* verbum, quatenus *concentum* ſive *conſonantiam* notat, mere Grajum fuiſſe, nec quidquam commune cum Chaldaeo ſermone habuiſſe. Etenim Danielicum *Suphonja* nomen organi muſici fuit: at contra Συμφωνία Graeca quorumlibet ſonorum concordiam notat. Illud in Orientis linguis ſuam nativitatem oſtendit: hoc, quia in Grajo ſolo natum, ibidem laetâ propagine aſcendentium, deſcendentium, & ex latere venientium ſtipatur. Nihil ergo in hoc vocabulo Chaldaei Graecis, nec hi Chaldaeis acceptum referunt.

II. Quatenus vero *Symphonia* peculiaris inſtrumenti genus eſt, atque *tibiam vaſcam* ſeu praecentoriam notat, id nomen apud Graecos in uſu [27] non fuit, ſed tantum apud Chaldaeos (quorum nomine etiam Syri continentur) apudque Latinos. Latinorum exempla produxi Adnot. 23. ubi & plura dare potuiſſem, ſi fuiſſet opus.

III. Vtri autem ex alteris hauſere id nomen? Non certe Chaldaei ex Latinis; quia Daniel, qui ea voce utitur, ſexcentis prope annis Chriſti natalem anteceſſit. Danielis vero aetate nullus Romae ejus organi uſus erat, nullumque adeo rei adhuc ignotae nomen. At ultimis reip. Rom. temporibus, quibus

Jampridem Syrus in Tiberim deflexit Orontes
Et linguam & mores, & cum tibicine chordas.
Obliquas, nec non gentilia tympana ſecum
Vexerat.

(uti Juvenalis conqueritur) tunc ſine dubio plura non tantum rerum aliarum, ſed & praecipue muſicorum inſtrumentorum nomina apud noſtros frequentari coeperunt. Tunc Syriacorum *tympanorum*, tunc *Ambubajarum* & *Symphoniarum* Romae uſus & nomen invaluit.

IV. Tribus vero hiſce modo adſcriptis nominibus eſt (28) commune illud, quod

(26) Hinc quos Plinius in ſaltatione vocavit *ictus modulantium pedum*, eos translate Sotion dixit κτύπον συμφωνίας i. e. *pulſum ſymphoniae*. Re enim vera ſicuti Horatius conſenſionem animorum appellavit *concentum* (I. ep. 14. *Nunc age, quid noſtrum concentum dividat, audi*) ſic συμφωνία a Philone huic univerſo tribuitur, & a Plutarcho & Herodiano cum ὁμονοίᾳ i. e. *conſenſione* jungitur. Quo minus mirandum erit, ſi de ſaltatione, remigatione, aliiſque modulatis motibus Symphoniae vox translate uſurparetur: translate, quia ceteroqui ea vox proprie vocum tantummodo conſonantiam notare nata erat, non vero motuum modulationem.

(27) Nec enim Danielis Graecus interpres, & S. Lucas XV. 25. (quos duos reperio συμφωνία pro muſico inſtrumento uſurpaſſe) in Graecorum, ſed in Judaeorum Helleniſtarum cenſu ponendi ſunt: quos eam *Symphoniae* notionem non a Graecis, ſed a Chaldaeis imbibiſſe, certo certius eſt.

(28) Quod in *Symphonja* M irrepſerit loco litterae *Pe* dageſſatae, dictum eſt ſupra. Similiter pro Orientali תפים *Tuppim* ſive *Tuppin*, Graeci Latinique dixere *Tympanum*; & loco

quod quae littera in Orientali ſermone duplicatur, ea duplicatio apud Latinos M inſerto compenſatur.

V. *Sumphonja* ergo Danielicum itemque *Ambubaja* verba ſunt mere Chaldaea ſive Syra. Ac facile Acroni aſſentior apud quem ambo ſunt unius ejuſdemque animabilis inſtrumenti (29) ſynonyma.

Atque haec de eo dixiſſe ſufficiat, quod Danielicus Chaldaïſmus (cujus eximia puritas antiquis omnibus admirationi fuit) non tantum voculam nullam Graeco ſermoni debeat, ſed de ſuo potius penore verbis organorum aliquot Graeciam Latiumque ditaverit; ut alia plura millena taceam quae ex Oriente per Etruſcos noſtri homines imbiberunt.

& loco Syriaci אבוב *Abbub* (h. e. *Tibia*) Latinis *Ambub* efferre placuit, ex quo deinde adhibita forma emphatica, ſive Chaldaica Syraque deſinentiâ factum eſt *Ambubaja*.

(29) Ad illud Horatii, *Ambubajarum collegia* ſic Acron commentatur: *Ambubajae dicuntur mulieres tibicinae linguâ Syrorum. Etenim Syris tibia ſive Symphonja, ambubaja* dicitur.

A P P E N D I X

De Danielis libro ex LXXvirali interpretatione: qui olim deperditus, nunc demum in Chiſianis membranis prodiit: ex quo & ex Theodotione hîc illa tantum, in quibus organorum nomina ſunt, producuntur.

P A R S P R I O R

Hieronymus (*Praefatione in Danielem*) jam olim monuerat, Prophetam hunc *Non juxta LXX interpp. ſed juxta Theodotionem Eccleſias legere*, additis tamen ab Origene aſteriſcis (30) & obelis. Ex quibus verbis arguitur, non aliam fuiſſe cauſam cur proceſſu temporis textus prophetae ex LXX deperierit, quam quia lectionis Danielicae juxta LXXviros deſuetudinem mox conſecuta fuerit & ejus Prophetae tranſcribendi deſuetudo, in tantum ut eo tandem deventum fuerit ut Seniorum Danielicus textus rariſſimus ac ferme pro deplorato haberetur; & in Graecis omnibus Biblior. LXXviralium editionibus Daniel non ille proſtaret, quem ipſi LXX dediſſent, ſed quem Theodotion elucubraverat, qui mature admodum in locum LXXvirorum invaſerat.

Et eo jam res loci erat, cum ecce auditum fuit anno ſuperiore in Chiſiano Seniorum quantivis pretii Codice exſtare LXXviralem Danielis interpretationem

a Theo-

[30] Verba Hieronymi loco cit. haec ſunt: *Sed & Origenes de Theodotionis opere in Editione Vulgata* (*Vulgatae* nomine LXXviralem intellige) *aſteriſcos poſuit, docens defuiſſe quae addita ſunt, & rurſus quosdam verſus obelis praenotavit, ſuperflua quaeque deſignans*. Ex quibus verbis arguitur, Originem LXX ex Theodotione emendaſſe, non contra. Nec aliter in his membranis viſitur: in quibus *aſteriſci* & *obeli* aliquoties in LXX obſervantur, in Theodotione numquam. Verum de his notis vide in fine Appendicis hujus.

a Theodotionea diſtinctam . Imo humanitate Joſephi Simiolii , viri eruditiſſ. ſimulque amiciſſimi tranſmiſſum ad me fuit initium Danielicae LXXvirûm verſionis cum Theodotione copulatum . Geminis enim columnis Daniel Seniorum a Theodotioneo dirimebatur . Nam Conſpectus Graeci Danielis ſimul ex Typographia *De propaganda* prodiit , ut ſpecimen eſſet ſecuturae ſtatim ejus Prophetae editioni praevium , quam in Tetrapli forma jam elucubravit vir ad utiliſſima quaeque quamvis laborioſa opera aggredienda & perficienda natus Joſeph Blanchinus Romani Oratorii Presbyter , idemque Franciſci Blanchini viri celeberrimi , fratris filius . Is ergo ad prelum habet jam id opus paratum .

Haec ubi mihi nuntiata fuiſſent , rogavi Joſephum Simiolium (quem ſupra laudavi , ſed numquam pro ingentibus viri meritis) uti ex Blanchini tetraplo LXXviralia Organorum nomina , quae Danielis cap. III. 5. 7. 10. 15. uſurpantur, tranſcribenda curaret & ad me mitteret : id quod dicto citius, imo & ſupra petita praeſtitit. Nec enim tantum nomina muſicorum inſtrumentorum, ſed textum integrum (tam LXXvirûm quam Theodotionis) e veſtigio habere me juſſit . Ac ſane tam Blanchini quam Simiolii beneficio ingratus exſiſterem , niſi hîc opportuno loco ex Danielis cap. III. totum id , quod duoviri tanti dono miſerunt , columnis diſcretum exhiberem .

Δανιὴλ κατὰ Ō.

Κεφ. γʹ

Ex Codice Chiſiano .

(V.4.) Καὶ κήρυξ ἐκήρυξε τοῖς ὄχλοις· ὑμῖν παραγγέλεται, ἔθνη, καὶ χῶραι, λαοὶ, καὶ γλῶσσαι, (5) ὅτ' ἂν ἀκούσητε τῆς φωνῆς τῆς σάλπιγγος, σύριγγος, καὶ κιθάρας, σαμβύκης, καὶ ψαλτηρίου, συμφωνίας, καὶ παντὸς γένους μουσικῶν, πεσόντες προσκυνήσατε τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ, ἣν ἔστησε Ναβουχοδονόσορ βασιλεὺς. (6) Καὶ πᾶς ὃς ἂν μὴ πεσὼν προσκυνήσῃ· αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ἐμβαλοῦσιν αὐτὸν εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην. (7) Καὶ ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ, ὅτε ἤκουσαν πάντα τὰ ἔθνη τῆς φωνῆς τῆς σάλπιγγος· σύριγγός τε καὶ κιθάρας, σαμβύκης· τε καὶ ψαλτηρίου (obel.) καὶ παντὸς ἤχου μουσικῶν, πίπτοντα πάντα τὰ ἔθνη, φυλαὶ, καὶ γλῶσσαι προσεκύνησαν τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ, ἣν ἔστησε Ναβουχοδονόσορ· ὁ βασιλεὺς κατέναντι τούτου. (8) Ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ προσελθόντες ἄνδρες χαλδαῖοι, διέβαλον τοὺς Ἰουδαίους, καὶ ὑπολαβόντες εἶπον· Ναβουχοδονόσορ τῷ βασιλεῖ. (9) Κύριε βασιλεῦ, εἰς τὸν αἰῶνα ζῆθι. (10) Σὺ βασιλεῦ προσέταξας, καὶ ἔκρινας, ἵνα πᾶς ἄνθρωπος ὃς ἂν

Δανιὴλ κατὰ Θ̄.

Κεφ. γʹ

Ex eodem Codice Chiſiano .

(4) Καὶ κήρυξ ἐβόα ἐν ἰσχύϊ, ὑμῖν λέγεται, ἔθνη λαοὶ φυλαὶ, γλῶσσαι, (5) ᾗ ἂν ὥρᾳ ἀκούσητε φωνῆς, σάλπιγγος, σύριγγός τε, καὶ κιθάρας, σαμβύκης, καὶ ψαλτηρίου, καὶ συμφωνίας, καὶ παντὸς γένους μουσικῶν, πίπτοντες προσκυνεῖτε τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ, ἣν ἔστησεν Ναβουχοδονόσορ ὁ Βασιλεὺς. (6) Καὶ ὃς ἂν μὴ πεσὼν προσκυνήσῃ, αὐτῇ τῇ ὥρᾳ βληθήσεται εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην. (7) Καὶ ἐγένετο ὅτε ἤκουν οἱ λαοὶ τῆς φωνῆς τῆς σάλπιγγος, σύριγγός τε, καὶ κιθάρας, σαμβούκης, καὶ ψαλτηρίου, καὶ συμφωνίας, καὶ παντὸς γένους μουσικῶν, πίπτοντες οἱ λαοὶ, φυλαὶ γλῶσσαι προσεκύνουν τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ, ἣν ἔστησεν Ναβουχοδονόσορ ὁ βασιλεὺς κατέναντι τούτου. (8) Τότε προσῆλθον ἄνδρες χαλδαῖοι, καὶ διέβαλον τοὺς Ἰουδαίους, καὶ ἀποκριθέντες εἶπον τῷ βασιλεῖ Ναβουχοδονόσορ. (9) Βασιλεῦ εἰς τοὺς αἰῶνας ζῆθι. (10) σὺ βασιλεῦ, ἔθηκας δόγμα, πάντα ἄνθρωπον, ὃς ἂν

Digitized by Google

ἂν ἀκούσῃ τῆς φωνῆς τῆς σάλπιγγος * σύριγγός τε καὶ σαμβύκης, * κιθάρας καὶ ψαλτηρίου (obel.) καὶ παντὸς ἤχου μουσικῶν, (11) πεσὼν προσκυνήσῃ τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ Καὶ ὃς ἂν μὴ πεσὼν προσκυνήσῃ, ἐμβληθήσεται εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην. (12) Εἰσὶ δέ τινες ἄνδρες Ἰουδαῖοι, οὓς κατέστησας ἐπὶ τῆς χώρας τῆς Βαβυλωνίας, Σεδρὰχ, Μισὰχ, Ἀβδεναγὼ, οἱ ἄνθρωποι ἐκεῖνοι οὐκ ἐφοβήθησάν σου τὴν ἐντολὴν, καὶ τῷ εἰδώλῳ σου οὐκ ἐλάτρευσαν, καὶ τῇ εἰκόνι σου τῇ χρυσῇ, ᾗ ἔστησας, οὐ προσεκύνησαν. (13) Τότε Ναβουχοδονόσορ θυμωθεὶς ὀργῇ, προσέταξεν ἀγαγεῖν τὸν Σεδρὰχ, Μισὰχ, Ἀβδεναγὼ. Τότε οἱ ἄνθρωποι ἤχθησαν πρὸς τὸν βασιλέα, (14) οὓς καὶ συνιδὼν Ναβουχοδονόσορ ὁ βασιλεὺς, εἶπεν αὐτοῖς· διατὶ Σεδρὰχ, Μισὰχ, Ἀβδεναγὼ τοῖς θεοῖς μου οὐ λατρεύετε, καὶ τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ, ἣν ἔστησα, οὐ προσκυνεῖτε. (15) Καὶ νῦν εἰ μὲν ἔχετε ἑτοίμως ἅμα τῷ ἀκοῦσαι τῆς σάλπιγγος * σύριγγός τε * καὶ κιθάρας σαμβύκης τε, καὶ * ψαλτηρίου, καὶ συμφωνίας (obel.) καὶ παντὸς ἤχου μουσικῶν, πεσόντες προσκυνῆσαι τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ [obel.].

ἂν ἀκούσῃ τῆς φωνῆς τῆς σάλπιγγος, σύριγγός τε, καὶ κιθάρας, σαμβούκης τε, καὶ ψαλτηρίου, καὶ συμφωνίας, καὶ παντὸς γένους μουσικῶν, (11) πεσεῖται, καὶ προσκυνήσει τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ, καὶ ὃς ἂν μὴ πεσὼν προσκυνήσῃ, ἐμβληθήσεται εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς τὴν καιομένην. (12) Εἰσὶ οὖν ἄνδρες Ἰουδαῖοι, οὓς κατέστησας ἐπὶ τὰ ἔργα τῆς χώρας Βαβυλῶνος, Σεδρὰχ, Μισὰχ, Ἀβδεναγὼ, οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι οὐχ ὑπήκουσαν τῷ δόγματί σου, βασιλεῦ, καὶ τοῖς θεοῖς σου οὐ λατρεύουσι, καὶ τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ, ᾗ ἔστησας, οὐ προσκυνοῦσι. (13) Τότε Ναβουχοδονόσορ ἐν θυμῷ καὶ ὀργῇ εἶπεν ἀγαγεῖν τὸν Σεδρὰχ, Μισὰχ, καὶ Ἀβδεναγὼ. καὶ οἱ ἄνδρες ἐκεῖνοι ἤχθησαν ἐνώπιον τοῦ βασιλέως. (14) Καὶ ἀπεκρίθη Ναβουχοδονόσορ, καὶ εἶπεν αὐτοῖς, εἰ ἀληθῶς Σεδρὰχ, Μισὰχ, καὶ Ἀβδεναγὼ τοῖς θεοῖς μου οὐ λατρεύετε, καὶ τῇ εἰκόνι τῇ χρυσῇ, ᾗ ἔστησα, οὐ προσκυνεῖτε. (15) Νῦν οὖν εἰ ἔχετε ἑτοίμως, ἵνα ὡς ἂν ἀκούσητε τῆς φωνῆς τῆς σάλπιγγος, σύριγγός τε, καὶ κιθάρας, σαμβούκης, καὶ ψαλτηρίου, καὶ συμφωνίας, καὶ παντὸς γένους μουσικῶν, πεσόντες προσκυνεῖτε τῇ εἰκόνι, ᾗ ἐποίησα.

ADNOTATA QVAEDAM

NOn putavi ab re fore, ſi ad aliquot verſus invicem inter ſe collatos paucula adnotarem. Ceterum plura & praeclara a Blanchino Clariſſ. propediem habebimus.

Ver. 5. in Theodotione vox illa *σαμβούκης* ſcripturae ſingularis eſt: quae quidem non tantum in LXX hîc, ſed & in omnibus Graecis ſcriptoribus *Σαμβύκη* eſt, abjecta priore diphthongi vocali: neque ſolum ubi eſt organi nomen, ita ſcribitur ſine O, verum etiam ubi eſt machina bellica. At in Theodotione non tantum hoc verſu, ſed & in ſequentibus illud *μουσικῶν* vim ſubſtantivi habet, ſubaudito nempe *ὀργάνων*: quod imitatus eſt Auguſtinus in loco quem ſup. pag. 308. Adnot. 15. attuli. Hipponenſis autem non aliunde id imitatus videtur, quam ex Itala loci hujus verſione.

Ver. 6. hîc primum Aſteriſcorum a Theodotione inſertorum nota occurrit: quae in Cod. Chiſiano hujuſmodi ※ eſt. Ejus loco tamen communem typographicam aſteriſcorum notam uſurpavi.

Ver. 7. in fine tam in LXX quam in Theodotione legitur *κατέναντι τούτου*: quod membrum deeſt in omnibus editionibus putativae LXXviralis: imo deeſt & in Chaldaeo Danielis, inque Syro & Arabe.

Ver. 10. in LXX deeſt *συμφωνίας*, nec tamen ibi nota ulla inſeritur.

Ver. 15. initio in his *Εἰ ἔχετε ἑτοίμως*, illud *εἰ* interrogandi vim habet, ut ſit, *Vtrum*, *An*. In fine folii ad me tranſmiſſi deſunt pluſcula, quibus in Vulgatis exemplaribus verſus hic 15. completur: *ἐὰν δὲ μὴ* &c. Sed ea ab ipſo Chiſiano fonte minime abeſſe, nec a Tetraplo Blanchiniano abſutura ſpero.

PARS

ſunt] lectori ſemel (32) oſtendere : nam ceteroqui in Chiſiano textu exhibendo ſatis eſſe duxi, ſi in Graeco LXXvirali textu typographicam ſtellulam * loco Chiſiani aſteriſci darem, ac loco Obeli adſcriberem τὸ (*obel.*).

Atque has in calce hujus primi voluminis parciſſimas de Danielis* Chiſiani ἀποσπασματίῳ [quod ad me doctiſſimorum Blanchini & Simiolii munificentia nuper ſubmiſſum fuit] adnotaſſe ſufficiat : de quibus multo uberiora & ſolidiora diſcemus ex Tetraplo Danielico, quo propediem Clariſſ. Blanchinus Biblicarum antiquitatum ſtudioſos donabit.

(32) In Chiſiano LXXvirali textu *Aſteriſcus* ita ſemper ſignatur ※. At vero *Obelus* ῥάβδου ſeu virgae [verum dextrorſum paullum inclinatae in modum accentûs acuti longioris] ſpeciem exhibet ; eique longiori virgae, minor altera ſubeſt in hunc modum ⸓

F I N I S.

INDEX

Cap.		pag.
XXXVIII.	2.	239.c.2.
	3.	240.c.2.
	6.	233.c.2.
Danielis		
III.	5.	301. & ſeqq.
Oſeae		
XII.	12.	102.n.1.
Amos		
V.	26.	257.n.37.
IX.	7.	283.c.2.
Nahum		
III.	8.	198.n.3.
Zachariae		
I.	8.	234.c.1.
I. Machabaeorum		
I.	1.& VIII.5.	253 n.24.
II. Machabaeorum		
VI.	7.	138.
Matthaei		
I.		1.n.2.& 2.n.3.
XXI.	2.& 3.	231.n.15.
Marci		
VII.	2. 5.	192.c.2.
Lucae		
II.	14.	14.
	24.	82.

Cap.		pag.
	44.	147.
XV.	25.	311.
XVIII.	5.	101.n.7.
Joannis		
III.	14.	192.c.2.
XIII.	28.	192.c.2.
IX.	7.	228.c.1.
XII.	32. 34.	192.c.2.
XIX.	24.	217.
Actuum Apoſtolorum		
X. & XI.		192.c.2.
XIV.	15.	29.
XV.	23.	58.n.6.
Pauli ad Romanos		
IV.	17.	18.
XIV.		192.c.2.
ad Epheſios		
V.	22.	38.& 41.
II. ad Timotheum		
IV.	13.	XXI.
ad Philemonem		
II.	6.	192.n.8.
Apocalypſeos		
III.	14.	12.
XX.	7.	239.c.2.& 243.c.2.

INDEX SECVNDVS

Scriptorum, qui notantur, illuſtrantur, reſtituuntur.

A

ABen-Ezra notatus 250.c.1.
Abydenus apud Euſeb. illuſtr. 70. & 72.
Achmetis Ὀνειροκριτ. *illuſtr.* 139.
Acron laudatus 315.
Aeliano antiqua lectio aſſeritur 276.n.8.
Aeſchylus illuſtr. 254.n.25.
Afranius apud Nonium illuſtr. 37.
Agathodaemonis Tabulae Ptolemaicae illuſtr. 33. *reſtituuntur* 247.n.13.
Albertus Jo: laudat. 198.c.2.
S. Ambroſius laud. 17. *illuſtr.* 84. *expl.* 122. & 130.n.1.
Ammianus Marcellinus illuſtr. 50. & 260.n.38.
Antonini Itinerarium illuſtr. 183.c.2.
Apuleius illuſtr. 308.n.15.
Aquila defenditur 14. *expon.* 15.
Ariſtophanes illuſtr. 181.c.1.
Ariſtoteles illuſtr. 76. 118.n.2.c.1. 198.n.3. *explic.* 306.n.10.
Arrianus apud Suidam illuſtr. 113.n.3. *expl.* 247.n.13.
Artapanus apud Euſebium illuſtr. 163.n.6.
Aſconius Pedianus illuſtr. 313.n.24.
Aſſemanus Evodius laudatus XXII.n.3.
S. Aſterius illuſtr. 92.
Aſchenaeus illuſtr. 23.n.10. 115. 136.n.8. 198.c.1. 241.n.6. *notatus* 267.n.56. *illuſtr.* 303.n.4. 311.
S. Auguſtinus illuſtr. 111. 308.n.15. *explic.* 137.n.8. *reſtituitur* 155.n.3.

B

Barthelemy laudatus XXII.n.3.c.2.
S. Baſilius illuſtr. 11. 13. 16.
Baſnagius Jacobus refellitur 217.c.1. & *ſeq.*
Baſnagius Samuel not. 222.c.1. *refutatur* 224.c.2.
Blanchinus Joſeph laudatus 316.
Bochartus Samuel laud. 48. 209.n.20. 237.c.2. 239.n.4. *notat.* 56. 184.c.2. 238.n.3. 258.c.2. 272.c.1. 283.c.1. 286.c.2. 287.c.2. 289.c.2.
Boethius illuſtr. 33.n.7.
S. Bruno Aſtenſis illuſtr. 121.n.5.
Buxtorfius notatus 303. & 309.

C

Cajetanus Card. laudatus 202.n.1.
Callimachus illuſtr. 115.

Calmetus Auguſtinus laudatus 32. & 103. *n.* 4. *notatus* 140. 141. 147. 211. *c.* 2. 237. *c.* 2. 240. *c.* 1. 248. *n.* 15. 258. *n.* 36. & 259. *c.* 2.
Caninius Angelus notatus 307.
Capitolinus illuſtr. 79.
Caſaubonus laudatus & *notatus* 212. *n.* 3.
Caſſiodorus illuſtr. 144. *n.* 9.
Caſtelius Edmundus notatus 307.
Catullus illuſtr. 83. & 88. *n.* 1.
Cedrenus illuſtr. 4. *n.* 4. & 5. *corrigitur* 5. *n.* 7. *illuſtr.* 254. *n.* 27.
Cellarius laud. 156. *notat.* 187. *c.* 1.
Cenſorinus illuſtr. 50.
Cicero illuſtr. 11. 42. *n.* 1. 308. *n.* 15.
Claudianus illuſtr. 144. *n.* 8.
Clemens Alexandrinus illuſtr. 2. 36.
S. Clementis Conſtitutiones expon. & *illuſtr.* XX.
Clericus Jo: notatus 31.
Claverius notatus 186. *c.* 2.
S. Cyprianus illuſtr. 81. *n.* 3. *emendatus* 168. *n.* 1. *explic.* 232. *c.* 2.
Cyrilli Gloſſae reſtituunt. & *illuſtrant.* 106. *n.* 7. 111. 136. *n.* 8. 306. *n.* 10.

D

Dalecampius notatus 385. *c.* 2.
Damaſcii Damaſceni apud Photium locus illuſtr. 216. *c.* 2.
Demoſthenes illuſtr. 41. & 50.
Diodorus Siculus notatus 27. 39. & 294. *c.* 1. *illuſtr.* 385. *c.* 2. *explic.* 288. *n.* 23.
Diodorus Tarſenſis refutatus 39. 56. *n.* 3. *illuſtr.* 151.
Diomedes illuſtr. 292. *n.* 2.
Dionyſius Halicarnaſ. illuſtr. 76. 188. *c.* 1. 207. *n.* 16. 208. *c.* 2. 273. *c.* 2. 292. *n.* 3. & 296. *c.* 1.

E

Ennius illuſtr. 37. 179. *c.* 1. 185. *c.* 1.
Ephori apud Strabonem locus expeditur 284. *n.* 19.
S. Epiphanius illuſtr. XXII. *n.* 3.
Euripides illuſtr. 91. *n.* 2. 172.
Euſebius illuſtr. 2. 11. 25. 254. *n.* 27.
Euſtathius exponit. 8. *n.* 20. *notatur* 55. *n.* 2. *c.* 1. 88. 216. *n.* 14. *illuſtr.* 251. *n.* 17. 252. *n.* 21. 266. *n.* 55. 279. *c.* 2. 280. *c.* 1.

F

Falconerius Octavius laudatus 49. 198. *c.* 1.
Favorinus Varinus illuſtr. 216. *n.* 11. *notatus ibid. n.* 14. *explic.* 280. *c.* 1.
Feithius laudatus 43.
Feſtus Avienus illuſtratus 50.
Feſtus Pompeius illuſtr. 49. 135. 178. *n.* 3. *notatus* 168. *n.* 2.
Floridus Julianus notatus 308. *n.* 15.
Fortunatus illuſtratus 310.
Fullerus laudatus 233. *c.* 2. 238. *c.* 2.

G

Gale Thomas refellitur 6. *n.* 15.
A. Gellius illuſtr. 139. *n.* 9. 213. *c.* 2. *reſtit.* 214. *n.* 6.
Grotius notatus 72. 197. *c.* 1. 301. 309. *laudatus* 149.
Gutherius Jacobus notatus 35. *n.* 11.

H

Harduinus Jo: notatus 32. *n.* 3. 52. 123. *n.* 1.
Herodianus illuſtr. 24. *n.* 13. 183. *c.* 2. 313. *n.* 25.
Herodotus illuſtr. 113. 115. 129. 173. 174. *n.* 6. 198. *n.* 3. 221. *n.* 5. 260. *n.* 38. & 39. 261. *n.* 41. 291. *c.* 2.
Heſiodus defenditur 6. *n.* 15. *notatur* 43. *illuſtr.* 107. *n.* 1. 178. *c.* 2. & *ſeq.* 190. *n.* 2. 255. *n.* 30.
Heſychius illuſtr. 16. *n.* 4. 55. *n.* 2. *c.* 2. 198. *c.* 1. 280. *c.* 1. 285. *n.* 20. 303. *n.* 3. *emendat.* 197. *c.* 2. *notat.* 307. *n.* 11. *ei vera lectio aſſeritur* & *explicatur* 213. *n.* 3.
S. Hieronymus illuſtr. 16. 113. *n.* 4. 119. *n.* 1. 145. *n.* 10. 151. 211. *c.* 2. *laudat.* 154. *defenditur* 132. *n.* 2. *c.* 2. 170. *n.* 7.
Homerus illuſtr. XIX. *n.* 2. 23. *n.* 10. 24. *n.* 12. 36. 39. 42. 49. 55. *n.* 2. *c.* 1. 58. *n.* 5. 60. 82. 88. 107. *n.* 1. 120. *n.* 4. 134. 149. *n.* 1. 190. *n.* 2. 194. *n.* 11. 232. *n.* 16. 238. *n.* 4. 241. *c.* 1. 242. *n.* 8. 249. *c.* 2. 254. *n.* 25. 260. *n.* 38. 262. *c.* 1. 264. *n.* 49. 265. *nn.* 51. & 52. 273. *c.* 1. 275. *n.* 6. 279. *c.* 1. 286. *c.* 1. 291. *c.* 2. 296. *c.* 1. *reſtituit.* 279. *c.* 2.
Horatius illuſtr. 94. 171.
Hudſonus notatus 61. 86. *n.* 2.
Huetius Daniel notatus 7. *n.* 16. 32. 224. *c.* 1.

I

Jacutius Matthaeus laudatus 80. *n.* 3.
Illiberitani Concilii Canon exponit. 37.
Inſcriptiones illuſtratae
Campana 35.
Fabrettiana 12.
Gruteriana 104. *n.* 3.
Mabilloniana 17. *n.* 5.
S. Jo: Chryſoſtomus illuſtr. XX.
Jonathan illuſtr. 120. *nn.* 2. & 3. 212. *c.* 2. & *n.* 3. 227. *c.* 1.
Jornandes illuſtr. 187. *n.* 7.
Fl. Joſephus illuſtr. 43. 71. 86. *exponit.* 61. & *ſeq.* 108. 237. *c.* 1. 249. *c.* 1. 258. *n.* 36. 307. *notatur* 211. *c.* 1.
S. Iſidorus illuſtr. 50. 76. *n.* 3. *notat.* 308. *explic.* 310
Iſonis Magiſtri Gloſſae illuſtrant. 310.
Julianus illuſtr. 57.
Juvenalis illuſtr. 195. *n.* 11.

K

Kuſterus notatus 174. *n.* 6.

L

Laertius illuſtr. 13.
Lampridius illuſtr. 47.
Livius exponitur 47. 276. *n.* 9. *illuſtr.* 50. 84. 99. *n.* 4.
Livius Andronicus apud Feſtum illuſtr. 185. *c.* 1.
Longinus illuſtr. 18. *n.* 6.
Lucanus illuſtr. 33. *n.* 7.
Lucianus illuſtr. 52.

Lu-

Digitized by Google

Lucretius explic. 26. notatur 43. illuſtr. 99. & ſeq. 196. c. 2.
Lycophron illuſtr. 115. 166. 176. n. 7. 280. c. 1.

M

Mabillonius laudatus 17. n. 5.
Malalas illuſtr. 4. nn. 4. & 5. corrigit. 5. nn. 6. & 7.
Manethos apud Joſephum illuſtr. 157. & ſeq.
Martialis illuſtr. 49. 174. n. 5. 211. c. 1.
Medus Joſephus notatus 243. c. 2.
Menander illuſtr. 109.
Menandri Tyrii loco lux 252. n. 23.
Mendoza Franciſcus (de) notatus 37.
Meſſala Corvinus explicatus 277. c. 1.
Miſna illuſtr. 113. n. 4.
Morinus Stephanus notatus 79.

N

Naevius exponitur 135. n. 5.
Nicolaus Damaſcenus apud Joſephum defenditur 229. n. 10.

O

Onkelos exponitur 120. n. 3. 137. 212. c. 2.
Origeni lux 11.
Ovidio lux 179. c. 1.
Oxonienſia Marmora illuſtrantur 55. n. 2. c. 2.

P

Palmerius notatus 242. n. 8.
Papias exponitur 310.
Paullus JCtus illuſtr. 308. n. 14.
Pauſanias illuſtr. 91. n. 2. 292. n. 2.
Peregrinius Camillus notatus 140.
Petavius Dionyſius notatus 14.
Peutingeriana Tabula illuſtr. 24. n. 13. 183. c. 1.
Philo illuſtr. 2. 36. 58. n. 5. c. 2. 201. n. 13. 217. n. 15.
Philoxeni Gloſſae illuſtrantur 155. n. 3.
Pindaro lux 254. n. 25.
S. Pionii Mart. Acta illuſtrantur 87. n. 3.
Plato illuſtr. 23. n. 10. 36. ejuſdem locus apud Strabonem illuſtr. 273. n. 4. excuſat. 284. n. 19.
Plautus illuſtr. 37. 60. 88. n. 1. 211. c. 2. 214. n. 8. exponitur 69. n. 6. c. 1.
Plinius reſtituitur & illuſtr. 24. n. 13. 32. n. 5. 61. 65. n. 2. c. 2. 82. 91. n. 2. 127. 135. n. 6. 142. nn. 5. & 6. 157. 183. c. 1. 185. c. 2. & ſeq. 195. n. 11. 206. c. 2. 211. c. 1. 233. c. 2. 234. n. 17. 247. n. 13. 252. n. 19. 289. c. 1. 294. n. 7. 308. n. 15. 310. & ſeq. 314. n. 26. reſtituitur 187. c. 2. notatur 188. c. 1.
Plutarchus illuſtr. 95. 221. n. 5.
Politianus Angelus notatus 307.
Pollux illuſtr. 215. c. 2. & ſeq. exponitur 306. n. 10.
Polybius illuſtr. 138. 189. c. 1. explic. 187. c. 1.
Proclus illuſtr. 19. 180. n. 7.
Ptolemaeus illuſtr. 32. n. 5. eidem vera lectio aſſeritur 247. n. 13.
Pytheas apud Strabonem illuſtr. 177. n. 2.

S

Sabbaterius laudatus XVIII. 155. n. 3.
Salluſtius apud Senecam illuſtr. 33. n. 7.
Salmaſius notatus 65. n. 2. c. 1. 99. n. 5. 212. c. 1. laudatus 310. refellitur 213. nn. 3. & 4.
Sanctius refutatur 248. c. 1. & ſeq.
Scaliger Joſephus laudatus 4. n. 5. defenſus 51. notatus 79.
Scepſius apud Strabonem illuſtr. 294. c. 1.
Scholiaſtes Apollonii illuſtr. 294. c. 1.
Scholiaſtes Ariſtophanis illuſtr. 62. n. 11.
Scholiaſtes Homeri notatus 241. c. 2.
Scripturarum Hebraico Fonti vera lectio reſtituitur 160. 169. 312.
Scripturarum Vulgatae Verſioni vera lectio reſtituitur 170. n. 7.
Servius illuſtr. 58. n. 5. c. 2. 277. c. 1. & ſeq. 281. c. 1. 313. n. 24. notatus 60.
Severianus Gabalitanus laudatus 15.
Simiolius Joſephus laudatus 316.
Sotion exponitur 310. & 314. n. 26.
Stephanus Ethnicographus illuſtr. 74. 244. c. 2. 264. n. 50. 285. n. 20.
Strabo illuſtr. 32. n. 5. 33. n. 7. 50. 74. 238. n. 3. 254. n. 25. 260. nn. 38. & 40. 261. n. 41. 264. c. 2. 265. nn. 50. & 53. 275. nn. 6. & 7. 276. c. 1. 292. n. 2. 293. c. 1. 303. n. 5. explicatus 241. n. 7. 242. n. 8. 251. n. 17. 280. n. 14. 287. c. 1. 289. c. 1. 290. n. 27. 294. n. 6. 295. c. 1. reſtitutus 252. n. 19. 284. n. 18. notatus 293. c. 2.
Suetonius illuſtr. 223. n. 2.
Suidas illuſtr. 4. n. 4. 254. c. 2. defenſus 5. n. 7. expoſitus 8. emend. 198. c. 2. notatus 216. n. 14.
Symmachus exponitur & defenditur 78.

T

Corn. Tacitus illuſtr. 75. n. 1. 86. 223. n. 2. 243. n. 9.
Targum Hieroſolymitanum exponit. 227. c. 1.
Tatianus illuſtr. 12.
Tertullianus illuſtr. 91. n. 2. 233. c. 1.
Themiſtio lux 16.
Theocritus illuſtr. 55. n. 2. c. 1. 166.
Theodoretus laudatus 45.
S. Theophilus Antiochenus illuſtr. 2. expoſitus 12.
Thucydidee illuſtr. 23. n. 10. 260. n. 40.
Trebellius Pollio illuſtr. 47. 212. n. 3.
Turneminius refutatur 224. c. 1.
Jo: Tzetzes illuſtr. 115. 177. n. 2. 280. c. 1. notatus 216. n. 14.

V

Varro illuſtr. 47. 135. nn. 5. & 6. 142. n. 6.
Verrius Flaccus illuſtr. 83.
Virgilius illuſtr. XIX. n. 2. c. 2. 23. n. 10. 58. n. 5. c. 2. 60. 195. n. 11. 313. n. 24. expoſitus 277. c. 1. & ſeq.
Vitruvius illuſtr. 27.
Vopiſcus illuſtr. 212. c. 1.
Voſſius Jo: notatus 31. n. 1. 168. n. 2.
Vſſerius notatus 146.

X

Xenophon illuſtr. 261. n. 41. explic. 295. nn. 8. & 9.
Xylander notatus 4. n. 5.

INDEX TERTIVS

Vocum aliquot Hebraearum explicatarum .

א

אביר *Abir*, כאביר *Cabir* & כביר *Cabir* Dei nomina 171. interdum & de hominibus uſurpata *ibid.*

אביר יעקוב *Abir Jaacob*, *Potens* aut *Fortis Jacobi*, unum ex Dei nominibus 171. unde id nomen Deo quaeſitum *ib.*

אברך *Abrech* quid 143. variae hujus vocis interpretationes 144.

ארן *Eden*, proprium loci nomen 31. an alia quoque loca Moſis tempore id nomen conſecuta *ib.*

און *On* quid 146.

אות *Oth* quid 42.

אז *Az* non raro pro מאז *Meaz* uſurpatum 72.

איים *Jim*, Hebraeis loca omnia quae mari alluuntur vocata 244. *n.*10. 248. *n.*14. 267. *c.*2.

אל *El*, hujus vocis primaria notio quae 112. & *ib. n.*1.

אלמה *Alummah* quid 123.

אנשי השם *Anshe Haſshem* quid 190. *c.*1. & *ſeq.* an ἀορισικὰ Gigantum appellatio ea ſit *ib.*

אפה *Opheh* quid 131. 135.

ארגז *Argaz* quid 200. *n.* 9.

ארים *Atres* quid 267. *n.* 57. an primitiva vox *ibid.*

ב

ברכה *Berechah* quid 26.

ג

גפר *Gopher* quid 48.

ד

ר & ב (*Daleth* & *Res*) apud Orientales quam ſaepiſſime alternant 272. *c.*1. & paſſim alibi.

דגה *Dagah* quid 27.

דוד & דודאים *Dod* & *Dudaim* quid 109. & *ſeq.* 288. *n.*24. an *Roſam* ſignificarit *ib.*

ה

ה *He* littera veteribus Hebraeis tantumdem quod Graecis E 34. *n.* 9.

ו

ורדא *Varda* Chaldaeis quid 110. *n.* 4. ea vox unde detorta *ib.* & 288. *n.* 24.

ז

זבל *Zabal* quid 160.

ח

חברה *Habra* quid 108.

חדר *Chadar* quid 150.

חכלילי *Hacſili* quid 168. & *ſeq.*

חרי *Chori* quid 137.

ט

טירה *Tiroth* quid 94.

י

ימים *Jemim* quid 119. & *ſeq.*

יקהת *Ikkehath* quid 228. *c.*1.

כ

כאביר *Cabir*, & כביר *Cabir* V. אביר .

כבס *Chibbes* quid, quidve כובסים *Chobeſim* 234. *c.* 1.

כזיב *Chezib* quid 126.

כי *Chi* non raro idem quod *Idcirco* 219. *c.* 2.

כיון *Chiun* ſive *Chion* Amoſo Prophetae idem ac Chananaeorum & Phoenicum *Saturnus* 257. *n.* 35.

כנור *Cinnor* Hebraeis quid 306. & *ſeq.* variae ejus interpretationes apud LXX *ib.*

כנרא *Cennoro* Syrorum idem quod Hebraeorum כנור *Cinnor* 306. quid fuerit 307.

כסף *Cheſeph*, quod Joſeph Benjamino dedit, quid 156.

כתים *Chittim* Hebraeis tantumdem quod Inſulae 250. *n.* 16. hujus vocis etymon *ibid.* מ Mem in hac voce an radicale *ibid.* an vox ſingularis numeri *ib.* *Latendi* notionem obtinet 256. *c.*1. voces כתם & כתים *Chetema* & *Chetim* Arabibus quid *ib. n.* 34.

מ

כבין רגליו *Mibben Raglau* quid 229. *c.*1. & *ſeq.*

מן *Min* particula non raro pro *Ad* uſurpata 167.

מפלצת *Miphletſeth* quid 298. *c.* 2.

מצבה *Matſebah* quid 104. *n.* 3. an haec vox de columnis, deque informibus ſimulacris unquam accipiatur *ib.* an Statuas ἀκμῶνας dictas quoque notarit *ib.*

מקצה *Miktſeh* quid 158.

מראשות *Meraashoth* quid 103.

מרקולים *Markolis* quid 113. *n.* 4.

משי *Meſchi* quid 233. *c.* 2.

מסך *Meſech* quid 259. *n.* 37.

משנה *Miſneh* quid 143.

משפתים *Mishpetaim* quid 170.

נ

נחש *Nachash* quid 151. *n.* 1.

נעמה *Naema* quid 170. *n.* 7.

נערים *Naarim* quid 140.

נפילים *Nephilim* quid 190. *c.* 2.

נתן *Nathan* verbum non raro *deponendi* notione pollet 63. *n.* 15.

ס

סבכא *Sabbecha* quid 303. an Chaldaicum nomen *ib.*

סומפון *Sumphon* Talmudicis quid 311.

סר *Sur* quid 229. *c.* 1.

ספר

ספר *Saphar* in Targumiſtis quid 269. *n.* 5.
ספר *Sepher* abſolute uſurpatum Hebraeis quid XXI.

ע

עברי *I'ri* quid 220. *c.* 1.
עד כי *Ad Chi* quid 225. *n.* 4.
עליון *Elion*, unum ex propriis Dei nominibus 68. apud gentiles falſis numinibus etiam tributum *ib. n.* 6.
ענה *Anab* quid 116.
עשור *Aſor* quid 307. *n.* 12.

פ

פדן *Padan* quid 102. & *ib. n.* 2.
פן *Pen* quid 69. 202. *n.* 3.
פסא *Phaſſa* aut *Pinſa* apud Chaldaeos quid 212. *c.* 2.
פסים *Phaſſim* quid 211. *c.* 1. & *ſeq.* 215. *c.* 1. antiquae hujus vocis interpretationes *ib.*
פסנטרין *Peſanterin*, an vox Orientalis 304. an ex Graeco ψαλτήριον detorta *ibid.* ejus Orientale etymon *ib. n.* 8. genus organi muſici Regum Babyloniorum aevo tantum uſitatum 305. eo percrepante Principis juſſa denuntiabantur 304. *n.* 8. originatione & notione aliud quam ψαλτήριον 305. *n.* 9. cujuſmodi fuerit 306. & *ſeq.* ex genere pulſabilium organorum erat *ib.* idem ac Hebraeorum כנור *Cinnor* & Graecorum Κινύρα *ib.* Δεκάχορδον fuit 307.
פרגוד מצ׳ר *Pargod Metſajar* Jonathani quid 212. *c.* 2.
פרדס *Pardes* quid 30. *n.* 1. vocis etymologia *ib.* primitivum Paradiſi Edenici nomen *ib.* & 33.

צ

צאן *Tſon* quid 157. *n.* 2.
צפוניא *Sephunjo*, vox apud Syros paſſim pro *Tuba* ac *Tibia* ſive *Fiſtula* 312.
צפן *Saphan* verbum pro *Flare* olim Hebraeis uſitatum 312.
צפנת פענח *Tſaphnath Paaneach*, *Aegyptium Joſephi nomen* quid 145. & *ſeq.*

ק

קדם *Kedem* in Scripturis quid 31.
קורים *Kurim* quid 296. *n.* 10.
קין *Kain*, קינא *Kainojo*, & קינויותא *Kainojuto* Syris quid 43.
קרא *Kara* notione paſſiva uſurpatum 106. *n.* 9.

ר

רגל *Regel* quid 229. *c.* 1. & *ſeq.*
רודא *Rudo* quid & unde 110. *n.* 4. 288. *n.* 24.
רחבות *Rehoboth*, Aſſyriae Vrbs 209. *n.* 21.
רך *Rech* Hebraeis & Tyrrhenis olim tantumdem quod *Rex* 144.
רמש & שרץ *Ramas* & *Sharats* quid 26. 27. 54. verba plane ſynonyma *ib.* de omnium ex aequo animalium progreſſione uſurpata *ib. n.* 2.
רפאים *Rephaim* qui dicti 173. *n.* 4. & 190. *n.* 3.
רקיע *Rakiah* Hebraeis quid 20. 21. *n.* 8.

ש

שארית *Sheerit* quid 125.
שבוע *Shabua*, *Juſjurandum*, cur ita dictum 89.
שילוה *Shiloahh* an שילה *Shiloh* Meſſias vocatus 227. *c.* 2. hujus vocis origo & ſcriptura *ib.*
שכם *Shechem* quid 164. *n.* 1.
שלשים *Shilleshim* pro *Abnepotibus* uſurpatum 176.
שם *Shem*, hujus vocabuli etymon 13. & 191. *c.* 1. notiones *ib.* & 67. primitiva notione quid notet *ib.* & 191. *c.* 1. & 275. *n.* 6. unum ex propriis Dei nominibus 68. alterius nominis עליון *Elion* ſynonymum *ib.* interdum pro *Idolo* acceptum *ib.*
שמים *Shamaim*, *Caelum*, hujus vocis genuina originatio 13. 67. 191. *c.* 1. 275. *n.* 6. abſolute poſitum Chaldaeis tantumdem quod *Deus* 191. *n.* 7.
שרץ *Sharats* quid, V. רמש.
שרק *Sorek* quid, quidve סרוקים *Serukim* 232. *c.* 2. & 233. *c.* 2. & *ſeq.*
שרקה *Soreka*, *Vitis*, unde apud Hebraeos id nomen invenerit 232. *c.* 2.

ת

תבה *Thebah* quid 197. *c.* 1. & *ſeq.* hujus vocis origo & propagines *ib. c.* 2. cur Κιβωτὸν h.c. *Arcam* ſeu *Ciſtam* veteres Interpretes eam reddiderint *ib.*
תבוחים *Tebachim* quid 149. & *ſeq.*
תובאל *Tubal* quid 259. *n.* 37. quidve תובל קין *Thubal-Kain* 43.
תירס *Theres* quid 266. *n.* 55. an vox primitiva 267. *n.* 57. an potius ab אתרים *Atres ib.*
תשוקה *Theshukah* quid 38. & 41.
תשורה *Theshurah*, *Munus*, cur id nomen apud Hebraeos invenerit 149.

INDEX

Digitized by Google

verint ibid. in Aegypto quo tempore coli coeperint 2.4. c. 1.
Anocha urbs, v. Henoch urbs.
Anuli olim non ad ornatum, ſed ad ſignandum digito inſerti gerebantur 127. eorum antiquitas ib. ſerius ex Oriente eorum uſus in Graeciam manavit ib. ad ſponſiones quoque dati ib. Judicum olim inſigne ib.
Ἀόρατος Helleniſtis quid 15.
Apamea Phrygiae cur dicta Κιβωτὸς 197. c. 2. & ib. n. 2. cur Deucalionis hiſtoriam ſuis nummis inſculperet 198. c. 1.
Apneii populi ubi ſederint 261. n. 41.
Ἀπόδοσις Homero frequens p. XIX. n. 2. c. 2.
Ἀποτροφὰ quid 38. n. 3.
Apparere pro Exſtare 47.
Apprehendere quid 85.
Aqua unde 22. n. 9. *Aquam & Terram evadere* quid 39.
Aquila avium regina unde id nomen adepta 168. apud Tyrrhenos in auſpiciis ſupra ceteras aves obſervata ib.
Aquilus color unde dictus 168.
Ara quae 104. n. 3. ad ſacra facienda in columellae modum olim exſtructa ib. cippos omnes ſepulcrales haec vox etiam notabat ib. Arae ſepulcrales mortuis ibi conditis poſitae 35. n. 11.
Arabes in XII. Tribus diſtincti 73. n. 1. & 94.
Aram Naharaim quae urbs fuerit 102. n. 2.
Arca: hujus vocis etymologia 200. n. 11. arcae omnes olim vimineae ib. ſero ex aſſeribus compoſitae ib. Arca Noachica ex cupreſſu fabricata 48. primitiva Noachicae Arcae vocabula 197. Argo illa celebratiſſima, ejus imitatio fuit 199.
Arcus Latinis initio vox jaculatorum propria. 59. n. 7. cur tum Fornix, tum Iris apud eosdem Arcus audierint ib. vocis originatio ib. arcu praegrandi immanis ſtaturae viri uſi 62. n. 14.
Arena pro Arenato 65. n. 2. c. 1.
Ἀργὼ Navis eſt nomen Phoenicium. 200. c. 2. quid proprie notet ib. ejus etymon ib. Noachicae Arcae imitatio fuit ib.
Ἄριμα aut Ἄριμοι antiquum Pithecuſarum nomen 34. & 254. c. 1. cur *Inarime* poſtea dicta ib. an id nomen a Cilicibus ei inditum ib. an ab eisdem habitata ib. Ἄριμοι in Lydia & in Cilicia ad Taurum poſiti ib.
Arimphaei Populi ubi 238. c. 2. unde id nomen ſibi factum ib.
Arma aerea heroicis temporibus adhibita 43.
Arrhabo: vocis origo 127. n. 1.
Ἀρχὴ Philoſophis quid 11. cur id nomen verbo Divino tributum ib. & ſeq.
Aſagi qui v. Sagi.
Aſcania Europea ubi ſita 238. n. 4.
Aſcania in Myſia palus & Amnis unde & quando ſic dicta 238. n. 4.
Aſcaniae in Phrygia min. conditor an Aſcenez Gomeri filius 238. n. 4.
Aſcatangas Sogdianae mons & Aſcatangae populi unde dicti 238. c. 1.
Aſcenez Gomeri filius ubi initio ſederit 238. c. 1. ſedes ab eo plures occupatae ib. n. 4. an Aſcaniae in Phrygia min. auctor ib. an in Myſia quoque habitarit ib.
Aſcenſus & Aſcendere, verba oſtiorum navigabilium 189. c. 1.
Aſia Minor *Terra Japhet* & *Fines Japhet* olim dicta 204. n. 8. 244. n. 10. & 261. c. 2. & alibi. Japhetidarum prima ſedes ib. commune diffuſarum per Europam gentium ſeminarium ib. & 270.
Aſphaltitis Lacus quando ortus 86.
Aſſamonaei Principes an proprie ad Judae tribum pertinuerint 226. c. 2.
Aſteriſcus quid 318. quomodo ſignaretur ib. cur X περιγεγραμμένον vocatum ib.
Athenienſes vicatim primitus habitantes 74. a Theſeo primum in urbem ſimul unam coacti ib. ante XXXV. annum connubio prohibiti 46.
Atticae regio antiquitus Jonia vocata 244. c. 2. Javani ſedes ib.
Auguralis facultas in Prophetis & in Hebraeorum Pontifice Max. Ars bona Deoque accepta 152.
Augures in divinando ſigna viſibilia a diabolo ſibi praeſcripta adhibebant 152.
Auguria olim per ſcyphos, per pelves, perque pocula inſtituta 152. n. 2. multa a Serpentibus Orientales capiebant 171.
Auguror non raro in meliorem partem uſurpatum 151.
Auris, vocis etymon 272. c. 1.
Αὐτόχθονες antiquis qui 278. c. 1.

B

Babelicae Turris ſtructores Chamidae ſoli 202. c. 1. & ſeq.
Babyloniae muri ex coctis lateribus bitumine ferruminatis exſtructi 64. & ib. n. 1. & 66. quo tempore id nomen ei inditum 72. ejus veriloquium ib.
Bacchi nomen unde 203. c. 2. per totum Orientem expeditiones ad Nemrodum referendae ib.
Baetylorum fabula ex Jacobi Bethelico lapide conficta 106. n. 7.
Balauſtiis olim veſtes infectae 233. c. 1.
Barbari manicatis demiſſiſque ad talos tunicis induti 214. c. 2.
Βάρβιτος Sambucae ſimilis 304. n. 5. unde dicta ib.
Barnabae Apoſtoli Epiſtolam quis corruperit 27.
Βασιλεοπάτορας qui, quaeve Βασιλεοπατόρισσα 144. n. 8.

Bello-

Bellorophontis fabula apud Homerum ex Joſephi hiſtoria delibata 130. & 142.
Bellorum cauſſa antiquitus vix alia quam Mulierum raptus 119.
Berecyntia ſacra quae 294. c. 2.
Berecyntus Phrygiae Troicae Mons 294. c. 1.
Bethel Palaeſtinae urbs antea Luza nuncupata 105. & ſeq.
Βιβλία aut βιβλίον abſolute pro Divinis Scripturis quampridem uſurpari coeptum XX. quid haec verba apud Gentiles Philoſophos XXI.
Bohu Moſaicum quid 179. c. 1. & ſeq. quomodo ex eo Ovum primigenium antiquitas finxerit ib. c. 2.
Bombycinum quid 233. c. 2. ejus origo ib. n. 17. Bombycum genus olim multiplex ibid. quid inter Bombycinum & Sericum interſit 234. c. 1. purpureo colore olim plerumque inficiebatur ib.
Bonuſae Monumenti aetas 80. c. 1.
Βριτόμαρτις quid 285. n. 20. id nomen unde ortum ib. Dianae Creticae nomen ib.
Βριτὸς quid Cretenſibus 285. n. 20. vocis originatio ib.
Brutiorum peninſula *Chonia* ſive *Saturnia* primitus nuncupata 257. c. 1. ſola Italiae nomine initio veniebat ib. poſtea Magna *Graecia* dicta ib. Barbaris Βρεττία ib. ejus fines ib. prima Cetthidarum in Italia ſedes ib. cur Latii nomen ei tributum ib.
Βύρσα, haec vox unde detorta 280. c. 2.
Βωμὸς quid 104. cur ſaepe pro cippo ſepulcrali in Graecis inſcriptionibus ib. & 35. n. 11.

C

Cabiri an Samothracum peculiares 294. c. 1. an Dardanicae originis ib. a monte Berecyntiae Cabiro id nomen conſecuti ib. alia hujus nominis originatio ex Oriente petita 297. c. 2. eorum religio quo ex fonte manarit 171. Phoenicum ope propagata 172. primaria ſedes quae ib. per Tyrrhenos Latium eorum ſuperſtitione imbutum ib. Cabirorum Sacra *Berecyntia* & *Sacra Phrygea* vulgo vocata 294. c. 1. Graecis Κάβειροι, Latinis *Divi Potes*, & Θεοὶ Μεγάλοι, Latinis *Dii Magni* dicti 172. & 297. c. 2. iidem qui Curetes 292. c. 2. & ib. n. 2.
Caelum : genuinum hujus vocabuli etymon 21. cur plurativo numero Latinis interdum uſurpatum 30. *Caelum Caeli* & *Caeli Caelorum* Hebraeis quid 14. 68. & 192. c. 1.
Caementum veteribus quid, quidve aevo poſteriore &c. n. 2. vocis etymon ib.
Cain primus agricola 40. poſt fraternam caedem paſtoritiam artem exercuit 42. an vere profugus ſuper terram vixerit ib. an a noxiis beſtiis tantum ſibi timuerit ib. Signum ei a Domino poſitum quod fuerit ib. & ſeq. ubi exſulaverit 43. an a Lamecho occiſus 45. fabella de Caino ſene & Tubalcaino adoleſcente a Lamecho occiſis exploditur ib.
Calatia ſive Calácia Campaniae urbs unde ſic dicta 254. n. 25.
Camari Arabiae inſula an a Gomer nomen ſortita 237. n. 1.
Camiſene ſeu Camaſene antiquum Italiae nomen 256. n. 32. unde ortum ib.
Camiſes Saturni nomen 256. c. 1. an idem ac Telephus Ceteorum Teuthraniae dux ib. an idem ac Latinus Latinorum Rex ib. nominis etymologia ib. n. 32.
Cantica Hiſtorica apud Hebraeos frequentiſſima 45. veterum Canticorum fruſta non raro in Sacris Litteris allegata ib.
Caphtor nomine apud Hebraeos an Creta inſula venerit 282. an potius Cappadocia ib.
Cappadoces an olim Moſocheni aut Meſchini vocati 258. n. 36.
Cappadocia an Caphtor antiquitus Hebraeis dicta 281. n. 15.
Capraſiae Padi oſtium 188. c. 1. cur eo nomine appellatum ib.
Capſa unde 200. n. 11. olim Campſa ſcribebatur ib. antiquitus a caniſtris non diſſidebat ib.
Carbonaria Padi oſtium 189. c. 1. nominis veriloquium ib.
Carnium eſus antediluvianis vetitus 56.
Carthago Phoenicum colonia 206. c. 2. olim Cartrada dicta ib.
Κατὰ τῦμα LXXviris quid 160.
Καταβάσεις Deorum apud Gentiles in ſcaena frequentiſſimae 70. & 71.
Κατάλειμμα LXXviris quid 155.
Κατανύσσω quid 101. n. 7.
Cataphryges Haeretici unde id nomen conſecuti 34. n. 10.
Cauca Vaccaeorum in Hiſpania urbs an a Cauconibus poſita 243. c. 1.
Caucadae populi ubi ſiti 240. c. 2.
Caucaſus quid 241. c. 1. vocis etymon ib.
Cauchi in Germania unde orti 243. c. 1. ubi ſiti ib. n. 9.
Cauconum origo 241. c. 1. & ſeq. prima ſedes Scythia ib. quando Paphlagoniam adierint ib. c. 2. ubi in Paphlagonia habitarint ibid. Lepreaticam frequentarunt ib. n. 6. cur quibusdam Macedones habiti 242. n. 7. cur Pelaſgici generis facti ib. unde auxilio Trojanis venerint ib. eorum ſedes in Peloponneſo duplices ib. n. 8. Caucones Peloponneſii Cauconum Paphlagonum coloni ibid. quo tempore in Peloponneſum migrarint ib. an in Germaniam & Hiſpaniam penetrarint 243. c. 1.

Caula

Digitized by Google

Caula unde 22.

Cavo & Cavus unde 22. & ib. n. 9.

Celtae an ex Gomer ſati 237. c. 2.

Cenacula quae 49. vocis originatio ib.

Cerethi Palaeſtinae iidem ac Curetes 283. c. 1. & 296. c. 2. quando illuc immigrarint ib. a Philiſtaeis diverſi ib. ex Creta inſula profecti ib. interdum a Graecis Κρῆτες vocati 283. n. 17. in corporis protectores ab Judae Regibus delecti ib. & 297. c. 1.

Cetei ſive Cethei a Cetthim Javanis filio orti 250. c. 1. eorum expeditiones quo ordine proceſſerint ib. prima ſedes in Myſia circa Caicum ib. unde id nomen ſortiti ib. n. 16. maritimis locis inhaeſerunt ib.

Cetei Ciliciae Aſperae Ceteorum Teuthraniae ἄποικοι 251. c. 1. & ib. n. 17.

Cetei Italici primitivi Latii incolae 253. c. 2. eorum cum Ceteis Teuthraniae incolis neceſſitudo ib. an una cum Cilicibus in Italiam venerint ib. Ceteorum Teuthraniae coloni 254. c. 2. quo tempore & an duce Telepho in Italiam advecti 255. c. 2. quis is Telephus fuerit ib. iidem qui Latini 256. c. 1. in quamnam Italiae partem ſuas colonias primo illuc adventu deduxerint 257. c. 1.

Cetei Teuthraniae ab Homero decantati a Cetthim Javanis filio prognati 249. c. 2. eorum ſedes 251. c. 1. & ib. n. 17. & 252. n. 19. ceteris Ceteis antiquiores ib. Ceteorum Ciliciae Aſperae conditores ibid. quando in Ciliciam commigrarint 252. c. 1. Cilicum & Ceteorum ὁμοφυλία ib. n. 22. eorum in Italiam adventus Moſaicis temporibus vetuſtior 253. c. 1. & ſeq. Ceteorum Cypriorum auctores ib. quo tempore in Macedoniam conceſſerint ib.

Ceteus ſeu Cetius amnis ubi ſitus 252. n. 19. & 21.

Cetis Ciliciae Regio ubi poſita 249. c. 2. a Cetthim Javanis filio frequentata ib. an prima Ceteorum ſedes 250. c. 2.

Cetthim Javanis filii ſedes 249. c. 1. & ſeq. gentes ab eo ſatae ib. ubinam primo conſederit 250. c. 1. & ſeq. ejus nominis etymon ib. n. 16. & 256. c. 1. cur Moſes in eodem plurativo numero uſus ib.

Χ περιεσφιγμένον quid notaret 318.

Chalybes ubi habitarint 294. c. 2. & ib. n. 5. eorum pars aliquando Armeniae tributa ib. & n. 6. pars altera in Cholchide recenſita ib. primi ferrum, artem ferrariam & aerariam mortalibus monſtrarunt ib. n. 7. praelongis haſtis uſi 295. n. 9. armata ſaltatione delectabantur ib. n. 8.

Cham unde id ſibi nomen invenerit 210. c. 2.

Chamidae ſoli Nemrodum in terram Sennaar ſecuti 202. c. 1. ſeorſum ab aliis Noachidis Turrim Babelicam exſtruxerunt ib. & ſeq. iis linguarum confuſio, & mutua diſceſſio loco poenae fuit ib. quo primitus diſperſi 203. c. 1. & ſeq. cur magis inter ſe & in pejora loca diſſipati, quam Semidae & Japetidae ibid. an ex Scythia trajectus in Americam Septentrionalem iis antiquitus patuerit ib. c. 2.

Chanaan cur *Terra Hebraeorum* ante Moſis aetatem vocata 134. & 220. c. 2.

Chanaanitae unde orti 72. in XII. Tribus diſtincti 73. & ib. n. 1. ubi initio conſederint 203. c. 2. & ſeq. ad Japetidarum & Semidarum ſervitium deſtinati 204. c. 1. cur *Terram Chanaan* Iſraëli aſſignatam per plura ſaecula poſſederint ib. & ſeq. eadem uſi non ut domini, ſed tanquam ſervi glebae addicti 206. c. 1. cur linguam primaevam locuti 204. c. 1. ex Chanaane ſub duce Joſua ejecti ubi conſtiterint ib. c. 2. documenta & veſtigia diſperſionis eorum ſub Joſua 206. c. 1. & ſeq. *Phoeni* ſive *Poeni* aut *Chananaei* in Africa vocati 204. c. 2. & 206. c. 2. in Italia *Philiſtini*, aut *Tyrrheni*, aut *Pelaſgi* ib. & 207. c. 2. cur ea nomina conſecuti 208. c. 1. Fratri ſine liberis defuncto ſemen ſuſcitare ante Moſaicam legem iis in uſu 127.

Chananaeus, unus ex Chanaanitidis populis 72. unde ortus ib. cur & quo tempore peculiaris populus eſſe coeperit 73. ubi habitarit ib. ejus limites 74. lingua non magno poſt diluvium intervallo ab Aramaea diverſa 114. colonias in Africam & Europam plurimas deduxit 206. c. 2.

Chaos Ethnicis quid 177. c. 1. & ſeq. ea vox unde fluxerit 178. c. 1. an in Graecia primum orta ib. & n. 4. ejus apud profanos deſcriptiones ibid. & ſeq. primum rerum omnium principium apud veteres Philoſophos 179. c. 2.

Χημία profanis Scriptoribus Aegypti nomen 203. c. 1.

Cherſoneſus Cariae a Curetibus frequentata 300. n. 15.

Cherſoneſus Thraciae an in Thracia Europea antiquitus cenſita 262. n. 44. Abydo an Thraciae Aſiaticae contributa ibid. Homeri aetate ſimul cum Thracia Aſiatica eidem regi Aſio parebat ib. pleraque ejus oppida Troico aevo recentiora ib. ſimul cum Thracia Aſiatica prima Thiraſi ſedes ib.

Χιασμὸς apud Graecos Rhetores quid 230. n. 12.

Chironomi in cibis inferendis ac ſcindendis rhythmos obſervabant 313. n. 25.

Χιτὼν Δερμάτινος 39.

Χιτὼν Καρπωτὸς 213. c. 1.

Χιτὼν Ποικίλος 212. c. 1.

Χονδρίτης quid 136. n. 7. cur a Κόνδρος nomen inve-

invenerit ib. panum genus apud Athenaeum ib. & n. 8.
χόνδρος quid 136. n. 7. ejus opificium ib.
Chonia vetus Italiae nomen 257. c. 1. unde factum ib. n. 35. Graecis Χωνία dicta ib. Latinis *Saturnia* ib. quamnam Italiae partem complecteretur ib.
Chorus quid, quidve plurative Chori 311.
Chriſti Adventus V. Meſſiae adventus. Paſſio in Jacobi de Juda Patr. vaticinio praeſignata 231. c. 1. & ſeq. ſub vini & torcularis figura deſcripta ibid. ejus Tunica linea fuit 217. n. 16.
Chriſtianorum veterum de Mundi duratione opinio 10. & ibid. n. 27. ipſis per *Salutem Principis* jurare licitum 148. per *Genium Principis* dejerare interdictum ib.
Chuſi Chami filii proſapia quo diffuſa 203. c. 2. Chuſi nomine etiam Scythae veniebant ib. n. 4.
Chutaei iidem ac Scythae circa Araxem habitantes 203. n. 4. eorum origo ib. nomen unde detortum ib.
Cibarius panis qui 136. n. 8.
Κιβωτὸς quid & unde 197. c. 2.
Ciconiae cur Graecis Πελαργοὶ dictae 291.
Cilices Troadis & Myſiae, Cilicum qui ad Taurum conditores 251. n. 17. nominis origo ib. Ceteis Teuthraniae cognati ib. & 252. n. 22. ubi habitarint 251. n. 18. an in Siciliam advecti 254. c. 1. in Italiam ſimul cum Ceteis Teuthraniae profecti ib. n. 25. an Pithecuſas frequentarint ib.
Cimbri unde id nomen ſortiti 237. c. 2. an ex Gomer propagati ib.
Cinyra quid 306. n. 11. ex כנור *Cinnor* Hebraeorum id vocabulum interpolatum ibid. perperam *Cithara lamentabilis* a Graecis definitur ib. a *Nabla* diverſiſſima 307. Δεκάχορδος erat ib. n. 12.
Cippi ſepulcrales cur interdum Arae formam referant 35. n. 11. cur non raro a ſummo ad imum terebrati ib.
Ciſtarum ſeirpearum per flumina uſus apud veteres frequens 197. n. 2.
Cithara, Chaldaica vox 302. Citheros Chaldaeis pronuntiata ibid. ejus etymologia 303. olim Κίθαρος Graecis etiam dicta ib. n. 3. ejus forma triquetra ib. n. 5. Sambucae ſimilis ib.
Κίττιος antiquum Cypri nomen 249. c. 1. & 253. c. 1. unde factum ib.
Claudo & Clavis unde 22.
Cohum apud Latinos quid 178. n. 3. ea vox unde fluxerit ib.
Κοινὴ Helleniſtis quid 192. c. 2.
Colchis prima Dodanenſium & Curetum ſedes 294. c. 2. & ib. n. 5. late ſumpta Chalybum regionem quoque complectebatur ib.
Colpia Sanchuniathoni quid 180. c. 1.
Columbarum fatidicarum templi Jovis Dodonaei fabella unde orta 280. c. 2.
Columna antiquitus quid 104. n. 3. interdum Aram notabat ib.
Comari ſeu Chomari antiqui Sogdianae populi 238. n. 2. ubi poſiti ib. unde orti ib. c. 1.
Commemoror pro Recordor 147.
Comparare ſomnia an Latinis uſurpatum 140.
Comparere pro Invenire aut Exſtare 47. & 125.
Concharum ſanies ad inficiendas veſtes apud Tyrios alioſque olim adhibita 234. c. 2.
Conchylia lapideſcentia cur in montibus inveniantur 51. quibus cauſis id phoenomenon a profanis tributum ib.
Concubinarum, filiorumque earum conditio 88.
Conditores plerumque gentibus a ſe ſatis cognomines 210. c. 2.
Conditura Cadaverum apud Aegyptios Joſephi tempore quamdiu perduraret 173. ſecutis temporibus, quae in optimatibus adhibebatur, plurium menſium opus ib. n. 1. quae in inferioris fortunae perſonis LXX. diebus perfecta ib. quae fuerit 174.
Κόνδυ quid 151. decem cotylarum capax ib. de univerſo poculorum genere uſurpatum ibid. id verbum a vetere Itala in Latium primum illatum ib.
Conjunctio maris & feminae cur *Sacramentum* dictum 38. & 41. ejus leges ib.
Connubia inter grandaevos antiquitus celebrata 46.
Conſecrare aevo medio idem quod *Dedicare* ſive *Inchoare* 145. n. 9.
Converſio, pro mulieris erga virum ſubjectionis officio in S. Litteris 38. & 41.
Coos inſula Sericis & Bombycinis nobilis 134. c. 1. Coa purpura ceteris praeſtantior ib.
Coquinaria Ars cum Piſtoria olim confuſa 131. & 135. ab Etruſcis iu Latium manavit ib.
Coquus & Piſtor antiquis unus & idem 131. & 135. Coqui cura quae ib.
Coram unde 272. c. 1.
Corybantes iidem qui Curetes 282. n. 13. & 292. n. 2. eorum origo 294. c. 2. ex Colchide in Phrygiam advecti ib. nomen Curetum ſynonymum 296. c. 1. ejus etymon 297. c. 1. an primi Idolorum auctores ib. c. 2.
Corybantia ſacra pluribus locis frequentata 292. c. 1. eadem ac ſacra Curetica ib. ſacra Enthuſiaſtica etiam dicta ib.
Coſmogonia Moſaica. V. Moſes.
Κόσμος, vocis etymon 12. notio 14. Κόσμος ψαμμωτὸς quid 65. n. 2. c. 2.
Creatiq ex nihilo a Gentilibus etiam tradita 12.
Κρήδεμνον

Digitized by Google

Κρήδεμνον quid 216. c. 2.
Cremium, ruſticorum verbum, quid 123. n. 1. ſaepiſſime cum notiore *Gremium* permutatum ib.
Creta a Dardanis condita 281. c. 2. antiquitus *Dardania* dicta ib. item *Telchinia* ib. n. 13. olim *Curetis* appellata ib. ejus incolae an *Curetes* primitus vocati ib. Cretae nomen unde ib. Idaeis Dactylis, Curetibus, & Corybantibus celebris ibid. Sacris Cureticis a Troicis Dardanis imbuta 282. n. 14. an *Caphtor* apud Hebraeos audierit ibid. n. 15. Cretae nomen quando ei inditum 282. c. 1. quo tempore a Curetibus adita ib. n. 16. Philiſtaeorum patria ib. cur a Strabone ex Phrygia colonos accepiſſe dicatur 284. c. 1. locorum inter Troas Cretaſque ὁμωνυμία ibid n. 18. Rhadamanthus ejus conditor & primus inſtitutor quis fuerit ib. c. 2. an idem ac Dodanim ib. Titanes primi ejus coloni qui fuerint 285. c. 1.
Κρονία vetus Italiae nomen apud Graecos 257. c. 1. unde detortum ib.
Cultus Divini formula aliqua Patriarcharum aevo an exſtiterit 95.
Cumerum, antiquum Anconae urbis nomen 272. c. 1. unde factum ib.
Cupreſſus unde 48. ad naves conſtruendas olim adhibita ib.
Curetes qui 292. c. 1. nomine magis quam re a Corybantibus, Cabiris, Idaeis Dactylis, Telchinibuſque differebant ib. c. 2. & ib. n. 2. Enthuſiaſtici habiti ib. n. 3. a Saliis Roman. diverſi ib. Rheae Matris Deum Cultores 293. c. 1. primi Dardaniae Troicae coloni ib. & 282. ex Colchide primum profecti 294. c. 2. proprie ex Chalybibus orti ib. eorum ac Chalybum armorum & morum ſimilitudo 295. n. 8. & 9. utrique armata ſaltatione delectati ib. nominis etymon ib. c. 2. appellative ſumptum idem quod *Juvenis* 296. c. 1. an proprie *militem* notarit ib. idem etiam nomen et gentile populorum ib. c. 2. primaria nominis notio quae 297. c. 1. eorum expeditiones 282. c. 2. principio in Samothracen inſulam trajecerunt ib. quo tempore Cretam adierint ib. & n. 16. an ei ſuum nomen indiderint ib. & 297. c. 1. Κρῆτες Graecis dicti 283. n. 17. an in Chanaanitidem transfretarint 283. c. 1. an *Cerethi* ibidem vocati ib. & 296. c. 2. cur haſtati procederent 297. c. 1. in protectorum militiam olim adlecti ibid. quae loca frequentarint 292. c. 1. & 306. c. 1.
Curetica Sacra pluribus locis frequentata 292. c. 1. eadem ac Corybantia ib. c. 2. Enthuſiaſtica habita ib. in quo conſiſterent ib. horum origo unde arceſſenda ib. in Samothracia Sacrorum Cabirorum nomen ſortita 293. c. 1. an ex Samothracia in Dardaniam invecta ib. an ex Creta inſula ib. an potius in Troica Dardania primum reperta ib. unde initio fluxerint 294. c. 2. an ex Colchide a Dardanis adſcita ib.
Curis Tyrrhenis & Sabinis tantumdem ac *Haſta* 296. c. 1. vocis origo ib. n. 10.
Κυμβίον quid & unde 151.
Cymbis vimineis corio contectis ad fluvios tranſmittendos olim Orientales uſi 199. n. 5.
Cyprus olim Κίτιος dicta 249. c. 1. & 253. c. 1. an a Cittaeis olim habitata ib.

D

D, & R in linguis maxime Orientalibus creberrime alternant 100. & ib. n. 2. & 272. c. 1.
Δακτύλοι, *Digiti*, cur Graecis ita dicti 299. n. 13. haec vox unde orta ib.
Dactyli Idaei V. Idaei Dactyli.
Daniel an Graecis dictionibus uſus 301. & ſeq. & 305. ejus Chaldaiſmi puritas ib.
Dardani a Dodanim Japheti filio creati 263. c. 1. a Troibus diverſi ib. cur cum eiſdem interdum confuſi ib. prima eorum ſedes ib. nominis originatio 274. c. 1. & 290. c. 2.
Dardania circa Illyridem Dardanorum Troicorum colonia 275. c. 1. feritas ſingularis & inſanus muſices amor ejus praecipuus character ib. ad imam conditionem a Romanis redacta ib. n. 17. ejus ſitus ib. & 276. c. 1. Aetolia & Acarnania an antiquitus ejus pars ib. c. 2. Sacris Cureticis addicta ib.
Dardania Romana Dardaniae Troicae colonia 277. c. 1. & ſeq. quando condita ib. Dardanus ejus auctor an ex Corytho Tuſciae urbe ortus ib.
Dardania Samothrace V. Samothrace.
Dardania Troica prima Dodanim colonia 258. c. 1. & 272. c. 2. ejus conditor Dardanus idem ac Dodan Javanis filius 273. c. 1. exordia diluvium proxime contigiſſe antiquis perſuaſum ib. nomen quomodo ex Dodanim natum 274. c. 1. & 290. c. 2. coloniae ex ea ortae 274. c. 2. & ſeq. Dardania Samothrace prima ejus colonia ib. Dardania circa Illyridem exinde profecta 275. c. 1. Dardania Romana ejus propago 277. c. 1. & ſeq. modos muſicos ceteros Dardanos docuit 276. c. 1. quare quove tempore Phrygia vocata ib. & 293. n. 4. Sacrorum Cureticorum & Corybantum mater ib. c. 1.
Dardanus Dardaniae Troicae conditor idem ac Dodan Javanis filius 273. c. 1. cur Japeti pronepos in fabulari hiſtoria fictus ib. c. 2. ubi cum materno avo Atlante habitarit ib. nomen quo pacto ex Dodan formatum 274. c. 1. & 290. c. 2. an ex Italia Trojam devenerit 277. c. 1. an de Corytho Tu-

ſciae urbe profectus ib. vulgatae de ejus genere narrationes ib. ubi natus ib.
David in Judae benedictione a Jacobo ſpectatus 166.
Δεκάχορδον pulſabilium organorum genus 307. n. 12. idem quod Cynira ib.
Deduco quid, quidve *Deducere naves* 130. n. 1.
Deſunctus Plinio quid 91. n. 2.
Delicati qui, quaeve Delicatae 109. infamiae ſuſpicione vacabant ib. an Delicatis in principum Orientis palatiis aliquis praefuerit 144.
Deorum ſimulacra cur coloſſea ſtatura ab antiquis ficta 69. n. 6. in excelſis locis impoſita ib. eorum Κατάβασεις apud Gentiles in ſcena frequentiſſimae 70. & 71. apud homines 107.
Depono pro Demitto aut Deprimo aevo meliore uſurpatum 130. n. 1.
Δίγματα quae 39.
Deucalion Philoni idem ac Noe 52. ejus Diluvium univerſale fuiſſe a profanis traditum ib.
Deus ex Scripturis quid 28. excogitandorum nominum facultatem primis parentibus infudit 23. ejus Spiritus cum volucribus comparatus 17. os divinum Gentilibus *Os forte* vocatum 18. cur *Jupiter Fiazzus* iis dictus ibid. ejus nomen *Eljon* ad falſa numina ab eisdem traductum 68. n. 6. *Deus e machina* quid 70. & 71. turbine aut procella comite ſe prophetis objiciebat ibid. ovum ex ore promens a Thebaidis incolis expreſſus 181. c. 1. Dei hominiſque ſimilitudo in quo poſita 28. & ſeq. Divinae veritatis Imago in hominum animo impreſſa ib. per originale delictum obſcurata ib.
Diabolus cur Λοξίας dictus 37.
Διαθήκη in Scripturis quid 192. c. 2.
Dictaeus Cretae mons unde id nomen habuerit 299. n. 14.
Dies naturalis ſacris & profanis Scriptoribus ab exortu ad occaſum Solis putatus 19. & 49. & ſeq. dies noctesque olim ſeorſim numerati ibid. diei artificialis vocabulum antiquis ignotum ib. dies civilis iis integra Solis converſione perfectus ibid. civilis initia aliis nationibus alia ib.
Dietae receptus Latinis tum *Promptuarium*, tum *Penetrale* vocatus 150.
Διογενεῖς & Διόγνητοι qui 47.
Dione Veneris Mater ſaepe pro Venere ipſa ſumpta 280. n. 14.
Divinationes per aquam antiquis uſitatae 151.
Δμῶες ſive Δοῦλοι qui 107. quid a Θῆτες differant ib.
Dodanim Javanis filii ſors 258. c. 1. nomen cur plurativo numero a Moſe elatum 210. c. 1. & 272. c. 1. nominis vera ſcriptura 271. c. 1. cur a Joſepho praeteritus ib. n. 2. quo initio una cum Thiraſo provectus 263. c. 1. populi ab eo creati ib. c. 2. jam inde a Moſis aetate pluribus locis proſeminati 258. c. 1. & 272. c. 2. quas terras frequentarint ib. coloniae ab iis factae quo ordine deductae ib. & ſeq. & 295. c. 1. Dardania Troica prima eorum ſedes ib. in Dardaniam Samothracen poſtea advecti ib. Dardaniam circa Illyridem inde condiderunt 275. c. 1. modis muſicis perdite addicti 276. c. 1. quo tempore Italiam adierint 277. c. 1. Dodonaeis Moloſſiae ortum dederunt 279. c. 1. quando Cretam adierint 281. c. 2. Rhodiorum auctores 286. c. 1. & ſeq. an in Rhodanum in Galliis colonos miſerint 289. c. 2. vocis Dodanim veriloquium 290. c. 1. eorum vagandi ingenium ib. c. 2. Pelaſgi an ex iis orti 291. c. 2. ex Colchide primum egreſſi 294. c. 2. & ib. n. 5. modo Titanes, modo Dardani, modo aliis nominibus vocati 295. c. 1. Sacra Dodonenſia Curetica, Corybantia, Cabiria dicta 292. c. 1. & ſeq.
Dodona an duplex 279. c. 1. an inter primitivas Dodanim colonias recenſenda ibid. & 281. c. 2.
Dodonaei Moloſſiae a Dodanim Javanis filio prognati 279. c. 1. an Dardanis Troicis antiquiores ib. vatum Templi Jovis Dodonaei nomina ibid. cur Anus ad ejus miniſterium delectae 281. c. 1.
Domorum Aſtrologicarum nomenclaturae antiquitas 8. n. 20.
Δόμος ἡμιτελὴς Homero quid 82.
Duces fortiſſimi olim animalium pugnaciſſimorum nominibus deſignati 166.
Duci abſolute uſurpatum de noxiis & de detrulis in carcerem 148.

E

Ἐ'λα ſive Ἐ'λα quid, quidve Ἐ'ὶδοσθαι 117. n. 1.
Ἡ'δονὴ unde 31.
Elamitarum Imperium primis temporibus minus quam poſtea patuit 77.
Elides ab Eliſa Javanis filio condita 246. c. 1.
Ἥλιος unde 69. n. 6. c. 1.
Ἡλιόπολις Hebraice און *on* dicta 146.
Eliſa Javanis filius ubi habitarit 246. c. 1. an Aeoliorum parens ib. an Elidis conditor ib.
Ellaſar Ariochi Regnum ubi poſitum 77.
Ἡμιφαντάσιον & Φαντάσιον quid differant 216. c. 2.
Eneti qui & unde dicti 120. n. 4.
Ἐνταφιάζειν & Ἐνταφιασμὸς quid 173.
Enthuſiaſtica Sacra quae 292. c. 1.
Ἐπεξεγήσις Hebraicae Poeſeos praecipuus character 45. 166. 224. n. 3. 227. c. 2. & 231. n. 14.
Erebus unde 179. c. 1.
Eridanus Italiae flumen unde id nomen acceperit

perit 102. n. 2.
Ἑρμαῖοι λόφοι, Ἑρμαῖον, & Ἕρμακες unum idemque notant 102. n. 4.
Ἑρπέτα Homero quid 27.
Ἕρπω & Ἑρπετὸν verba apud veteres ad omnium ex aequo animalium proceſſus pertinuere 45. & 55. n. 2. aevo ſequiore de iis, quae ſupra pectus progrediuntur, accepta ib. in ſacris Litteris modo laxiore, modo arctiore ſignificatu gaudent 56. c. 1.
Eſavo Deo annuente benedictio ab Iſaaco impertita 101.
Eunuchus in Aegypti aula dignitatis, non exſectae virilitatis nomen 126. n. 2.
Euphratis Armeniae fluminis fons ubi fuerit 32. primitus eodem ac Tigris fonte, aut ſaltem in proximo manabat 33. n. 7. a Tigri Strabonis aevo diſtantia ib. nomen unde factum ib. & ſeq.
Euxinum mare cur ab initio proprio nomine *Pontus* vocatum 265. n. 50.
Ἐξαλλάττω abſolute poſitum quid 156.
Excelſa in Regum Hiſtoria quid 69. n. 6. c. 2.
Ἐξίσταμαι pro Paveſco 157.
Expaveo pro Obſtupeo 157.

F

Fabricae ignobiliores aevo Moſaico crudis atque inſolatis lateribus exſtructae 64.
Famulae liberae mercede conductae apud Hebraeos frequentes 108. Ἀβραὶ iis dictae ibid. Graecis Θύρεαι ib.
Feminae Athenienſium legibus XXVI. anno connubia inibant 47. vita functae maſculo genere veteribus prolatae 91.
Ferarum ſpoliis veteres induti 39.
Fiere, imperativum paſſiva terminatione 98. & ib. n. 3.
Filiorum ancillarum conditio apud Hebraeos 88.
Firmamentum duplex Sidereum unum, alterum Sublunare 20. id nomen unde ib. cur *Caelum* Latinis dictum 21.
Foſſiones Philiſtinae quae 96. unde id nomen conſecutae ib.
Fratri ſine liberis defuncto ſemen ſuſcitare ante Moſaicam Legem apud Chananaeos in uſu 127. id hodiedum apud Circaſſos obſervatum ib.
Frumenta olim hodiernis robuſtiora & durabiliora 141. vetus frumenti adſervandi ratio ab hodierna longe diverſa ibid. cum ſpicis condita ib. feracitas apud veteres unde oriretur 139.
Funeratores Aegyptii & Hebraei Medicorum nomen ſibi arrogabant 173. n. 4.
Funerum Ritus apud Aegyptios ſub Joſepho uſurpati qui 173. quive Herodoti tempore ib.
Furari cor alicujus in S. Litteris quid 111.

G

Γαλᾶται qui 162.
Galatae olim num Gomarenſes vocati 237. c. 1. qui Galatae a Gomaro ſati ib. c. 2. Europaei Latinis Galli ſive Celtae dicti ibid. Aſiatici etiam Gallograeci audiebant ibid. olim in Phrygia cenſiti ib.
Galli ſive Celtae Graecis Galatae dicti 237. c. 2. an ex Gomaro orti ib.
Gallograecia olim Phrygiae pars 237. c. 2.
Gallus Phrygiae amnis olim *Terias* vocatus 265. n. 52.
Γεναρχῶν nomina in IM deſinentia an plurium. 210. c. 1. quando exorta ib. c. 2.
Γένεσις antiquis quid 2. & ib. n. 2. tituli libri Geneſeos auctor quis 1. & ib. n. 1. quare ita inſcriptus ib. & 2. n. 3. ejus antiquitas ib.
Per Genium Principis dejerare veteribus Chriſtianis nefas 148.
Gentiles ſub pulli velo in Jacobi de Judae Patr. oraculo adumbrati 231. c. 2. eorum Theologi primaevam hominum immortalitatem docuerunt 34. mortalitatem poenarum praecipuam habuerunt 35. eam non naturae, ſed poenae imputarunt ib.
Gentium ſparſio ſolis Noachidis Nemrodi ſequacibus loco poenae fuit 201. c. 2. & ſeq. ea pro meritis acta 203. c. 1. & ſeq.
Geographia Moſaica eadem ac nomina τῶν Γεναρχῶν 210. c. 1. cur exoleverit ib.
Georgi Populi qui 40. ubi ſiti ib.
Geſſen ſive Goſen terra ubi poſita 156. varia ejus ſcriptura ib. Iſraëlitarum in Aegypto habitatio ib. cur iis a Joſepho aſſignata 157.
Getae a Thracibus orti 262. n. 38. Thraciam Iſtrianam habitabant ib. Myſi etiam vocati ib.
Gigantum hiſtoriae veritas 190. c. 1. אנשי השם *Anshe hasthem*, ſive *Viri nominis* an eorum apud Hebraeos ὀνομαστῶν nomen ib. c. 2. & ſeq. eorum proceritas & voracitas 192. c. 2. & ſeq. aliae eorundem proprietates ib. deſcriptiones ex S. Litteris ad Gentiles manarunt 190. n. 2.
Gloria in altiſſimis Deo quid 14.
Gog cur cum Magog ſacris Scriptoribus confertus 239. c. 2. geographicum, non hominis nomen ib. Gog & Magog provinciarum duarum vicinitate & dominatu conjunctarum diſcreta vocabula ibid. imperii Moſoch & Thubal principes 240. c. 1. Gogi & Magogi nominibus gentium univerſitas olim deſignata ib. n. 5. & 243. c. 2. Gogi provincia prae Magog illuſtrior 240. c. 1. nomina Geographica a Gogo derivata ib. c. 2.
Gogarene regio eadem quae Gog 240. c. 2. ubi ſita ib. ejus incolae aliis *Gogari*, aliis

Cancadae

Caucadae dicti 241. c. 1.

Gomer ejuſque filii ubi conſederint 237. c. 1. an in Phrygiam colonos deduxerint ib. c. 2. an Galatarum Celticorum parentes ib. Gomer in Scythiae parte, quae Sogdiana dicitur, habitaſſe ſuadetur ib. Comaros ſibi cognomines propagavit 238. c. 1. filiorum primae ſedes ib.

Graeci Hebraeorum morem in menſibus appellandis olim imitati 51. Graeciae Civitates ſingulae ſuis Regibus parebant 76. In Aegypto ceteri non Aegyptii Herodoti aetate Graeci vocati 221. n. 5. Graeca Lingua Danielis Prophetae aevo in Babylonia ignota 305.

Guſtus, Guſtum & Guſtulus quid 95.

H

Hadriaticum Mare, Magnum etiam dictum 185. c. 1.

Hatria Piceus Tyrrhenorum colonia 94. unde id nomen ei inditum ib.

Hatria Venetiae a Tyrrhenis condita 94. unde ita dicta ib.

Hatriana Palus quouſque pertinuerit 183. c. 2. cur Septem Maria vocata 184. c. 1. quo tempore id nomen ei impoſitum ib. & 185. c. 1.

Hebraei unde id nomen ſortiti 78. & ſeq. 134. & 220. c. 1. an ſub eo Joſephi tempore in Aegypto cogniti ib. id nomen univerſe idem quod *Tranſamnicus* ib. cur iis inditum ib. varias reſpectu regionum, ubi id uſurpatur, aut amnium qui tranſmittuntur, notiones induit ib. c. 2. in Aegypto *Transnilanum* notabat ibid. exteri omnes Tranſnilani ibidem eo nomine donati 221. c. 2. eorum tribus ante utramque deportationem Aſſyriacam & Babylonicam habitaculis, coetibus, nominibuſque inter ſe diſcretae 226. c. 1. poſt captivitates ceterarum reliquiae cum tribu Juda per omnia concorporatae ibid. earum nomina duplici notione aut perſonali aut geographica pollebant 228. c. 2. Regnum an poſt Sedeciam per LXX. annorum ἀναρχίας interruptum ib. Lingua Moſis aevo ab ea, quae Jacobi aetate uſurpabatur, nonnihil immutata ib. c. 1. ejus dialecti 204. c. 1. an vocalibus litteris caruerint 34. n. 9. tres Caelorum regiones conſtituebant 21. n. 8. cur nervum comedere defugerent 219. n. 3. quando in Judaeum nomen conceſſerint 226. c. 1. juraturi Patriarcharum femori dexteram applicabant 227. c. 2. quo ritu juramenta perficerent 89. cur XXII. Sacrarum Scripturarum libros in ſuo Canone numerarint p. XXI.

Heliadae an primi Rhodi incolae 286. c. 2. eorum aetas 287. c. 2. an Graece locuti 289. c. 2.

Helli Pindaro qui 279. c. 2.

Henoch Caini filius unde id nomen adeptus 43. & ſeq.

Henoch urbs, unde ſic dicta 42. & ſeq. in Terra Nod ſive Naid poſita ib. a Caino condita ib.

Hercules cur Τριέσπερος Poëtis vocatus 20.

Hermae antiquitus ubilibet poſiti 104. n. 3. & 113. n. 4. tanquam dii corollis ac conjectu lapidum honorati ibid. haec ſuperſtitio unde manarit ib.

Herodis M. genus 228. n. 10. an Judaeus ib.

Herodotus an ſuos libros Muſarum nominibus inſcripſerit p. XXII. ea inſcriptio ab aliis poſtea uſurpata ib.

Heroes cur Διογενεῖς aut Διογνέτοι dicti 47. eorum ſervitutes apud Graecos celebres 107.

Heſiodi aetas 178. n. 5. ſtyli ſimplicitas p. XIX. ejus Biblicique ſermonis vicinitas ib.

Hierapolis Syriae Coeles urbs *Magog* olim audiit 240. n. 5. Scytharum colonia ib.

Hieroclis Platonici de Mundi creatione opinio 12.

Hippo ſive Vibo Africae urbs unde id nomen 206. n. 13.

Homerici ſtyli ſimplicitas p. XVIII. ejus Hebraicaeque elocutionis ſimilitudo p. XIX. n. 2. Hymnus in Apollinem an pro Homerico habendus 279. n. 13.

Homicidae veteribus Graecis exſilio multati 43.

Hominis divina ſimilitudo in quo poſita 28. & ſeq. in ejus animo Divinae Veritatis notio impreſſa ib. primorum hominum proceritas 193. c. 2. & ib. n. 9. vivacitas 194. c. 2. voracitas ib. n. 10. virium firmitudo ib. quitus gradibus haec omnia homines amiſerint 195. c. 1.

Hortus unde 31. n. 1. horti in Veneris tutela erant 135. n. 5.

Hoſpites maximo honore olim excepti 84. & ſeq. in eorum perſona Deus ſuſpiciebatur ib. ante menſam & cetera officia interrogare qui aut unde veniſſent illicitum 92.

Humanis membris ad modulandas menſuras veteres uſi 193. n. 9.

Humiliare & Humiliari in vetere Itala quid 116.

Hycſi qui 157. quamdiu Aegyptum occuparint ib. eorum etymon ib. n. 1. ex Aegypto ejecti quo ſe receperint 158.

Hyperbati peculiare genus in Hebraica Poëſi ſatis uſitatum 230. c. 1.

I

Jacob ex Angeli contactu Iſchiadicus factus 115. an ex ea affectione poſtea convaluerit ib. ea hiſtoria quomodo a Gentilibus interpolata

Digitized by Google

polata ib. lapis, quem in titulum erexit, primum Altaris conſecrati ſpecimen 103. & ſeq. & 112. quo ritu cum Labano pacificatus 113. & ſeq. filii cur ad Aegyptiorum menſam non admiſſi 217. c. 1. & ſeq. quando ſub Hebraeorum nomine cogniti 219. c. 2. benedictio Judae filio impertita quomodo in ejusdem poſteritate impleta 166. juſta dupſicia ei perſoluta 173. & ſeq. quae in Aegypto Aegyptio ritu peracta ab omni ſuperſtitione vacua ib. quaenam fuerint ib. qui Medici ad eum condiendum delecti 174. quae conditura ejus corpori adhibita ib. & ſeq. Aegyptiorum pietas in eum 175. Jacobi de Meſſiae adventu Oraculum ab omni Hebraica vetuſtate agnitum 223. c. 1. criterium adventus Meſſiae continet ibid. difficultates adverſus Oraculi complementum ib. c. 2. veteres difficultatum ſolutiones 224. c. 1. & ſeqq. Huetii & Turneminii oraculi interpretationes refutantur ib. Baſnagiana ejusdem expoſitio refellitur ib. c. 2. an Jacob ſub Judae nomine univerſum gentis Hebraicae corpus complexus 226. c. 1. & ſeq. id Oraculum de Juda geographico ſive de ſorte Judae jubetur intelligi 227. c. 2. quo tempore impletum 230. c. 2. Vaticinium de Paſſione Domini elucidatur 231. c. 1. & ſeqq.

Japhet, unde id nomen ſibi factum 204. c. 2. Japhetidarum ſtupenda fecunditas unde repetenda ib. & 239. c. 1. & 291. c. 2. in iis nulla linguarum ſubita mutatio ac a ſe ipſis ſeceſſio facta 201. c. 2. & ſeq. eorum ſortitio 204. c. 2. cur plus ceteris dilatati ibid. etiam in Semi ſortem admiſſi ib. quas orbis partes poſſederint ib. an in Africam colonias deduxerint 205. c. 1. in Aſiam Minorem initio ſeceſſere 245. c. 1. & alibi paſſim. eorum coloniae 237. c. 1. & ſeqq. an in Media habitarint 243. c. 2. Inſulae Gentium iis aſſignatae quae 244. n. 10. & 267. c. 2.

Japhet, vetuſtiſſimum apud Orientales Aſiae Minoris nomen 204. n. 8. 244. n. 10. & 261. c. 2. & alibi.

Javan Japheti filius Graecis *Jaon* aut *Jon* dictus 244. c. 2. ejus primitiva ſedes ib. & ſeq. Aſiae Minoris conditor 235. c. 1. & ſeq. totius Jonii nominis auctor ib. filii ubi conſederint 246. c. 1. & ſeq.

Iberi an olim Tobeli appellati 258. n. 36. an a Thubal Japheti filio propagati ib.

Idaei Dactyli alio nomine Curetes vocati 292. c. 2. & Corybantes ib. & Cabiri ib. item Telchines ib. & 299. c. 1. unde id nomen ſortiti 43. & 298. c. 1. ejusdem antiquorum frigidae originationes ib. cur praeſtigiatores crediti ib. c. 2. Idee-Dakkula initio dicti 299. c. 1. ubi habitarint 293. c. 2. an Phrygiae peculiares ibid. Rheae Matris Deum cultores ib. in Berecyntio Phrygiae monte nati 294. c. 1. unde primum egreſſi ib. n. 7. eorum genus an ad Chalybes referendum ib. an ferri & artis aerariae inventores ib.

Idololatria quando in Aegyptum invecta 149. & 218. c. 1. & ſeq. an Joſephi tempore ib.

Idolorum templa antiquitus in ſublimioribus locis exſtructa 68. unde id mos manarit ib.

Ἱερεῖα quid 149. & ſeq.

Immortalitatis Dogma a Gentilibus traditum 34. & ſeq.

Impenſa in re ſtructili quid 65. n. 2. c. 2.

Imperium ſine purpura, aut Imperium poſt ſceptra ſecundum quid 143.

Inarimes Campaniae Inſulae nomen unde 34. Ἄριμα aut Ἄριμοι antea Homero dicta ib. an a Cilicibus primitus habitata 254. n. 25.

Incertum Numen Trebellio Pollioni quid 48.

Incuma ſive Incoma quid 194. n. 9. ejus etymon ib.

Infectionum varia apud antiquos genera ex floribus bacciſque 233. c. 1.

Initium Philoſophis quid 11.

Innubilo quid 61. n. 10.

Inſulae Gentium Japhetidis aſſignatae quae 267. c. 2.

Interpretum antiquorum judicium 192. c. 2.

Involare & Involari pro furari veteribus uſurpatum 134. n. 4.

Jones unde orti 244. c. 2. Ἴωνες antiquis vocati ib. eorum prima ſedes ib.

Jonia antiquitus Jaonia dicta 244. c. 2. unde id nomen ſibi factum ib. & ſeq. ejus antiqui fines ib. poſtea quousque pertinuerit ib. Jonia Aſiatica antiquior 245. c. 1.

Jonium Mare, unde id nomen ei partum 245. c. 2.

Joſeph an delicatis aulae Aegyptiae praefectus 144. an Pater Regis vocatus ibid. nomen a Pharaone ei impoſitum quid 145. num idololatricum juramentum juraverit 147. cum fratribus ab idololatriae ſuſpicione liberatur 149. & ſeq. augurandi artem a S. Spiritu edoctus 151. & ſeq. a mendacio abſolvitur ib. quodnam munus Benjamino dederit 156. ejus cura domus paternae in Aegypto 159. an primus omnium terram Aegypti populis diviſerit 163. & ib. n. 6. an novam agrorum partitionem inſtituerit ib. ejus Tunica Polymita ſive Phaſſim quae fuerit 211. c. 1. & ſeqq. cur tunica manicata & talari a Patre indutus 214. c. 2. ea futurae in tota Aegypto ſummae poteſtatis praeſagium 215. c. 1. & 217. c. 2. & ib. n. 15. Chriſti tunicam item praeſignavit ib. cur diverſa a fratribus & ab Aegyptiis menſa ei appoſita 218. c. 1. & ſeq. ab Aegyptiae ſuperſtitionis criminatione Baſnagiana

nagium defenditur ib. an Spiritu prophetico Chananitidem *Terram Hebraeorum* vocaverit 134. & 220. c. 2.
Iris cur Latinis Arcus vocata 59. n. 7. cur belli aut procellae, pluviae aut ſerenitatis praeſagium Gentiles ei tribuerint 60. & ſeq. Deorum nuntia iis credita ibid. vocis etymologia ib. & n. 8. cur Arcus ſui nomen ei Deus indiderit 62. cur in ſignum ceſſationis Diluvii a Deo poſita 63.
Iſaaci ἱερόσις 99.
Iſmaëlitarum tribus XII. numero fuerunt 73. n. 1. & 94.
Iſraëlitae ubinam in Aegypto habitarint 156. cur illuc venerint 159. veluti in ſervitutem Pharaoni ſe dediderunt 160. quo tempore & quare Hebraeorum nomen iis inditum 78. 134. & 219. c. 2. & ſeq. Tranſamnici ſive Tranſnilani in Aegypto vocati 220. c. 1. & ſeq.
Italae Scripturarum verſionis laus p. XVIII. quouſque in Occidentis Eccleſia in uſu fuerit ib. aetas 13.
Italia Tyrrhenia primitus diu dicta 208. c. 1. ejus fines ibid. Italiae nomen initio ſolius Bruttiorum peninſulae peculium 257. c. 1. ea quouſque porrigeretur ib. principio *Chonia* ſive *Saturnia* audiit ib. Graecis Κωνία ib. poſtea *Magna Graecia* vocata ib. Barbaris Βρεττία ib. prima Ceteorum Italicorum ſedes ib. Latii nomen ibidem ortum ib. cur Camiſene item appellata 256. n. 32. & 257. n. 35. Choniae ſive Saturniae, Italiae & Latii vocabula laxius poſtea uſurpari coepta ib. ſecutis temporibus Italiae nomen ad Alpes uſque productum ib. c. 2. quando a Dardanis frequentata 277. c. 1.
Juda Tribus quo tempore Judaici regni ſceptrum amiſerit 223. c. 1. & ſeqq. hujuſce ſceptri finis cum Chriſti in terris praeſentia ab omni Hebraica antiquitate connexus ib. an ſub Herode eo ſplendore deſpoliata 228. c. 2. Judae vox in Jacobi prophetia pro ſorte Juda, ſive pro regione Judaeae accepta ib. & ſeq.
Judaei cur XXII. Sacrarum Scripturarum libros in ſuo Canone numerarint pag. XXI. eorum de Mundi duratione ſententia 10. & ib. n. 27. Chriſti tempore Meſſiam exſpectabant 223. n. 1. adverſus Veſpaſianum rebelliones unde juxta profanos ſcriptores ortae ib. n. 2. ſub Aſinae velo in Jacobi de Judae Patr. vaticinio contenti 231. c. 2.
Judas Patr. totius gentis a ſe propagatae Judex 128. Benedictio ei a Jacobo impertita quomodo in ejus poſteritate impleta 166. ſceptrum & regalis purpura in Jacobi vaticinio ei promiſſa 232. c. 1. & ſeq. ejus regnum aeterni Chriſti dominatus figura 231. c. 2. & ſeq. quando defecerit 223. c. 2. & ſeqq. 228. c. 2. & 230. c. 2.
Judicium antiquis Eccleſiae Scriptoribus quid 87. n. 3.
Judicum inſignia apud Hebraeos 127. & ſeq.
Juno Faliſcorum cur Curetis vocata 296. c. 2.
Jupiter cur Fiazzus veteribus dictus 18. cur Καταιβάτης vocatus 70. Jovis Beli templum in Turris Babelicae ſummo vertice conditum 67. ejus ſtatua coloſſea fuit 69. n. 6. cur Ὕψιστος appellatus ib. Hoſpitalis religio an a Moſaica hiſtoria fluxerit 85. Jovis cum Hercule pugna unde a Gentilibus deprompta 115.
Jurandi vetus ritus apud Hebraeos quinam 89. cur a voce שבע *Sheba*, *Septem* jurandi verba iis derivata ib.
Juſtorum funebrium Aegyptiorum ratio ſub Joſepho Patr. quae 173. quibus partibus conſtaret ib. ſecutis temporibus variavit ib.
Juvenes pro militibus Latinis uſurpatum 296. c. 1.

L

Labanum inter, & Jacobum pacificatio, quo ritu peracta 113. & ſeq.
Lacus cur Maria veteribus dicta 24. & ib. n. 12. & 13.
Lamech an Cainum ſenem & Tubalcainum adoleſcentem occiderit 45.
Lapis a Jacobo in titulum erectus primum altaris conſecrati ſpecimen 103. & ſeq. & 112. lapidum tumuli in rei memoriam poſteritati tradendam poſiti 104. n. 3. & 113. quo ritu congeſti ib. in eisdem epulae initae 114.
Laqueo ſuffocatis juſta fieri Romanis nefas 58. n. 5. c. 2.
Latco unde 256. n. 33.
Lateritia Ars a Noachidis in Turri Babelica extruenda invecta 66.
Latini an Ceteorum Teuthraniae coloni 256. c. 1. id nomen unde ib. eorum Rex Latinus an idem ac Saturnus ibid. pleraque ſuorum nominum ac Dogmatum ab Oriente per Tyrrhenos mutuati 21. & 30.
Latinus Latii Rex an idem ac Telephus Ceteorum Teuthraniae Dux 255. c. 1. cur Inſularum Rex ab Heſiodo vocatus ib. n. 30. idem ac Saturnus 256. c. 1. Camiſes quoque dictus ib. nominis origo Orientalis ib. n. 33.
Latii nomen heroicis temporibus ſolius Bruttiorum peninſulae peculiare 257. c. 1. unde ortum ib. cur ſequentibus aetatibus Romanae regioni attributum ib. & ſeq. cur Chonia & Saturnia, & Camiſene olim vocatum ib. n. 35. quando a Dardanis frequentatum 277. c. 1.

Latrones

Digitized by Google

Latrones antiquitus qui dicti 206. c. 2.
Legati olim ex perſona eorum, a quibus miſſi eſſent, loquebantur p. XIX. n. 2. c. 2. & 152. in rebus majoris momenti deni, in minoribus negotiis quini miſſi 159.
Lenis, ad corpus relatum 98. unde ib.
Letum Informe Virgilio quid 58. n. 5. c. 2.
Levis unde 98.
Lex de ſanguine & morticino non edendo Noachidis omnibus ſancita 57. & ſeq.
Libertas in Orientis linguis tantumdem quod Nobilitas 137.
Libri abſolute Gentilibus Philoſophis qui dicti p. XXI. libros κατὰ στοίχειον recenſiti & inſcripti ib.
Ligna levigata in Sacris Litteris quae 48.
Λίμναι quid 24. n. 12.
Linguarum ſubita confuſio Chamidis ac praecipue Nemrodi proſapiae loco poenae 201. c. 2. & ſeq. in Noachidis probis nulla improviſa linguarum contigit turbatio ib.
Litterae vocales veteribus Hebraeis in uſu 34. n. 9.
Λόγος a veteribus Philoſophis pro Mundi Artifice habitus 11. cur Ἀρχὴ Patrious appellatus ib.
Λόγχη quid 296. c. 1. quidve a Ῥάβδος diſcrepet ib.
Λοιπαδέριον quid 155. n. 3.
Lombardiae pars, quae Apennino, Alpibus & Hadriatico clauditur, an olim Padan Tuſcis dicta 102. n. 2.
Loqui ad cor alicujus vel alicui Hebraeis quid 52.
Λοξίας cur Diaboli cognomen 37.
Luctûs tempus apud Aegyptios quamdiu perduraret 173. & ſeq. & 175.
Ludi equeſtres ad numerum olim celebrati 313. n. 25.
Lutum cum paleis miſtum antiquitus pro linimento adhibitum 66. n. 4.
Luza Vrbs quando Bethel tranſnominata 106.
Lycii olim duplices, Troici & alteri ad Cariam 251. n. 17. utrique ex eodem ſtipite propagati ib.
Lyttum omnium Cretae urbium antiquiſſima 285. n. 20. ejus nomen unde factum ib. conditor quis ib.

M

M & N in propriis Orientis nominibus in fine ſaepiſſime alternant 156.
Macedones cur olim Macetae vocati 242. n. 7. a Cetthim Javanis filio orti 249. c. 1. & 253. c. 1.
Macedonia olim *Terra Chettim* Hebraeis dicta 253. c. 1. an a Cettheis habitata ib. & n. 24. Aemathia antiquis vocata 243. c. 2. an a Madai Japheti filio initio frequentata ib. & ſeq.
Macetia antiquum Macedoniae nomen 253. c. 1. unde deductum ib.
Madai Japheti filius ubi initio inſederit 243. c. 2. an in Macedonia & in Paeoniae finibus ejus poſteri habitarint 244. c. 1. unde in Macedoniam tranſgreſſi ib. c. 2.
Maedica regio ubi ſita 244. c. 1. unde id nomen fecerit ib. an a Madai poſteris frequentata ib.
Magades quid & unde 304. n. 5.
Magog Japheti filius ubi conſederit 239. c. 1. cur cum Gog ejus nomen a Prophetis junctum ib. Magog & Gog duarum regionum diverſa nomina ib. eae loco & imperio inter ſe conjunctae ibid. Imperii Moſoch & Thubal principes 240. c. 1. primae Magogi ſedes ignotae ib. n. 5. an ulla in vetere Geographia vocis Magog mentio ibid. Magogi provincia cur prae Gogo obſcurior ib. Gogi & Magogi nomine Gentium univerſitas in Apocalypſi deſignata ib. & 241. c. 2.
Magyni populi unde id nomen adepti 240. n. 5.
Manethonis Sebennitae Dioſpolitani aetas 157. ejus Fragmentum cum Moſe confertur ib. & ſeq.
Manetis Manichaei de Fide liber Palmyreno ſermone initio ſcriptus p. XXII. n. 3. cur in XXII. ſectiones partitus ib.
Maris nomen cur lacubus aliiſque aquarum collectionibus olim tributum 24. ea nomenclatio ad Tuſcos a Chananaeis tranſmiſſa ib. n. 13. & 14. VII. Maria Etruriae Tranſpadanae quae fuerint ib. & fuſius 183. c. 1. & ſeqq. par eorum numerus in Palaeſtina 184. c. 1. & ſeq. *ad Mare* Hebraeis quid 103.
Maritalis conjunctionis leges a Deo ſancitae 38.
Mars Troum & Thracum peculiare numen 265. n. 54. ejus oraculum in Thracia Aſiatica ſeu Troade celebre ib.
Matrimonia filiorum rite contracta diſtrahere, parentibus olim licitum 36.
Medi in Paeonia unde profecti 244. c. 1. an ex Madai Japheti filio orti ib.
Media Hebraeis Madai dicta 243. c. 2. an a Madai Japheti filio initio condita ibid. an a Maedis Macedoniae & Paeoniae colonos & nomen adepta ib. & ſeq.
Medici nomen apud Hebraeos & Aegyptios de Cadaverum conditoribus etiam uſurpatum 173. n. 4. apud Aegyptios & Romanos ſingulis morbis partibuſque corporis peculiares medici fuere 174. n. 5. in explorandis pulſibus rhythmos obſervabant 313. n. 25.
Menſes a Graecis more Hebraeorum initio enumerati 51.

Menſurae veterum cur ab humanis membris nomen adſciverint 193. n. 9. cur hodiernis majores ib. quare ex intervallo contractae ib.
Mercurii nomen & cultus in Oriente antiquiſſimus 113. n. 4. per Tyrrhenos in Latium penetravit ibid. mittere lapidem in acervum Mercurii quid ib.
Meſſiae Adventus a Jacobo praedictus ab omni Hebraica antiquitate teſtatus 223. c. 1. Chriſti tempore ab univerſo orbe exſpectatus ib. n. 2. Meſſias שׁילה *Shiloabb* an שׁלה *Shiloh* a Jacobo vocatus 227. c. 2. ejus nominis etymon ib.
Meteora omnia Deo auctori olim tributa 87.
Μῆτις Orphicis Scriptoribus quid 5. n. 11. & 6. n. 15.
Militum Romanorum ſtatura 194. n. 9.
Minos an primus Cretae conditor 284. c. 2. an potius primus ejus informator ib. n. 19. Rhadamanthi ſenioris Cretae auctoris imitator ib. Rhadamanthi junioris aequalis ib.
Mittere lapidem in acervum Mercurii quid 113. n. 4.
Modii Neapolitani capacitas 142. n. 7.
Modulus & ſaltantibus & canentibus & remigantibus apud veteres praeceptus 313. n. 24. & 25. in ludis equeſtribus etiam valebat ib. a Chironomis in cibis inferendis ac ſcindendis obſervatus ib. item a Medicis in explorandis pulſibus ib. translare Συμφωνία dictus 314. n. 26.
Mouile apud Hebraeos & Aegyptios Judicum inſigne 128.
Moria peculiare loci nomen 90. ejus etymon ibid.
Morientium extrema verba praeceptaque memorabilia ſumma religione olim excipiebantur 165.
Mors laqueo illata apud omnes Gentes ſemper infamis 58. n. 5. unde id manarit ibid. *Mors non pura* Homero dicta ib. Virgilio *Letum informe* ib. laqueo vitam finientibus juſta fieri jus non erat ib. Mors quomodo heroicis temporibus circumſcripta 39.
Mortalitas poenarum praecipua a Gentilibus habita 35. ea non naturae, ſed poenae ab eisdem imputata ib.
Morticinorum eſus Noachidis omnibus vetitus 54. & 57. hujus legis apud Gentiles veſtigia ib. n. 5.
Μοςτὸς & Μοςτὴ Heſychio quid 285. n. 2. harum vocum originatio ib.
Mortuus pro Mortua 91. & ibid. n. 2. Mortuorum membra quomodo ſtatim a morte compoſita 172. eorum luctus quamdiu apud Aegyptios perduraret 174. & 175. quamdiu apud alias gentes ib. cadavera quo pacto ab Aegyptiis curata 173. & ſeq.
Moſchi Armeniaci a Moſoch Japheti filio ſati 258. c. 2. eorum cum Tibarenis perpetua neceſſitudo ibid. an inter Tibarenos habitarint 259. c. 1. iisdem ducibus ſuberant ib. a Moſoch couditore, an potius ab habitatione id nomen adepti ibid. n. 37. Moſcovitarum parentes 259. c. 2. Moſchicae regionis antiqui fines ib. n. 37.
Moſchici Montes unde ſic dicti 259. n. 37.
Moſcovitae an a Moſoch Japheti filio profeminati 258. n. 36. an Moſchorum Aſiaticorum coloni ib.
Moſes ex antiquis Hebraeorum Canticis quaedam ſuae Hiſtoriae intexuit 41. ejus in antiquis Oraculorum verbis retinendis religio 228. c. 1. ejus Hiſtoriae veritas a aliae ejuſdem virtutes 201. c. 1. Coſmogonia a profanis tranſcripta 3. & ſeq. ejusdem cum Orphica Mundi creatione conſenſio ibid. quo pacto a Tyrrhenis tradita 8. & ſeq.
Moſoch Japheti filius Moſchorum Armeniacorum conditor 258. c. 2. an Moſcovitarum parens 259. c. 2.
Μυστικῶς verbum Theodotioni ſubſtantive uſurpatum 317. c. 1.
Mulceo Latinis peculiare officinae aerariae vocabulum 297. n. 12.
Mulieris erga virum ſubjectionis officium cur *Converſio* a Moſe dicta 38. & 41.
Mulorum inventor num Ana Eſavi Nepos 120. & ſeq. an ab inventore *Eneti* dicti ib. n. 4. mulares procurare partus Hebraeis interdictum 121. nullus apud eosdem ante Davidica tempora mulorum uſus 122.
Multicia ſive Multitia quae 212. c. 1.
Mundi Moſaica principia duo Chaos & Ovum primigenium 179. c. 2. eadem ab Orphicis, Pythagoricis & Platonicis tradita ib. & ſeq. mundus cum ovo a veteribus comparatus 180. c. 2.
Muſarum nominibus libros inſcribere ad exemplum Muſarum Herodoti veteribus in uſu p. XXII.
Muſicorum inſtrumentorum pleraque ex Oriente profecta 302. eorum nomina indidem accepta ib.
Multi bibendi ad delicias mos quouſque perdurarit 133.
Myſi Homerici Thraciae Iſtrianae incolae 260. n. 38. Thracum coloni ib. a Myſis Aſiaticis diverſi ib.
Myſia circa Caicum & *Teuthrania* & *Elaitis* & *Aeolis* diverſis temporibus dicta 252. n. 19.

N

Nablia Orientale vocabulum 304. n. 5. ejus etymon ib. a Cinyra diverſiſſima 307. cujuſmodi fuerit ib.
Nachor ab idololatriae crimine liberatur 114.

Natalis

Digitized by Google

Natalis genuinus qui 138. natalis regni natali genuino celebrior ib. non ſolum quot anuis, ſed etiam quot menſibus alicubi celebratus ibid.

Naves ex cupreſſu antiquitus conſtructae 48. *naves contexere*, locutio unde orta 199. n. 7. Naves Tharſis quae 248. c. 1. ſeq.

Ναυπηγικῆς rei incunabula 199. c. 2.

Nemrod Chuſi filius an primus poſt Diluvium idololatra 68. id nomen unde ſibi fecerit ibid. & 210. c. 2. in Turris Babelicae conſtructione ſolos Chamidas ſequaces habuit 202. n. 1. complurium imperiorum Aſiae fundator 203. c. 2. Bacchi per totum Orientem expeditiones ad eum referendae ib.

Nicaeni Patres maximo in honore in Eccleſia ſemper habiti 79. eorum numerus vernarum Abraamicorum numero adumbratus ib. aevo medio ex Nicaenis Patribus Anathema intorquebatur ib. n. 3.

Nidi pro manſiunculis ſeu loculamentis librorum 49.

Noachidarum expeditio in terram Sennaar an omnium fuerit 201. c. 2. & ſeq. an Chamidarum ac in primis Nemrodicae factionis tantum ib. ſparſio & linguarum ſubita confuſio in pravo genere loco poenae ibid. in probis coitionis Nemrodicae inſciis, nulla linguarum turbatio ibid. nec ſubita a ſeipſis ſeceſſio ib. linguarum diſcidium & ſedium mutatio paullatim in probis peracta ib.

Noctes ſeorſum a diebus apud veteres ſupputatae 19.

Nod ſive Naid terra ubi poſita 43. a Caini exſilio id nomen ei impoſitum ib.

Nomades populi qui & ubi ſiti 40.

Νομαδικὴ & Γεωργικὴ Artes initio a ſe invicem diſcretae 40.

Nomina alluſiva infantibus apud Hebraeos indita 40. idem apud Gentiles heroicis temporibus obſervatum ibid. nomina imponere parentum jus fuit ibid. non raro ab eventu facta ib. & 43. & 87. quae apud Hebraeos in IM deſinunt plerumque pro plurativis habenda 210. n. 22.

Notarum varia genera 318. quae criticae dictae ib. notae criticae Platonicorum quaenam fuerint ib.

Νοθεῖα quae 93.

Nudiuſtertianus, vox aevi melioris 111.

Numen Incertum Trebellio Pollioni quodnam fuerit 48.

Nummi ex auro Joſephi aetate in Aegypto conflati 156.

Nuptiarum emptiones apud Barbaros quomodo peractae 118. n. 2. mutua coëmptio ritualis apud Romanos dicis cauſſa facta ib.

O

Obelus, critica Platonicorum nota 318. quomodo pingeretur ib.

Obſtipeo pro Obſtupeo in vetere Itala 116. n. 1.

Oculorum nigritudo veteribus commendata 168.

Οἰωνίζομαι quid 151. n. 1.

Omen quid 24. n. 1. ejus etymon ib. ominum diſciplina apud Romanos ab Etruſcis profecta 42. n. 1.

Ὀνίου χώρα urbs in Heliopolitano Nomo poſita 146. unde id nomen acceperit ib.

Ὠὸν Graecorum & Ovum unde 179. c. 2.

Operum publicorum probatio apud Romanos quorum fuerit 25.

Ophiuſa vetus Rhodi nomen 289. c. 1. quando ei inditum ib.

Ὄργανα χρόνου Platoni quid 25.

Oriens in S. Litteris quid 31.

Orpheus quando vixerit 178. n. 5. Carmina ei tributa unde prodierint ibid. an ab Heſiodo adulterata 6. n. 15. eorum notitia ib. & ſeq. an Judaeorum aut Chriſtianorum figmentum 7. n. 16.

Orphicorum Mundi principia duo, Chaos & Ovum primigenium 179. c. 2. eorum Coſmogoniae fragmentum reſtitutum & illuſtratum 3. & ſeqq. ejusdem cum Moſaica Mundi Creatione conſenſio ib. Φάνης eorum Deus quinam fuerit 19. & 180. c. 2.

Ὀρθοῦν quid 172.

Os forte Gentilibus quid 18.

Ovum antiquis rerum omnium principium 179. c. 2. unde id hauſtum ibid. & ſeq. uti Mundi Symbolum in Orgiis adoratum 180. n. 7. cur ab ovis plurimi veterum ſe abſtinuerint 181. c. 1. vocis etymon 179. c. 2.

Οὐρανὸς pro Aëre 30. nunquam numero plurativo apud Graecos uſurpatum ib. quid Οὐρανοὶ apud Perſas ib.

P

Padan Circumpadanus an olim in Italia fuerit 102. n. 2.

Padan in Syria quincuplex 102. n. 2. omnium praeſtantiſſima Padan Aram ibid. ea aliter Aram Naharaim dicta ib.

Padus Italiae flumen unde id nomen ſibi fecerit 102. n. 2. cur *Eridanus* item vocatus ib. ejus oſtia 183. c. 1. & ſeq. cur *VII. Marium* nomen iis inditum ib. eorum auctores 186. c. 2. Padi olim majores alvei qui ib. ſingulorum nomina ex Aſiaticis linguis explicata 187. c. 2. & ſeq.

Paduſa Padi oſtium 187. c. 2. ejus originatio ib. ex ea *Auguſta* Foſſa derivata ib. n. 7.

Palaeſtinae VII. Maria quae 184. c. 1.

Palaeſtini unde dicti 96. & 185. c. 2. vitae horum

V u rum

rum inſtitutum ib.
Παλλακὶς unde 88.
Paludes veteribus cur Maria audierint 24. n. 12. & 13.
Pamphylia Aſiae regio unde id nomen invenerit 78. an ea vox Symmacho appellativa notione uſurpata ib.
Πάμφυλος adjectivum 78. n. 2.
Panificium antiquitus cum coquina confuſum 131. & 135.
Panis Cibarius quid 136. n. 8.
Paradiſus, vocis ſignificatus, natale ſolum & etymon 30. n. 1. cur *Vivaria* & *Roboraria* Latinis Paradiſi dicti ib. ferae omne genus ibi detentum ib.
Paradiſus Edenicus ubi ſitus 32. in Paryadris Armeniae Montibus locandus ibid. & ſeq. quatuor celebres ejus amnes iudidem orti ib. primitus *Pardes* dictus 31. n. 1. & 33 id nomen quo pacto poſtea per varia diverſarum linguarum organa detortum ib.
Paragauda, Perſicum veſtis vocabulum 212. n. 3. integra ne ſtola, an ejus limbus notarit ib. initio tota veſtis fuerat ib. dein ora pretioſior ib. Παραγάυδας Heſychio dicta ib. vocis etymon ib.
Paragaudia ſeu Paragaudea Trebellio Pollioni quid 212. n. 3.
Παραγάυδας Heſychio quid 213. n. 3.
Parthenopes Dodanenſium Rhodiorum colonia 289. n. 25. quando *Palaepolis* cognominata ib.
Paryadres Armeniae Mons ubi ſitus 32. n. 5. quatuor Paradiſi Edenici fluminibus ortum dabat 33. in eo Paradiſus locandus ib. ejus primitivum nomen *Pardes* fuit ibid. id nomen poſtea varie detortum ib.
Paſtores cur ab Aegyptiis odio habiti 157. & ſeq. Hycſi iis dicti ib.
Paſtoritia Ars ab Agricultura initio diſcreta 40. populi qui eam exercebant, *Nomades* dicti ib.
Pater Imperii qui 145. n. 9.
Patres cur Verbum Divinum Ἀρχὴν ſive Principium vocarint 11. in Platonica Ariſtotelicave Schola aſſueti ib.
Patria Poteſtas apud Gentes nexu matrimoniali potior 36.
Patriarchae grandaevi conjugia inibant 46. eorum femora ſancta habita 227. c. 2. in eis venturus Meſſias colebatur ib.
Patriciatus dignitas alio nomine Βασιλοπατορία dicta 144. n. 8. Patricius item Βασιλέως πατὴρ ſeu Βασιλοπάτωρ vocatus ib.
Paullus Apoſtolus cur vas electionis appellatus 97. n. 1.
Ped tis Civiſque vocabula olim ſynonyma 330. c. 1.
Πελαργοὶ, cur id nomen Ciconiis a Graecis tributum 290. n. 27. ejus etymon ib. cur Pelaſgi a Graecis eo nomine donati ib.
Pelaſgi an ex Chananaeis orti 207. c. 1. an iidem ac Tyrrheni ib. c. 2. & n. 16. cum Tyrrhenis diu conjunctiſſimi ib. n. 17. ab iisdem lingua & inſtitutis diſtincti 208. c. 1. nominis etymon 290. c. 2. cur Πελαργοὶ olim Graecis dicti ib. n. 27. eorum errores migratioueſque perpetuae 207. c. 2. & 291. c. 1. domicilia ibid. lingua ib. prima & communis patria ib. an Dodanicae originis ib. c. 2. primi gentes religionibus imbuere ib.
Πελεία, fatidicarum Dodonae nomen 280. c. 2. unde id nomen invenerint ib. idem Tomurorum ſynonymum ibid. Strabonis nominis Πελείας originatio unde nata ibid. n. 14. an Theſſala vox 281. c. 1.
Peleſtini perantiqui Vmbriae populi 185. c. 2. & 206. c. 2. iidem qui Philiſtini ib. in foſſis & alveis effodiendis & aquis librandis occupati ib. & 207. c. 1. pars Philiſtinorum ex Chanaan a Joſua pulſorum ib. eorum nomen in Italia quamdiu vixerit 206. c. 1.
Penates Dii ex Dardania allati 296. c. 1. iidem qui Curetes ib.
Penetrale in Dietis quid 150.
Πέρα antiquum Thraciae nomen 264. n. 50. unde factum ib. cur Thraciae inditum ib.
Περκώτη Troadis oppidum 265. n. 51.
Perſae Syrorum litteris interdum uſi p. XXII. n. 3.
Peruſia Tuſcorum Civitas unde ſic vocata 73.
Pes Romanus vetus cur hodierno longior 193. n. 9.
Phaleg, id nomen quo tempore ei impoſitum 211. c. 1.
Φάνης Deorum Orphicorum ſummus quinam fuerit 19. & 182. c. 2. ex ovo primigenio primus prodiit ib.
Φαιτάνιον Damaſcio quid 216. c. 2.
Phelethi ex Creta in Chanaanitidem profecti 283. c. 1. iidem qui Philiſtaei ib. Regum Juda corporis ſtipatores ib. a Cerethaeis diverſi ib. cur Caphtorim a Moſe appellati ibid. c. 2. unde ſic dicti 297. n. 11.
Pherezaei Chananitidis populi unde exorti 73. & ſeq. ubi conſtiterint ib. eorum limites ib. nomen unde ductum ib.
Φερνὴ, Προῖξ, & Ἔδνα quid differant 117. n. 1.
Philiſtaei in Creta inſula nati 282. n. 16. prima eorum de Creta in Chanaanitidem expeditio quando contigerit ib. Phelethaei etiam vocati 283. c. 1.
Philiſtinae Foſſiones Padi oſtium 184. c. 2. an commune oſtiorum Padi nomen 185. c. 1. unde ortum ibid. c. 2. & 96. earum auctores ibid. Tartari nomen iis etiam tributum 189.

189. c. 2.
Philiſtini V. Palaeſtini & Peleſtini.
Philolai de Mundi creatione ſententia 12.
Philoſophorum Gentilium aliquot Mundi ex nihilo creationem docuere 12.
Φιλοτιμοῦμαι Suidae quid 8. n. 18.
Phocylides Νουθετικοῦ Auctor eccujus ſectae fuerit 57. n. 5. aetas ib. in Gentilium profectum monita ſcripſit ib. vetitum de morticino edendo enodatur ib.
Phoenices primitus Sidonii & Sidones dicti 170. & 206. c. 2. plurimarum coloniarum in Africa & Europa conditores ibid. principio Phoeni ſeu Poeni vocati ib.
Φρύγανον quid 123. n. 1.
Phrygia initio Dardania vocata 276. c. 1. an ab Italis frequentata 277. c. 1. Phrygia Sacra quae fuerint 294. c. 2.
Φάττωι ſive Φάττων aut Φαττώνιον tunicae Aegyptiae genus 215. c. 2. & ſeq. vocis etymon unde arceſſendum ib. etyma veterum grammaticorum confutantur 216. c. 1. Φαττώνιον & Ημιφαττώνιον quid differant ib.
Picturae Babyloniorum operis Phrygionici ab Aegyptiis elaboratae 201. c. 2.
Πιγκέρνης quid 132. n. 2. c. 2.
Pila pro orbe ſive Mundo 178. n. 3.
Pincerna, hujus vocabuli putativa ſinceritas inquiritur 131. n. 2. originatio ib. una ex Aulae CPolitanae dignitatibus ib. olim in cenſu Graecorum nominum fuit ib.
S. Pionii Acta Martyrii Graece primitus ſcripta 87. n. 3.
Piſcibus ac volucribus idem ortus ab antiquis tributus ib. piſcium vivarium cur ברכה *Berecbab* Hebraeis dictum ib. piſces & conchylia lapideſcentia cur in montibus effoſſa 51. quibus cauſſis id phaenomenon a profanis aſſignatum ib.
Piſtores qui 131. & 135. eorum munus ibid. origo ib. tam panificium quam coquinam cibariam curabant ib.
Piſtoria Ars cum coquinaria olim conſerta 131. & 135. ab Etruſcis ex Oriente in Latium illata ib.
Pithecuſae Campaniae Inſula olim Ἄριμοι dicta 34. & 254. c. 1. an a Cilicibus unquam habitata ibid. cur *Inarime* poſtea vocata ib.
Placentae antiquorum artificium quorum eſſet 135.
Platonis de Mundi opificio ſententia 12. Platonicorum omnium rerum principia duo, Chaos & Ovum primigenium 179. c. 2.
Πλατυσμὸς quid 198. n. 4.
Plenus dierum ſacris & profanis Scriptoribus quid 93.
Poeni Chananaeorum ab Joſua fugatorum coloni 206. c. 2. n. 13.
Poëſis Hebraica non ſtylo tantum a proſa oratione diverſa 45. Ἐπεξήγησις praecipuus ejus character ib.
Ποικίλος quid, quidve Χίτων ποικίλος 212. c. 1.
Πολύμιτος quid 211. c. 1.
Pono & Depono ſynonyma 63. n. 15.
Pontifex Max. Hebraeorum ſigna viſibilia a Deo ſibi monſtrata in Divinationibus adhibebat 152.
Pontus, vocis etymologia 265. n. 50. cur id nomen Mari Euxino tributum ib.
Pontus Babylonicus ubi poſitus 77.
Pontus Euxinus olim Ἄξενος dictus 239. n. 4. cur id nomen ſortitus ib.
Populi Orientales fere omnes olim in XII. Tribus diſcreti 73. n. 1. & 94.
Praecentores modulatorum Latinis *Symphoniaci* dicti 313. n. 24.
Praediorum Servitus. V. Servitus fundorum.
Praefectus Praetorio *ſecundus Imperii* dictus 143. ejus dignitas *imperium ſine purpura*, & *imperium poſt ſceptra ſecundum* vocata ib. item *Pater imperii* nominabatur 145. n. 9.
Priucipium Philoſophis quid 11. cur id nomen *Verbo Divino* peculiare apud Patres evaſerit ib. eadem notione ab ima Fidelium plebecula quoque uſurpatum 12.
Procreatura in antiqua Itala quid 122.
Ποῦξ quid 117. n. 1.
Promptuarium in dictis quid 150.
Prophetae in divinando ſignis viſibilibus plerumque uſi 251.
Protector quis 82. ecquando haec vox in Latinis Bibliis uſurpata ib. unde hauſta ib. quo ſenſu Deo tributa 81. primitus vocabulum mere miniſteriale ibid. cur aevo poſteriore idem quod Patronus ib. Protectorum dignitas in Aula Imperiali quo tempore inſtituta ib. n. 3.
Πρωτόγονος Sanchuniathoni quid 180. c. 2.
Ψάλλω olim generale verbum *tangendi*, *movendi*, *impellendi* notione praeditum 304. n. 7. & 305. n. 10. poſtea peculiariter de fidibus uſurpatum ib. unde ductum ib.
Ψαλτήριον unde 304. id inſtrumentum ex Oriente ad Graecos propagatum 305. a *Peſanterin* Danielico & etymologia & notione diverſum ib. n. 9. apud Graecos omnium pulſabilium organorum generale nomen ib. & n. 10. ejus primaria notio ib. forma diverſa ib. aevo poſteriore non raro pro peculiari inſtrumento acceptum ib. a Polluce adjective uſurpatum ib. Pſalterii Davidici Latina translatio quo aevo prodierit 80. & ſeq.
Ψαμάθῳ ἴσος (*arenae aequalis*) apud veteres quid 114.
Ψαμμακόσιοι & ψαμμακόσια cur inſtar nominum numeralium formata 115.

Puellae

Thraciae & Samo Elidis cur id nomen tributum ib.

Samothracia inſula primitus Dardania dicta 274. c. 2. & ib. n. 6. a Dodanenſibus ſive Dardanis Troicis primum frequentata ibid. cur ex Dardania poſtea Samothrace vocata ib. cognomen Threiciae cur ei additum ib. Sami nomen unde ei quaeſitum ib. Sacra Curetica an a Dardanis edocta ib. & 293. c. 1. cur Sacrorum Cabirorum nomen iis fecerit ib.

Sanchuniathonis aetas 179. c. 2. ejus ſententia de Mundi principiis enodatur 180. c. 1. ejus principium Baau idem quod Bohu Moſaicum ib.

Sanguinis & ſuffocatorum eſus omnibus Noachidis interdictus 57.

Sanhedrin Hebraeorum an jus gladii poſt Chriſti mortem retinuerit 230. c. 2.

Sarae nomen ad Gentiles etiam propagatum 83.

Saturnia vetus Italiae nomen 257. c. 1. quae Italiae pars eo nomine contenta ib.

Saturnus an idem ac Telephus Ceteorum Teuthraniae Rex 256. c. 1. an idem ac Latinus Latii Rex ib. an idem qui Camiſes ib. nominis etymon ib. n. 32. Amoſo Prophetae *Chion* vocatus 257. n. 35.

Sceptrum ab heroicis uſque temporibus Judicum inſigne 128.

Σηκὸν quid 97. n. 1.

Scientia Boni & Mali Evae a Diabolo promiſſa quae 37.

Scire de carnali congreſſu in antiqua Itala uſurpatum 129.

Scripturarum Sacrarum ſimplicitas p. XVIII. earum & Homerici ſermonis vicinitas ib. & ſeq. eae quampridem abſolute *Biblia* appellari coeperint pag. XX. Judaicus Scripturarum Canon p. XXI.

Scutum Thiraſidarum inventum 267. c. 1. a Troibus ejus uſus ad Romanos manavit ib.

Scythae Chuſi nomine in Sacris Litteris donati 203. n. 4. eorum nomen unde ib.

Scythia Aſiatica initio paullo clementior 203. n. 4. & 5. an ex Scythia trajectus in Americam Septentrionalem antiquis patuerit ib.

Segor Regionis Sodomiticae urbs 74. primitus *Bala* dicta 85. cur poſtea *Segor* nominata ib. Graecis Ζόαρα ib. Lotho deprecante conflagrationem evaſit ib.

Selli Jovis Dodonaei vates 279. c. 1. eorum nomen unde ib. c. 2. durum vitae genus ib. Pindaro *Helli* vocati ib. alio nomine Τομάροι aut Τομοῦροι dicti ib.

Σῆμα pro Omine apud Homerum 43.

Semen an de eſculentis uſurpatum 161. n. 2.

Semidae omnes poſt Babelica tempora eodem diu ore locuti 201. c. 2. & ſeq. nulla linguarum confuſio, nulla ſedium mutatio eis contigit ib. ubi initio conſtiterint 204. c. 2.

Senatores Romanorum olim pellibus induti 39.

Sennaar Amraphelis regnum ubi poſitum 77. Pontus etiam dictum ib. & n. 1.

Sepis, recto caſu 129. n. 3.

Septem Maria Etruriae tranſpadanae quid fuerint 183. c. 1. & ſeq. quouſque protenderentur ib. c. 2. Padi oſtiis an Hatrianis paludibus id nomen impoſitum ib. par eorum numerus in Palaeſtina 184. c. 1. eorum nomina ex Orientis linguis orta ib. c. 2. & ſeq.

Septemtrio ultimus in mundi primordiis non inhoſpitalis 203. c. 2. cur poſtea inhabitabilis evaſerit ib. n. 5. an ex eodem in Americam trajectus Chamidis olim patuerit ib.

Septenarius numerus apud Orientales plane ſacer 184. c. 1. quae *Septena* iisdem dicta ib.

Septum venationis quid 99. n. 4.

Seres, unde id nomen obtinuerint 233. c. 2.

Serici initia 233. c. 1. ejus veriloquium ib. ſtamina ex arborum lanugine depexa olim repetita ib. c. 2. quid proprie ſericum notet ib. num ſerici nomine ſtaminum materia, an eorumdem color venerit ib. quid inter Sericum & Bombycinum interſit ibid. Serica hodierna antiquitus *Bombycina* dicta ib. Serica veſtis cur *Coa* olim audierit 234. c. 1.

Serpentes ex aquis prodiere 26.

Serpo unde 56. n. 2. c. 2. initio generali progrediendi notione praeditum ib.

Servitus fundorum apud Aegyptios antiquiſſima 161. quo illa pertinuerit 162. apud Graecos pariter obſervata ib. n. 4. hujuſce ſervitutis vocabulum Graecis ignotum ib. an ex Oriente ad Romanos pervenerit ib.

Servorum mercenariorum origo 107. Θῆτες a Graecis dicti ib. eorum apud Graecos conditio ibid. eccui corpori Romae reſponderint ib. n. 3. ſervorum demenſum 160. Servi glebae addicti apud Aegyptios antiquiſſimi 162. iidem in Graecia uſitatiſſimi ibid. Πελάται aut Θῆτες ibidem appellati ib. Athenis civium ultimi cenſus loco habiti ibid. apud Romanos ſervi *Adſcriptitii* vocati ib. eorum conditio Romae ſervis urbanis honeſtior ib.

Siccum Latinis quid 23. & ib. n. 10.

Siceli primi Italiae incolae 254. n. 26. unde venerint ib. an iidem ac Cilices ib.

Sichima, cur apud antiquos idem quod Portio 165. & ib. n. 1.

Sidon primaria Phoenicum urbs 170. Sidonis nomine univerſa Phoenicum gens etiam deſignata ib.

Sidonii

Sidonii & Sidones Homero iidem qui Phoenices 170.
Sigilla olim anulorum palis adſtricta 127.
Siloë piſcina unde id nomen ſortita 228. c. 1.
Simulacra Ἀγάλματα & informia antiquitus ubilibet poſita 164. n. 3. & 113. n. 4. Ἑρμαὶ a Graecis dicta ib. מרקוליס *Markolis* Orientalibus vocata ib. corollis aliiſque honoribus, in primis conjectu lapidum honorata ib. hujus ſuperſtitionis origo ib.
Siphones apud Orientales uſitatiſſimi 76. n. 3. in hortorum & ſatorum cultura adhibiti ib. vocis etymon ib. & 312. n. 22. id inventum ab Oriente per Tyrrhenos in Italiam illatum ib.
Sirorum triticeorum antiquitas 142. n. 5. hodierni Apuliae Siri veteribus conformes ib. n. 7. quampridem in Apulia uſurpari ib.
Σιτομέτριον quid 160.
Σιτοποιὸς qui 131. & 135.
Sodomitica regio vicis frequentatiſſima 73. & ſeq. a Pherezaeis tenta ib. urbecularum ejus numerus 74. earum quae fulmine conflagratae ib. ſitus 86. ſodomiticae regionis praeſtantia in quonam poſita 75.
Solon humanam vitam in decem annorum hebdomadas partitus 46.
Σώματα πολλὰ τρέφειν, haec locutio unde orta 160.
Somnia a Diis oblata credebantur 132.
Σπάδων, σπάδοντος pro σπάδωνος rariſſimi exempli 126. n. 2.
Spartiatis uxores ducere ante aetatis robur non licuit 46.
Σπέρμα de eſculentis uſurpatum 161. n. 2.
Σφάζειν θύματα LXXviris quid 149. & ſeq.
Spina, Venetiae urbs an a Diomede condita 188. c. 1. cur id nomen ei tributum ib. an prior quam oſtium Spineticum id nomen nacta ib.
Spines ſive Spineticum Padi oſtium 187. c. 2. nominis originatio ib. an ab urbe Spina id nomen ſibi quaeſitum 188. c. 1. an eâdem antiquius ib. *Vatreni* item dictum ib.
Spiritus Domini cum volucribus in S. Litteris collatus 17. cur ſequiore genere a Judaeis latine balbutientibus prolatus ib. & n. 5.
Statua antiquis quid 104. n. 3. ſtatuae Ἀγάλματα quae ib.
Statura priſcorum hominum hodierna procerior 193. n. 9. quibus gradibus poſtea decreverit ib. militum Rom. ſtatura ib.
Στερεῶν Helleniſtis quid 21. n. 8.
Στήλη antiquis quid 104. n. 3.
Stoici an jus in beſtias hominibus negarint 27. cur Mundum magnum Animal dixerint 182. c. 1.
Stola a Joſepho Benjamino data quae fuerit 156. apud veteres Romanos manicata & talaris erat 214. c. 1. Stolati qui dicti ib.
Στέμμα gladio aliiſque armis ab antiquis Graecorum tributum 149. n. 2. id unde ſumptum ib.
Strangulare pro Cogere 101. n. 7.
Subducere naves quid 130. n. 1.
Suffocatorum eſus omnibus mortalibus vetitus 57. hujus legis apud Gentiles veſtigia ib. n. 5.
Sugillare quid 101. n. 7.
Sulphur, cur veteri Graeciae Θεῖον vocatum 85.
Sybaritae inter epulas ad tibiam equos ſaltare conſuefaciebant 311.
Συγχαίρειν ἐνώπιον cum Dativo perſonae & ſine caſu perſonae uſurpatum 140. n. 1.
Symphonia Danielica an Graecum vocabulum 307. & ſeq. Chaldaei ne de Graeco, an contra Graeci a Chaldaeis id mutuati ibid. & 311. & ſeq. quatenus *concentum* ſive *conſonantiam* notat, verbum mere Grajum 308. & 314. Symphonia Danielica peculiaris inſtrumenti genus 309. & ib. n. 17. haec vox, quatenus organi muſici nomen eſt, Graecis melioris notae Scriptoribus ignota ibid. & 313. & ſeq. tantum apud Chaldaeos atque Latinos hac notione uſurpata 308. n. 15. & 310. hanc notionem a Chaldaeis Judaei Helleniſtae imbiberunt 314. n. 27. quodnam inſtrumenti muſici genus Symphonia fuerit 309. & ſeq. an fidicularium organum ibid. Iſidoro & Papiae tympani genus 310. an potius animabile inſtrumentum ib. num eadem ac *Tibia* ib. frequentius pro *Tibia* aut *Fiſtula* id nomen acceptum ib. Symphonia Danielica non aliud quam *Fiſtula* 311. Symphoniae etymon, quatenus organi muſici nomen 312. recta vocabuli ſcriptura *Siphonja* ib. quaevis praecentoria organa, quibus praecinentibus rhythmus praeſcribebatur, Symphonia vocata 313. & ſeq. plerumque *Tibiam curvam* aut *Fiſtulam* notabat 314. Symphoniae organica notio plane metaphorica ib. de ſaltatione, remigatione, aliiſque modulatis motibus tranſlate uſurpata ib. n. 26. Συμφωνία Sotioni quid 310. & 313. nn. 23. & 25. Symphonia & Ambubaja verba ſynonyma 315. & ib. n. 29. Symphoniarum uſus & nomen quando Romae invaluerit 314.
Symphoniaci qui 308. n. 14. & 313. n. 24.
Σύνοφρυς Adjectivum 61. n. 9.
Συνοδία apud Lucam quid 147.
Συντέλεια Sacris Scriptoribus quid 10. & ibid. n. 29.
Syrmaea quae fuerit 174. n. 6. ejus vires ib. uſus apud Aegyptios magnus ib. in purganda mortuorum alvo ab iiſdem adhibita ib.
Syrorum Litterae apud Perſas olim uſurpatae
quae

quae fuerint, pag. XXII. n. 3.

T

Talionis lex in homicidas an in Geneſi etiam ſancita 59.
Ταπεινόω & Ταπεινοῦμαι apud LXXviros quid 116.
Tarſiana Carmaniae urbs ubi ſita 247. c. 2. an eadem ac Tarſis Salomonica ib. a promontorio cognomine ſic dicta ibid. n. 13. an a Tarſenſibus Ciliciae poſita 249. c. 1.
Tarſis Javanis filius. V. Tharſis.
Tarſis Salomonica ubinam fuerit 247. c. 2. an eadem quae Tarſiana Carmaniae urbs ibid. n. 13. Biblica navium Tarſis notio 248. c. 1. & ſeq.
Tarſis urbs triplex 246. c. 1. & ſeq. unde dictae 248. n. 14. naves Tarſis quae ib.
Tarſius Troadis amnis unde id nomen invenerit 265. c. 2.
Tarſus Ciliciae Metropolis an Tharſis Javanis filii opus 246. c. 2. eadem ac Tarſis Jonae prophetae ib.
Tarteſſus Baeticae an Tharſis Javanis filii ſedes 246. c. 1. & ſeq. Tharſis ab Ezechiele nuncupata ib. nominis origo ib. n. 12. quo tempore condita 247. c. 1. Phoenicum navigationibus celebris ib. an eadem ac Tarſis Salomonica ib. Tarſenſium Ciliciae colonia ib.
Tartarus unde 189. c. 2.
Τάσις Platoni quid 20.
Telchinia antiquum Cretae inſulae nomen 281. n. 13. Rhodus item Telchinis olim vocata ib.
Telchines qui fuerint 287. c. 1. ex Dardanis orti ib. Cretam initio incoluerunt ib. e Creta in Rhodum profecti ibid. primi aeris & ferri fabricatores ib. diu ante Moſis aevum Rhodum tenuerunt ib. c. 2. cur maris filii olim crediti 288. c. 1. alio nomine Curetes dicti 292. n. 2. primi idolorum formatores ab antiquis habiti 297. c. 1. & 298. c. 2. iidem ac Idaei Dactyli ibid. unde id nomen ſortiti ib. eorum ars praeſtigiatrix quae fuerit ib. cur uti noxii & inſectatores apud veteres traducti ib. cur a Graecis Θελγῖνες vocati ib. n. 12. fabella de eorum incantationibus unde orta ib.
Telephus Teuthraniae Rex quo tempore cum Ceteis in Italiam venerit 255. c. 2. an Moſe antiquior ib. an idem ac Latinus Latinorum Rex ib. n. 29. nominis originatio ib. an Saturnus & Camiſes item vocatus 256. c. 1.
Τηλυγέται Homero qui 123.
Terias Troadis fluvius poſtea *Gallus* dictus 265. n. 52.
Terrae primitiva appellatio apud Hebraeos, Graecos & Latinos 23. cur ξηρός olim Graecis, Latinis vero *Siccum* dicta ib. & n. 23.
Teſtamentum in S. Litteris quid 192. c. 2.
Textrinum quid 199. n. 7.
Thadal cur Rex Gentium dictus 77. ejus Regia quae ib. an Pamphyliae Rex 78.
Thare ab idololatriae crimine vindicatur 114.
Tharſis Javanis filius ubi conſtiterit 246. c. 1. & ſeq. an Tarſi Ciliciaeque conditor ib. an Tarteſſum Baeticae poſuerit ib.
Tharſis Salomonica. V. Tarſis.
Thebae Aegyptiae unde id nomen adeptae 198. c. 1. & ib. n. 3. Hebraeis *No-Ammon* dictae ib. earum ſitus ib. Thebae olim totius Aegypti nomen ib.
Thebae Boeotiae unde id nomen traxerint 198. n. 3. earum ſitus ib.
Thebaidis incolae Deum Mundi Artificem quomodo expreſſerint 181. c. 1.
Θέβη, Θίβη, Θίβης, & Θίβις voces quid & unde ductae 198. c. 1.
Θέλγω an officinae aerariae verbum 298. n. 12. unde ortum ib.
Θέμιστες pro Oraculis, an hac notione Homero uſurpetur 279. n. 13.
Θῆσσαι ſeu Θῆτται quae 108.
Θέτειαι Deorum apud Graecos celebres 107. eas apud Romanos celebrari nefas ib.
Θῆτες qui 107. apud profanas nationes frequentiſſimi ib. ultimae inter liberos conditionis ib. prima eorum origo ibid. eccui corpori Romae reſponderint ib. vocis etymon ibid. n. 1. apud Romanos ſervi *Adſcriptitii* dicti 162.
Θίβωτος, Arcae apud Cyprios nomen 197. c. 2. unde ductum ib.
Thiras Japheti filius Thracum parens 260. c. 1. & ſeq. primum ejus domicilium 261. c. 1. Thraciam Aſiaticam initio incoluit ibid. an idem ac Tros Troum auctor 263. c. 1. ſimul cum Dodanim Troadem frequentavit ibid. ejus nepotes Troës principio dicti ib. c. 2. quando Thraces dici coeperint ibid. ante Troicum Bellum in Thraciam Europeam profecti 266. c. 1. nominis etymon ib. c. 2.
Thogorma Gomeri filius ubi conſederit 238. c. 1. an Toornarum Sogdianae populorum parens ib.
Thogorma regio quae 122. n. 6.
Thohu Moſaicum quid 177. c. 1. quo pacto ab Ethnicis expoſitum ibid. quonam modo haec vox ab eisdem interpolata ib. c. 2. ex ea primum Tyrrhenicum nomen *Cobum*, deinde vox *Chaos* exſtitit 178. c. 1.
Thraces a Thiras Japheti filio propagati 260. c. 2. quae prima eorum ſedes 261. c. 1. & ſeq. quas regiones occuparint ibid. & n. 42. populi ex iis orti 262. n. 45. ejusdem cum

Troibus originis 263. c.1. & ſeq. nomina & ſacra cum Troibus communia habuere 264. c. 2. & 265. c. 2. Mars utrorumque peculiare numen ib. n. 54. Thraces Europei Thracum Aſiaticorum coloni 266. c. 1. Troico bello antiquiores ibid. quando in Thraciam Aſiaticam redierint ibid. Thraces Saraparae ubi ſiti 261. n. 42. unde ſic dicti ib.

Thracia multiplex 260. c. 2. Thraciae Europeae fines ib. Illrianae incolae qui ib. n. 38. Thracia in Phocide ib. n. 40. Aſiatica omnium antiquiſſima 261. c. 1. eadem primitiva Thiraſidarum ſedes ib. ubi poſita ib. n. 41. regiones a Thracibus olim habitatae ib. n. 42. Europea Aſiaticae colonia ib. c. 2. Thracium nomen in Aſia cur ſecutis temporibus exoleverit 262. c. 2. populi Aſiatici ex Thracibus Europeis proſeminati qui ib. n. 45. Thracia Aſiatica num Troica regio ante Troicam cladem dicta 263. c. 1. num a Troibus habitata ib. cur olim Πιερία vocata 264. n. 50. Europea ante Troica tempora a Thiraſidis frequentata 266. c. 1.

Thubal & Moſoch Japheti filii ubi conſtiterint 258. c. 2. & ſeq. Thubal Tibarenorum parens ib. an aeque Iberorum conditor ib. n. 36.

Thules inſulae nomen unde 177. c. 2. ejus deſcriptio unde orta ib.

Θύματα quid 149. & ſeq.

Θύρα unde 266. n. 55.

Θυρεὸς quid proprie 266. n. 55. ejus etymologia ib.

Tibareni aut Tibares a Thubal Japheti filio orti 258. c. 2. Moſchis Aſiaticis perpetuo juncti ib. an proxime ambo habitarint ibid. iiſdem ducibus parebant ib. eorum fines ib. nomen ipſi ne a conditore, an potius ab ipſis ad conditorem transfuſum ibid. n. 37. Tibarenia regio quouſque patuerit ib.

Tiberina inſula quomodo extructa 198. n. 2.

Tibia ad modulos indicandos plurimum olim uſitata 314. *Tibia curva* Virgilio quae, quaeve Servio *Tibia vaſca* 313. n. 24.

Tigris & Euphrates primitus ex uno fonte aut ſaltem in proximo manabant 33. n. 7. quae a ſe invicem diſtantia Strabonis aevo ibid.

Timotheus Chronographus quis 3. n. 4. an idem ac Timotheus Gazaeus Gram. ib. ejus aetas ib. de eodem judicium 7.

Titanes Cretenſes an alii ac Dodanim 285. c. 2. & 295. c. 1. primi Cretae incolae ib. eorum nomen unde detortum ib. & 290. c. 2.

Titulus quid 104. n. 3.

Toga manuleata ac talaris cum ſtola olim confuſa 214. c. 1.

Τομάροι aut Τομοῦροι iidem ac Selli Jovis Dodonaei vates 279. c. 2. unde id nomen ſortiti ib. idem divinis omnibus commune 280. c. 1. ejus originatio ibid. an Πελειάδες dicti 281. c. 1.

Tomarus aut Tmarus Dodonae Moloſſiae mons, unde id nomen invenerit 280. c. 1.

Tonitrua cur *voces Dei* in S. Litteris vocata 18. a Gentilibus tanquam ore Jovis expreſſa concipiebantur ib.

Toornae antiqui Sogdianae populi, unde orti 238. c. 1.

Τοξεία primario *Ars jaculandi* 62. & ib. n. 1. Joſepho *arcus fabricandi* peritia ib.

Τόξον quid 62. & ib. n. 13. Helleniſtis pro Iride uſurpatum 60.

Tribuum numerus duodenarius in Oriente perfrequens 73. n. 1. & 94. earum principes φυλάρχαι aut φύλαρχοι Graecis dicti ib. Tribuum Hebraeorum nomina aut perſonali aut geographica notione pollebant 228. c. 2.

Triticum cum paleis olim conditum 142. & & 146. tritici veteris ſpicae ab hodiernis longe diverſae 141. n. 2.

Τρίτοι pro Abnepotibus, elegans dictio aevo meliore uſitata 176. n. 7.

Troes a Thiras Japheti filio profecti 263. c. 1. an primi Troadis incolae ib. a Dardanis diverſi ib. c. 2. cur cum eiſdem interdum confuſi ib. an iidem ac Thraces ib. eorum Troica regio quando Thracia dici coeperit 264. c. 1. Troum cum Thracibus affinitas ib. c. 2. Mars eorum peculiare numen 265. n. 54.

Troja antea regionis nomen 263. c. 1. quouſque pertinuerit ib. Thiraſidarum tum Troum, tum Thracum patria ib. תירס *Thiras* a Rabbinis dicta 267. c. 1.

Tros Troum auctor non alius quam Thiras Japheti filius 263. c. 1.

Tubalcain an a Lamecho occiſus 45. ejus nomen unde 43. an ei ſtatim a nativitate impoſitum ib. id quomodo apud Tyrrhenos & apud Latinos in Vulcanum degeneraverit ib.

Tunicae pelliceae primis parentibus conſutae vere ſcorteae 39. & 56. a natura ipſa iiſdem monſtratae ib. etiam poſteriore aetate apud omnes gentes in uſu ibid. Heroes olim & Reges eiſdem amicti ibid. Tunica Phaſſim Joſephi Patr. quae 211. c. 1. & ſeq. cur LXXviris χιτὼν ποικίλος & χιτὼν καρπωτὸς dicta 213. c. 1. tunica & ſtola quid differant 214. c. 1. tunica ad manus taloſque fuſa apud Graecos & Romanos viris probro fuit ib. cur ab effeminatis uſitata ib. c. 2. viris puelliſque principibus conveniebat 215. c. 1. ea Barbaris uſurpata ib.

Turris Babelica ex coctis lateribus bitumine illitis ſtructa 64. & 66. templum Jovis Beli in ejus vertice impoſitum 67. in quem finem

nem aedificata ib. & ſeq. ejus auctores qui 68. an ſi diſperſionis gentium aliquod indicium habuerint ib. quonam peccati genere ſe polluerint ib. ea ab initio ſtatim per linguarum confuſionem turbata 71. an ventorum miniſterio a Deo everſa ib. Turris vocabulum unde petitum 207. n. 15.
Turtures inter aves migratorias olim relatae 82.
Tympanum unde 314. n. 28.
Typhoei fulminatio ubi evenerit 254. c. 1.
Typhonis nomen unde 312.
Tyria purpura an Jacobi aetate jam nota 233. c. 1. unde pararetur 234. c. 2.
Tyrrheni unde orti 10. 73. n. 1. & 144. & paſſim alibi: unde id nomen ſortiti 207. n. 15. veteribus Graecis Τύρσηνοι dicti ib. an iidem ac Pelaſgi ib. n. 16. cum iisdem diu conjunctiſſimi ib. n. 17. eorum patria primitiva quae 182. & 208. c. 2. & ſeq. *Raſenates* ſe praedicabant 209. c. 1. eorum perpetui errores unde ibid. c. 2. mera Hebraica dialecto uſi 169. quando in Italiam appulſi 184. c. 2. cur ſeptem Padi alveos *VII. Maria* appellarint ib. & 24. n. 13. & 14. ubi principio ibidem conſederint ib. inter eos fuere qui *Philiſtini* dicerentur 185. c. 2. totam Italiam initio occuparunt 208. c. 1. in XII. Tribus diſtincti 73. n. 1. & 94. divinatricem Aſtrologiam apud Romanos profeſſi 8. n. 20. Moſaica Coſmogonia quo pacto ab eis tradita ibid. & ſeq. Tyrrheni cujusdam Hiſtorici de Mundi creatione fragmentum producitur & illuſtratur ib. id an a Judaeis aut Chriſtianis confictum 9. & ſeq.
Τύρσις unde 207. n. 15.

V

Vacciniis veteres ad purpuram parandam uſi 233. c. 1.
Vaſa: de quibuslibet inſtrumentis a Latinis id verbum uſurpatum 98. n. 2.
Vaſca Tibia Servio quae 313. n. 24.
Vatreni Padi oſtium alio nomine Spineticum dictum 188. c. 1. unde id nomen ib.
Vela Paragaudata quae 212. n. 3.
Venatio quid, quidve Venatus 99. n. 4. & 5.
Veneris tutelae horti olim aſſignati 135. n. 5.
Verbum Divinum cur Ἀρχὴ ſive *Principium* a Patribus vocatum 11. & ſeq. eodem nomine ab ima Fidelium plebe donatum 12.
Veritas ſubſtantive Joanni quid 28. & ſeq.
Vernaculus ſubſtantive idem qui Verna 79.
Veſtes olim Balauſtriis infectae 233. c. 1. pictae primitus duum generum 212. c. 1.
Vinarius pro Pocillatore 131. n. 1.
Vinum apud veteres *Nigrum* vocatum 168. ejus color antiquitus nonniſi pullus aut rubellus 232. n. 16. vina alba olim rara admodum & ex vite inſitiva ib. rubea an apud veteres in veſtium infectionibus adhibita 233. c. 1. vini in annum condendi ratio quando reperta 133.
Vira antiquis quae 36.
Virgines ingenuae apud veteres aquatum proficiſcebantur 91.
Viri nominis in S. Litteris qui 67. an iidem ac Gigantes 190. c. 2. & ſeq.
Viſa & Viſus quid, quidve ex viſo aliquid facere 132.
Vitae humanae juxta Solonem diviſio 46. ejus curricula ſub Imperio Rom. cur hodiernis contractiora 195. n. 14.
Vlam-Luz LXXviris quid 106.
Vlyſſis apud Homerum Ἀναγνωρισμὸς ex Joſephi Patr. Ἀναγνωρισμῷ delibatus 153.
Vmbra pro praeſidio ac tutamine 85.
Vmbri nomine tantum a Tyrrhenis diverſi 185. c. 2.
Vnctio apud Hebraeos ſanctificationis ſymbolum 105. n. 5. ab Ethnicis poſtea imitata ib.
Vnus pro quidam veteri Latio uſurpatum 88. n. 1. & 101.
Volane Padi oſtium 188. c. 2. antea Olane dictum ib. nominis etymon ib.
Volucribus ac piſcibus eadem origo a veteribus aſſerta 26.
Vrbes rupium cacuminibus metu diluvii olim conditae 69. n. 8. ſingulae ſuis regibus heroicis temporibus parebant 76.
Vvae rubeae nigraeque Jacobi aetate an ad inficiendas veſtes adhibitae 233. c. 1. & ſeq.
Vulcani nomen unde ortum 43.

X

Ξηρὸς olim Graecis quid 23. & ib. n. 10.

Y

Ὑδρεῖα quid 89. n. 2.
Ὑπερασπιστὴς quid 80. ecquando haec vox in Graecis Bibliis invaſerit ib. ex Regum Alexandrinorum Aula hauſta ib. n. 2. quo ſenſu in S. Litteris id nomen Deo tributum 81.
Ὑπωρεία Homero quid 277. n. 11.

Z

Zabulonitis Tribus unde id nomen ſortita 169. ejus ſitus 170. limites ib.
Zoroaſtris aetas 181. c. 1. ejus de Mundi principiis ſententia ib.

523734

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google